








Steinlein.

OFFICIA
SANCTORUM

PROFIA.

PROFESSUS PRATIMAVIENSIS

REVERENDISSIMI AC UELISSIMI

PRINCIPIS EPISCOPI

FRANCIS

SCHEMONT DE SCHIMONSKI

1896, 1897, 1898

PRATIMAVIENSIS

1896, 1897, 1898

PRATIMAVIENSIS

1896, 1897, 1898

1896, 1897, 1898

**OFFICIA
SANCTORUM**

PROPRIA

DIOECESIS VRATISLAVIENSIS.

REVERENDISSIMI AC CELSISSIMI

PRINCIPIS EPISCOPI

EMANUELIS

SCHIMONI DE SCHIMONSKI

**REGII BORUSSICI MAGNAE RUBRAE AQUILAE ORDINIS EQUITIS
ETC. ETC. ETC.**

**PERMISSIONE GRATIOSISSIMA
EDITA.**

VRATISLAVIE,

TYPIS AUGUSTI BREHMER ET MINUTH.

1846.

OTTEIT

U M A N I C T O R U M

1985

1985

12 1985

1985

1985



1985

1985

1985

1985

1985

1985

1985

1985

1985

1985

CALENDARIUM

FESTORUM DIOECESI VRATISLA- VIENSI PROPRIORUM.

Mense Januario.

	Pag.
Die 22da. Festum Vincentii Levitae Mart. et Patroni Capituli Eccl. Cathedr. Dupl. 1. Cl. cum oct. . . .	1
Die 28. Septima dies infra oct. S. Vincentii. Semid.	9
Die 29. Octava S. Vincentii Mart. Dupl.	11
Dominica II. post Epiphan. — Festum SS. Nominis Jesu. Dupl. 2. Class.	294

Mense Februario.

Die 1ma. Stae. Brigidae Virg. Comm. et 9na lectio.	14
Die 3. S. Blasii Ep. et Mart. Semid.	15
Die 6. Stae. Dorotheae Virg. et Mart. Dupl.	16
Die 8. Stae. Helenae Viduae. Comm. et 9. lect.	17
Die 9. Stae. Apolloniae Virg. et Mart. Comm.	18
Die 10. Stae. Scholasticae Virg. Dupl.	19
Die 11. S. Anastasii Mart. Semid.	21
Die 12. Stae. Eulaliae Virg. et Mart. Comm.	22
Die 14. St. Valentini Presbyt. et Mart. Semid.	23
Die 16. Stae. Julianae Virginis et Mart. Simplex . . .	25
Fer. 6. in Quadr. in Direct. assign. Festum SS. quin- que Vulnerum D. N. Jesu Christi. Dupl. maj. . . .	307

Mense Martio.

Die 3. Stae. Cune Gundis Virg. (Simpl.	26
Die 5. Translatio S. Wenceslai Bohemiae Ducis et Mart. Semiduplex	27
Die 18. Stae. Gertrudis Virg. Semid.	29
Tertia ex feriis 6tis M. Martii in Quadr. Festum pre- tiosissimi Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi. Dupl. 1 Class.	325

Mense Aprili.

Die 2. Stae. Mariae Aegyptiacae Comm. et 9. lect. . .	31
Die 4. S. Isidori Ep. et Conf. Dupl.	32
Die 23. Fest. S. Adalberti Episc. Mart. Dupl. maj. . .	37
Die 24. S. Georgii Mart. Dupl.	40

	Pag.
Fer. 2da. post Dom. Pass. Festum Sacrae spineae Coronae D. N. Jesu Christi. Dupl. maj.....	348
Fer. 6. post Dom. in albis. Festum Lanceae et Clavorum Domini. Duplex 2. Class.....	358
Domin. 2da. post pascha. SS. Sepulchri Domini Nostri Jesu Christi. Dupl.....	371

Mense Majo.

Die 1. Stae. Walburgis Virg. 9na. lect. et orat....	42
Die 5. S. Gotthardi Ep. Conf. Dupl.....	43
Die 7. Fest. S. Stanislai Ep. Mart. Duplex maj....	45
Die 11. S. Floriani Mart. Semid.....	47
Die 13. S. Pii V. Papae Conf. Semid. cum comm. S. Servatii Ep. Conf. et 9. lect.	51
Die 16. Festum S. Joannis Nepomuceni Mart. Dupl. 1. Class. cum oct.....	54
Die 21. Sexta dies infra oct. S. Joannis Nep. Semid.	66
Die 22. Septima dies infra oct. ejusdem. Semid.....	69
Die 23. Octava dies ejusdem. Dupl.....	72
Die 25. Sti. Gregorii VII. Papae Conf. Dupl.	75
Die 31. Festum Sanctorum Cancii, Canciani et Cancianillae M. M. Dupl. Maj.....	78
Domin. tertia post pascha. Patrocinium S. Joseph. Dupl.	384
Festum SSS. Trinitatis. Duplex 1. Classis cum octava	397
Octava SSS. Trinitatis. Duplex.....	397
Fer. 6ta. post oct. SS. Corporis Christi. — Festum SS. Cordis Domini Nostri Jesu Christi. Duplex maj...	400

Mense Junio.

Die 3. S. Erasmi Ep. Mart. Dupl.....	81
Die 5. SS. Bonifacii Episc. et Sociorum MM. Semid.	85
Die 7. S. Vincentii Ep. Mart. Semid.....	87
Die 8. S. Medardi Episc. Conf. Simpl.....	90
Die 12. S. Joannis a S. Facundo, Conf. Dupl.....	90
Die 16. S. Bennonis Ep. Conf. Dupl.....	93
Die 19. S. Julianae de Falconeriis, Virg. Semid....	95
Die 21. S. Aloysii Gonzagae Conf. Dupl.....	99
Die 22. SS. Decem millium Martyrum. Dupl.....	104
Die 25. Commemoratio S. Joannis Apostoli et Evangelistae. Dupl. 2. Cl.....	108

Mense Julio.

Die 2. Festum Visitationis B. V. Mariae. Dupl. 1. Cl. cum oct. 9na. lect.....	115
Die 3. Translatio S. Thomae Apostoli. Duplex.....	116
Die 4. Tertia dies infra oct. Visitationis, Semid. cum 9na. lectione et orat. de S. Udalrico Episc. Mart.	120

	Pag.
Die 5. Quarta dies infra oct. Visit. Semid.....	124
Die 7. Sexta dies infra oct. eandem. Semiduplex cum 9na. lect. et comm. S. Wilibaldi Episc. Conf.....	127
Die 8. Commemoratio et 9. lect. SS. Kiliani et Soc. MM.	130
Die 9. Octava Visitationis B. V. M. Dupl.....	131
Die 13. Fest. S. Margaritae Virg. Mart. Duplex maj.	134
Die 15. Fest. Divisionis SS. Apostolorum. Dupl. maj.	136
Die 16. Commemoratio sollemnis B. Mariae V. de Monte Carmelo. Dupl. 2. Cl.....	140
Die 19. S. Vincentii a Paulo Conf. Dupl.....	150
Die 20. S. Ceslai Conf. Dupl.....	153
Die 21. S. Hieronymi Aemiliani Conf. Duplex.....	156
Die 24. S. Camilli de Lellis Conf. Dupl.....	160
Die 27. S. Christophori Mart. Semid.....	164
Domin. post fest. Visitat. vel Translat. S. Thomae. — Festum SS. Honorii et Septimi MM. Dupl. 2. Cl.	120
Domin. tertia Julii. Festum SS. Redemptoris. Dupl. 2. Cl.	412

Mense Augusto.

Die 8. SS. Starum Afrac et Sociarum MM. comm. et 9. lect.....	168
Die 19. S. Ludovici Episc. Tolosani Conf. Semid...	169
Die 21. Stac. Joannae Franciscæ Fremiot de Chantal Viduae. Dupl.....	172
Die 25. Transl. S. Hedwigis Vid. Dupl.....	175
Die 26. Translatio S. Adalberti Ep. et Mart. Semid.	177
Die 27. S. Josephi Calasanctii Conf. Dupl.....	181
Die 29. Fest. decollationis S. Joannis Baptistae. Dupl. 1. Cl. 9na. lect.....	185

Mense Septembri.

Die 1. S. Aegidii Abbatis. Duplex.....	186
Die 5. Oratio de S. Laurentio Justiniano.....	475
Die 6. Stac Rosae de Viterbio Virginis. Duplex....	189
Die 10. Commem. et 9. lect. S. Corbiniani Ep. Conf.	192
Die 18. St. Josephi a Cupertino Conf. Dupl.....	193
Die 22. SS. Mauritii et Sociorum MM. Duplex.....	200
Die 24. Commem. et 9. lect. de S. Ruperto Episc. Conf. cum Responsorio 8vo festi B. M. V. de Mercede	203
Die 25. S. Lambertii Ep. Mart. Semid.....	204
Die 27. Translatio S. Stanislai Episc. Mart. Semid...	208
Domin. I. Sept. Festum S. Angeli Custodis. Duplex 2. Cl. cum octava.....	433
De die infra octavam S. Ang. Cust. Semid.....	444
Octava S. Angeli Custodis. Dupl.....	446
Domin. III. Sept. Septem dolorum B. V. Mariae. Dupl.	449

Mense Octobri.

Die 1.	S. Remigii Ep. Conf. Semid. adlibit.....	212
Die 10.	Commem. et 9. lect. SS. Gereonis et Socior. MM.	214
Die 15.	Festum Stae. Hedwigis Ducis Viduae et Patronae Silesiae. Dupl. 1. Cl. cum oct.....	215
Die 16.	Nona lect. et orat. de St. Gallo Abbate.....	217
Die 17.	Tertia dies infra oct. S. Hedwigis. Semid....	218
Die 20.	S. Joannis Cantii Conf. Dupl.....	221
Die 21.	SS. Ursulae et Sociarum VV. MM. Duplex	226
Die 22.	Octava Stae. Hedwigis. Dupl. cum comm. et 9. lect. de S. Severo Episc. Conf.....	228
Die 23.	Sti. Joannis Capistrani, Conf. Semiduplex cum comm. et 9. lect. de S. Severino Ep. Conf.....	232
Die 29.	SS. Crispini et Crispiniani MM. Simplex...	233

Mense Novembri.

Die 6.	Commem. et 9. lect. de S. Leonardo Abbate..	234
Die 10.	S. Lazari Ep. Mart. Dupl.....	235
Die 13.	Commem. et 9. lect. S. Briccii Ep. Conf.....	238
Die 14.	S. Andreae Avellini Conf. Semid.....	239
Die 15.	S. Gertrudis Virginis Abbatissae. Duplex...	242
Die 16.	Sexta dies infra octav. S. Martini Ep. Conf. Semid. cum comm. et 9. lect. de S. Othmaro Abbate	245
Die 18.	Octava S. Martini Ep. Conf. Dupl.....	248
Die 26.	S. Joannis a Cruce Conf. Dupl.....	252
Dom. post. oct. OO. SS.	Festum B. Mariae V. de Victoria. Dupl. 2. Cl.....	470
Dom. post. fest. S. Martini.	Dedicatio Ecclesiae Cathedralis. Dupl. 1. Class., Vratisl. cum oct. per dioecsin sine oct.....	474

Mense Decembri.

Die 1.	Secunda dies infra oct. S. Andreae Apostoli. Semiduplex	255
Die 4.	Fest. S. Barbarae Virg. Mart. Duplex majus	257
Die 5.	S. Petri Chrysologi Episc. Conf. Duplex.....	261
Die 7.	Octava S. Andreae Ap. Dupl.....	264
Die 10.	Translatio almae domus Lauretanac B. M. V. Dupl. maj.....	267
Die 16.	S. Eusebii Ep. Mart. Semid.....	279
Die 18.	Festum Expectationis partus B. Mariae Virg. Dupl. majus.....	282

APPENDIX.

Responsoria de Communi Sanctorum	475
--	-----

FESTA JANUARIi.

Die XXII. Januarii.

In Festo S. VINCENTII,

Levitae Martyris, et Patroni Rdissimi Capituli
Cathedralis Ecclesiae.

DUPLEX 1. Classis cum Octava. *Omnia de
Comm. unius Martyr. exceptis Propriis.*

O R A T I O.

Adesto quaesumus, Domine, supplicationibus nostris; ut qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, Beati Vincentii Martyris tui intercessionem liberemur. Per Dominum nostrum etc.

In I. Noct. Lect. seq. in Brev. de Comm. Virg. et Mart. inven.

De Libro Ecclesiastici. Lectio I. Cap. 51.

Confitebor tibi Domine Rex, et collaudabo te Deum salvatorem meum. Confitebor nomini tuo: quoniam adjutor, et protector factus es mihi, et liberasti corpus meum à perditione, à laqueo linguae iniquae, et à labiis operantium mendacium, et in conspectu astantium factus es mihi adjutor. Et liberasti me secundum multitudinem misericordiae nominis tui à rugientibus, praeparatis ad escam, de manibus quaerentium animam meam, et de portis tribulationum, quae circumdederunt me; à pressura flammae, quae circumdedit me, et in medio ignis non sum aestuatus: de altitudine ventris in-

feri, et à lingua coinquinata, et à verbo mendacii, à Rege iniquo, et à lingua injusta.

R. Iste Sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, et à verbis impiorum non timuit; * Fundatus enim erat supra firmam petram. V. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. * Fundatus.

Lectio II.

Laudabit usque ad mortem anima mea Dominum, et vita mea appropinquans erat in inferno deorsum. Circumdederunt me undique, et non erat, qui adjuvaret. Respiciens eram ad adiutorium hominum, et non erat. Memoratus sum misericordiae tuae Domine, et operationis tuae, quae à saeculo sunt: quoniam eruis sustinentes te Domine, et liberasti eos de manibus gentium. Exaltasti super terram habitationem meam, et pro morte defluente deprecatus sum.

R. Justus germinabit sicut lilium: * et florebit in aeternum ante Dominum. V. Plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri. * Et florebit.

Lectio III.

Invocavi Dominum patrem Domini mei, ut non derelinquat me in die tribulationis meae, et in tempore superborum sine adiutorio. Laudabo nomen tuum assidue, et collaudabo illud in confessione, et exaudita est oratio mea. Et liberasti me de perditione, et eripuisti me de tempore iniquo. Propterea confitebor, et laudem dicam tibi, et benedicam nomini Domini.

R. Iste cognovit justitiam et vidit mirabilia magna et exoravit Altissimum: * Et inventus est in numero Sanctorum. V. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. * Et inventus. Gloria. * Et inventus.

In II. Nocturno. Lect. sequ. in Breviar. ex 2. factae tres inv.

Lectio IV.

Vincentius, Oscae in Hispania citeriore natus, a prima aetate studiis deditus, sacras literas à Valerio Caesaraugustano Episcopo didicit: cujus etiam partes suscepit praedicandi Evangelium, quod Episcopus propter linguae impedimentum, praedicationis officio fungi non poterat. Ea re ad Dacianum, provinciae à Diocletiano et Maximiano praepositum, delata, Vincentius Caesaraugustae comprehenditur et vinctus ad Dacianum Valentiam adducitur.

R. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam. V. Descenditque cum illo in foveam: et in vinculis non dereliquit eum. * Et dedit.

Lectio V.

Ubi verberibus, et equuleo tortus, multis praesentibus, cum nulla aut tormentorum vi, aut acerbitate, vel lenitate verborum à proposito deterreri posset, in craticula compositus, prunis ardentibus suppositis, ac ferreis unguibus excarnificatus, candentibusque laminis exustus, iterum ducitur in carcerem stratum testaceis fragmentis, ut ejus nudum corpus, somno oppressum, à subjectis etiam testarum aculeis torqueretur. Verum illo in tenebricosa incluso custodia, clarissimus splendor obortus totum carcerem illustravit: quae lux cum summa admiratione omnes, qui aderant, affecisset, res à custode carceris ad Dacianum deferitur.

R. Desiderium animae ejus tribuisti ei Domine: * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. V. Quoniam praevenisti eum in benedictio-

nibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Et voluntate.

Lectio VI.

Qui eductum in molli culcitra collocat, et, quem cruciatibus in suam sententiam trahere non poterat, deliciis perducere conatur. Sed invictus Vincentii animus Jesu Christi fide, speque munitus vicit omnia, et ignis, ferri, tortorum immanitate superata, Victor ad coelestem Martyrii coronam advolavit undecimo Kaleudas Februarii. Cujus corpus, cum projectum esset inhumatum, corvus et à volucris, et à lupo, unguibus, rostro, alis mirabiliter defendit. Qua recognita, Dacianus illud in altum mare demergi jubet: sed inde etiam divinitus ejectum ad littus, Christiani sepeliunt.

R. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. Y. Cibavit illum Dominus pane vitae et intellectus: et aqua sapientiae salutaris potavit illum. * Et coronam. Gloria patri. * Et coronam.

In III. Noct. *Antiphona*. Justus Dominus, et justitiam dilexit: aequitatem vidit vultus ejus.

Psalmus 14.

Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? * aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula, * et operatur justitiam.

Qui loquitur veritatem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua.

Nec fecit proximo suo malum, * et opprobrium non accepit adversus proximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: timentes autem Dominum glorificat.

Qui jurat proximo suo, et non decipit, * qui pe-

curiam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.

Qui facit haec, * non movebitur in aeternum.

Antiph. Justus dominus, et justitiam dilexit: aequitatem vidit vultus ejus.

Antiph. Habitabit in tabernaculo tuo: requiescet in monte sancto tuo.

Psalmus 16.

Exaudi Domine justitiam meam; * intende deprecationem meam.

Auribus percipe orationem meam, * non in labiis dolosis.

De vultu tuo judicium meum prodeat: * oculi tui videant aequitates.

Probasti cor meum, et visitasti nocte: * igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.

Ut non loquatur os meum opera hominum: * propter verba labiorum tuorum ego custodivi vias duras.

Perfice gressus meos in semitis tuis: * ut non moveantur vestigia mea.

Ego clamavi, quoniam exaudisti me Deus: * inclina aurem tuam mihi, et exaudi verba mea.

Mirifica misericordias tuas, * qui salvos facis sperantes in te.

A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, * ut pupillam oculi.

Sub umbra alarum tuarum protege me: * a facie impiorum qui me afflixerunt.

Inimici mei animam meam circumdederunt, adipem suum concluserunt: * os eorum locutum est superbiam.

Projicientes me nunc circumdederunt me: * oculos suos statuerunt declinare in terram.

Susceperunt me sicut leo paratus ad praedam: * sicut catulus leonis habitans in abditis.

Exurge Domine, praeveni eum, et supplantam eum: * eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuae.

Domine a paucis de terra divide eos in vitam eorum: * de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.

Saturati sunt filii: * et dimiserunt reliquias suas parvulis suis.

Ego autem in justitia apparebo conspectui tuo: * satiabor cum apparuerit gloria tua.

Antiph. **Habitabit in tabernaculo tuo: requiescet in monte sancto tuo.**

Antiph. **Posuisti Domine super caput ejus coronam de lapide pretioso.**

Psalmus 20.

Domine in virtute tua laetabitur Rex: * et super salutare tuum exultabit vehementer.

Desiderium cordis ejus tribuisti ei: * et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: * posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.

Vitam petiit a te: * et tribuisti ei longitudinem dierum in saeculum, et in saeculum saeculi.

Magna est gloria ejus in salutari tuo: * gloriam et magnum decorem impones super eum.

Quoniam dabis eum in benedictionem in saeculum saeculi: * laetificabis eum in gaudio cum vultu tuo.

Quoniam Rex sperat in Domino: * et in misericordia Altissimi non commovebitur.

Inveniat manus tua omnibus inimicis tuis: * dextera tua inveniat omnes, qui te oderunt.

Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus tui: * Dominus in ira sua conturbabit eos et devorabit eos ignis.

Fructum eorum de terra perdes: * et semen eorum a Filiis hominum.

Quoniam declinaverunt in te mala: * cogitaverunt consilia, quae non potuerunt stabilire.

Quoniam pones eos dorsum: * in reliquiis tuis praeparabis vultum eorum.

Exaltare Domine in virtute tua: * cantabimus et psallemus virtutes tuas.

Antiph. Posuisti Domine super caput ejus coronam de lapide pretioso.

Y. Magna est gloria ejus in salutari tuo.

R. Gloriam, et magnum decorem impones super eum.

Sequentes Lectiones reperiuntur 1. Februarii in Festo S. Ignatii Martyr.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. Cap. 12.

In illo tempore: dixit Jesus Discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi. Tract. 51 in Joannem sub medium.

Ipsae Dominus Jesus erat granum mortificandum, et multiplicandum: mortificandum infidelitate Judaeorum, multiplicandum fide populorum. Jam vero exhortans ad Passionis suae sectanda vestigia, qui amat, inquit, animam suam, perdet eam. Quod duobus modis intelligi potest. Qui amat, perdet: id est, si amas, perdes. Si cupis vitam tenere in Christo, noli mortem timere pro Christo. Item alio modo: Qui amat animam suam, perdet eam: noli amare, ne perdas: noli amare in hac vita, ne perdas in aeterna vita.

R. Corona aurea super caput ejus. * Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudi-

nis. *V.* Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * *Expressa.*

Lectio VIII.

Hoc autem, quod posterius dixi, magis habere videtur Evangelicus sensus. Sequitur enim: Et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam. Ergo, quod supra dictum est, qui amat (subintelligitur, in hoc mundo) ipse utique perdet: qui autem odit, utique in hoc mundo in vitam aeternam ipse custodit eam. Magna et mira sententia, quemadmodum sit hominis in animam suam amor, ut pereat; odium ne pereat. Si male amaveris, tunc odisti: si bene oderis, tunc amasti. Felices, qui oderunt custodiendo, ne perdant amando.

R. In craticula te Deum non negavi, * et ad ignem applicatus, te Dominum Jesum Christum confessus sum. *V.* Probasti domine cor meum, et visitasti nocte. * Et ad ignem. Gloria patri. * Et ad ignem.

Lectio IX.

Sed vide, ne tibi suprepas, ut te ipsum velis interimere, sic intelligendo, quod debes odisse in hoc mundo animam tuam. Hinc enim quidam maligni atque perversi homines, et in seipsis crudeliores, et sceleratiores homicidae, flammis se donant, aquis se praefocant, praecipitio se collidunt, et pereunt. Hoc Christus non docuit: imo etiam diabolo praecipitium suggerenti, respondit: redi retro Satanas: scriptum est: non tentabis Dominum Deum tuum. Petro autem dixit, significans, qua morte clarificaturus erat Deum: cum esses junior, cingebas te, et ambulabas, quo volebas: cum autem senueris, alter te cinget, et feret, quo tu non vis.

Ubi satis expressit, non à se ipso, sed ab alio debere occidi, qui vestigia sequitur Christi.

Te Deum laudamus.

Die XXVIII. Januarii.

Septima die infr. Oct. S. VINCENTII.

SEMIDUPLEX. *Omnia ut ipsa Die, praeter hic posita.*

In I. Noct. *Lectiones de scriptura occurrente.*

In II. Nocturno. Sermo S. Augustini Episcopi. *Serm. 30. de Sanctis.*

Lectio IV.

Beatissimi Vincentii Martyris, cujus natalem hodie celebramus: passionem nosse vos credo: et quanta in persecutione pertulerit, dilectionem vestram scire posse non dubito. Tanta enim ejus Martyrii gloria extitit, ut passione sua mundum illuminaverit universum. Illuminavit mundum plane Vincentius eo lumine, quo ipse accensus est, et flammis, quas ipse pertulit, omnium Christianorum corda calefecit.

R. Honestum fecit illum.

Lectio V.

Quis nolit ad horam uri Vincentii igne, ut aeternum gehennae non patiatur incendium? Beati igitur Vincentii exemplo, provocamur ad martyrium, et accendimur ad fidem, incalescimus ad devotionem: et si in nobis persecutoris flamma deest, fidei tamen flamma non deest. Non ardemus quidem corpore pro Christo, sed ardemus effectui. Non subjicit mihi persecutor ignem: sed subjicit mihi desiderium Salvatoris.

R. Desiderium animae.

Lectio VI.

Esse autem Salvatoris ignem, legimus in Evangelio, dicente eodem Domino: Nescitis, quia veni ignem mittere in terram; et quid volo, nisi ut accendatur? Quo igne succensi illi duo Discipuli dixerunt: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et apperiret nobis scripturas? Hoc igitur igne Beatus Vincentius accensus, flammarum non sentit incendium: et dum Christi ardet desiderio, persecutoris poenam non sentit.

R. Stola jucunditatis.

In III. Nocturno. Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. Cap. 12.

In illo tempore: dixit Jesus Discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit ipsum solum manet. Et reliqua.

De Homilia S. Augustini Episcopi: *Ex tract. 51. in Joann.*

Cum ergo causae articulus venerit, ut haec conditio proponatur, aut faciendum esse contra Dei praeceptum, aut ex hac vita emigrandum: quorum duorum homo si cogatur alterum eligere, comminante mortem persecutore, ibi eligat Deo dilecto emori, quam offenso vivere. Ibi oderit in hoc mundo animam suam, ut in vitam aeternam custodiat eam. Si quis mihi ministrat; me sequatur. Quid est, Me sequatur, nisi, Me imitetur? Christus enim pro nobis passus est, ait Apostolus Petrus, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus.

Y. Corona aurea.

Lectio VIII.

Ecce, quod dictum est: Si quis mihi ministrat, me sequatur. Quo fructu? qua mercede? quo prae-

mio? Et ubi sum, inquit, Ego, illic et minister meus erit. Gratis ametur, ut operis, quo ministratur illi, pretium sit, esse cum illo. Ubi enim bene erit sine illo, aut quando esse male poterit cum illo? Audi evidentius: Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. Quo honore, nisi ut sit cum Filio ejus. Quod enim superius ait: Ubi ego sum, illic et minister meus erit: hoc intelligitur exposuisse, cum dicit: Honorificabit eum Pater meus. Nam quem majorem honorem accipere poterit adoptatus, quam, ut sit, ubi est unicus non aequalis factus Divinitati, sed, consociatus aeternitati?

R. In craticula te Deum non negavi, * Et ad ignem applicatus, te Dominum Jesum Christum confessus sum. V. Probasti Domine cor meum, et visitasti nocte. * Et ad ignem. Gloria Patri. * Et ad ignem.

Lectio IX.

De S. AGNETE secundo.

Beata Agnes etc. ut in Breviario Romano. Et fit Commemoratio de eadem in Laudibus.

Dic XXIX Januarii.

In Octava S. VINCENTII,

Levitae Martyris.

Omnia dicuntur ut ipsa Die, praeter Lectiones

In I. Noct. *Lectiones de scriptura occurrente.*

In II. Noct. De Sermone S. Augustini Episcopi. *Ex Serm. 30 de Sanctis.*

Lectio IV.

Legimus Ananiam, Azariam, et Misaelem, beatissimos pueros, a Rege in camino ignis inclusos, in poenarum suarum deambulasse flammis et igneos globos pedibus conculcasse. Ubi et Beatus Vin-

centius non minori gloria est praeferendus. Siquidem illi in poenarum suarum flammis ambulabant, hic et in ipso supplicii sui igne discubuit. Illi vestigiis pedum conculcarunt incendia, iste laterum suorum diffusionem extinguit.

R. Honestum fecit illum.

Lectio V.

Iterum ergo beatus Vincentius in dorsum supinus vertitur, et renes ejus ignibus exuruntur, ut impleretur Psalmi prophetia, quae dicit ex persona Vincentii: Proba me Domine, et tenta me: ure renes meos, et cor meum. Duplici se postulat igne comburi. Nam si de solo mundi igne loqueretur, sufficeret renes tantum exurendos incendiis obtulisse. Cor autem, nisi flamma Christi, non urit.

R. Desiderium animae.

Lectio VI.

Oremus igitur, fratres, Beatum Vincentium: qui, dum fide sua persecutoris flammam vicit, ostendit nobis per ignem fidei gehennae incendia superare, et amore Christi diem Judicii non timere. Nos vero, fratres dilectissimi, si ad consortium Sanctorum Martyrum pervenire volumus, de imitatione Martyrum cogitemus. Debent enim in nobis aliquid de suis virtutibus recognoscere, ut pro nobis dignentur Domino supplicare.

R. Stola jucunditatis.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. Cap. 12.

In illo tempore: dixit Jesus Discipulis suis: Amen, amen dico vobis, nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit: ipsum solum manet. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi. Homil. 66. in Joannem.

Dulcis praesens vita est, et multae plena voluptatis, non tamen omnibus, sed iis tantum, qui illi sunt affixi. Quod si quis in coelum suspexerit, et quae ibi praeclara sunt, contemplatus fuerit, statim hanc contemnet, ac nullius pretii existimabit. Nam et corporum pulchritudo, quoad pulchrius non deprehenditur, in admiratione habetur: cum vero aliud praestantius apparuerit, illa prior despicitur. Quod si illam pulchritudinem etiam nos intueri voverimus, et coelestis regni speciem considerare, confestim nos hujus saeculi vinculis dissolvemus.

R. Corona aurea.

Lectio VIII.

Vinculum namque est terrenarum rerum affectio, ad cujus dissolutionem ut nos induceret Christus, quid dicat, attende. Qui amat animam suam, perdet eam: et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam. Aenigmati simile hoc dictum videtur: non tamen ita est, imo vero praecipuae sapientiae plenum. Et quomodo qui amat animam suam, perdet eam? Qui absurdis ejus cupiditatibus obtemperat, qui praeter debitum ei indulget: quemadmodum e contrario, qui odit eam in hoc mundo, custodit eam; hoc est, qui non paret ei, cum noxia jubet.

R. In craticula te Deum non negavi: * Et ad ignem applicatus te Dominum Jesum Christum confessus sum. Y. Probasti Domine cor meum, et visitasti nocte. * Et ad ignem. * Gloria Patri. * Et ad ignem.

Lectio IX.

Et non dixit, qui non paret, sed, qui odit. Sicuti enim, quos odio habemus, ne vocem quidem

andire, nec vultum eorum videre aequo animo patimur: ita et animae, si quid praeter Dei voluntatem nobis imperat, vehementer aversari oportet. Cum enim jam de morte ad eos verba facturus esset, de morte videlicet sua, et praevideret eorum tristitiam et exanimationem, per excessum locutus est, inquam: quid dico, si mortem meam generose non feretis? nisi vos ipsi moriamini, nullum vos sequetur emolumentum.

Te Deum laudamus.

In Vesperis 31. Januar. Comm. S. Ignatii Episc. Mart. et S. Brigidae Virg.

FESTA FEBRUARII.

In Festo S. IGNATII,

Episc. et Mart.

SEMIDUPLEX. Pro S. BRIGIDA Virgine.

O R A T I O.

Sanctae Brigidae Virginis tuae Domine, quaesumus, precatio tibi grata nos adjuvet, et tuam nobis indulgentiam poscere non desistat. Per Dominum nostram.

Lectio IX. Ex venerabili Beda.

Beata Brigida, in Scotia Christianis Parentibus orta, et interdum angelicis visionibus stipata, igneam columnam in capite tenere infans conspecta est. Jejuniiis, vigiliis, orationibus, eleemosynis, aliisque bonis operibus, atque mira sanctitate morum à teneris enituit. Petita in matrimonium, quod pereleganti forma esset, à Christo, quem sibi sponsum elegerat, alterius oculi defor-

mitatem precibus ad id declinandum, impetravit. Sacro velamine postmodum suscepto, sanitati restituta est. Virginitatis ejus gratiam et integritatem miraculo Deos testatam voluit: tactu Virginis, ligneum Altaris pedem, praeter naturae ordinem, revirescere concedens. Vitae sanctitate, et miraculorum plurimorum fama illustris, Kaleudis Februarii quievit in Domino.

Te Deum laudamus.

Dic III. Februarii.

In Festo S. BLASII,

Episc. et Martyr.

SEMIDUPLEX. *Omnia de Comm. unius Martyris praeter seq.*

O R A T I O.

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut qui Beati Blasii, Martyris tui, atque Pontificis gloriosa merita veneramur, ejus apud te precibus muniamur. Per Dominum.

In I. Noct. Lectiones de Scriptura occurrente

In II. Nocturno. Lectio VI.

Blasius, Sebaste in Armenia etc. ut in Breviario Romano not.

Lectio V. et VI.

De Expositione S. Ambrosii Episcopi in Psalmum 118. Sermon. 21.

Principes persecuti sunt me gratis, ut in Comuni unius Martyris, ad finem.

In III. Nocturno. Homilia S. Gregorii Papae in Evangelium.

Si quis vult post me venire, ut in Comm. unius Martyris ad finem.

In Quadragesima 9 Lectio, et Commemoratio Feriae.

Dic VI. Februarii.

In Festo S. DOROTHEAE,
Virginis et Martyris.

DUPLEX. *Omnia de Comm. Virg. et Mart. praeter ea, quae hic assignantur.*

O R A T I O.

Onnipotens sempiternae Deus, in cuius nomine gloriosa Virgo et Martyr Dorothea multorum tormentorum genera superavit, te suppliciter exoramus; ut ejus meritis et precibus cuncta pericula vincamus, et nobis ipsam celerem adjutricem in nostris necessitatibus sentiamus. Per Dominum.

In I. Nocturno. Lectiones de scriptura occurr. Si vero venerit in Quadragesima, leguntur de Epistola 1. S. Pauli Apost. ad Corinth. De Virginitibus praeceptum Domini non habeo.

In II. Nocturno. Lectio IV.

Imperatoribus Constantio Chloro, Diocletiano et Maximiano, cum coepta in Christianos exerceri Tyrannis nihil etiam tum remisisset, fuit Caesareae Cappodociae nobili genere nata gloriosa Virgo et Martyr Dorothea. Non erat ullum laudatae Virginis cujusquam decus, quod non in hac Virguncula singulariter emeretur. Totam tum singularis ejus virtus advertebat urbem. Audivit Apricius Praeses Dorotheam esse Christianam, eam capi, sibi que jussit e vestigio sisti.

R. Propter veritatem.

Lectio V.

Apricius cum Dorotheam in suam sententiam perducere non posset, tempus redempturus, geminas

advocat sorores Chrystetam et Callistam, quibus a Christiana religione apostatis Dorotheam commendavit, ut eam à proposito dimoverent. Verum sancta Virgo nihil eorum emollita blanditiis, nihil terita minis, adeo rationibus prudenter occurrit, ut insidiantes alienae salutis sirenes, sui poenitudine peccati ductas, in Christi sponsas reverterit, et ad repetendam deserti Martyrii palmam redaccenderit: quod magna animi constantia sancta Virgine adhortante consummarunt. *R. Dilexisti justitiam.*

Lectio VI.

Quamobrem iratus Praeses, suis sanctam Virginem nudari vestibus, et in aequuleo suspensam, accensis ejus latera taedis torreri, equuleo depositam, quod liberius loqueretur, multis alapis caedi mandavit: sed enim Dorothea quanto cruciabatur atrocius, tanto majorem vultu laetitiam praeferebat, suisque etiam tortoribus insultabat. Denique cum jam invicta sanctae Virginis virtus, et carnifices fatigasset, et Praesidem turbasset, ad extremum capitis damnata, duplicatam Virginitatis, et Martyrii palmam accepit.

R. Afferentur Regi Virgines.

In III, Nocturno. Homilia in Evang. Simile est regnum coelorum thesauro abscondito in agro, ut in Comm. nec Virg. nec Mart. cum Resp. de Virg.

Die VIII. Februarii.

In Festo S. JOANNIS de Matha,
Confessoris.

In primis Vesperis Comm. de S. Helena Vidua. Antiph. Simile est Regnum. Y. Specie tua.

O R A T I O.

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut intercessione Beatae Helenae, Christianissimae Regi-

nae, cujus studio lignum sanctae Crucis detegere dignatus es, a cunctis malorum nostrorum nexibus eruamur. Per Dominum.

Pro S. HELENA Vidua.

Lectio IX.

Helena Magni Constantini Mater, singulari pietatis studio in Judaeam profecta, Sacrosanctam Christi Domini Crucem invenit. Duas ibi Basilicas magnificentissimas, extruxit: alteram ad praesepe Domini, alteram in monte Oliveti, ubi Christus in coelum ascendit. Multas etiam Ecclesias Romae, aliisque locis exornavit. Jerosolymis sacratis Deo Virginibus, quas ibi reperit, ipsa famulae habitu succincta ministrare, aquam manibus fundere, cibum apponere, poculum porrigere voluit. Christianae humilitatis, et charitatis exemplum omnibus se exhibens, pauperum inopiam omni studio, atque ope sublevabat. Denique octogesimo aetatis suae anno, bonorum operum plena, beato sine quievit.

Te Deum laudamus.

Die IX. Februarii.

In Festo

S. FRANCISCI SALESII,

Episcopi Confessoris.

In Vesp. et Laud. fit Comm. S. Apolloniae Virg. et Mart. Antiph. Veni Sponsa. V. Specie tua.

O R A T I O.

Aeterne, ac mitissime Deus, qui ad toleranda pro tui nominis gloria carnis tormenta spiritu fortitudinis Electos tuos corroborare non desistis; concede propitius; ut qui beatae Apolloniae Virginis tuae Martyrium recolimus, meritis ipsius, ac pre-

cibus ab omni periculo corporis et animae protegi mereamur. Per Dominum nostrum.

Lectio IX. De S. APOLLONIA Virgine et Martyre, *ut in Breviario Romano.*

Die X. Februarii.

In Festo S. SCHOLASTICAE,
Virg.

DUPLEX. *Omn. de Comm. Virg. non Mart. praeter propria.*

O R A T I O.

Deus, qui animam Beatae Virginis tuae Scholasticae, ad ostendendam innocentiae viam, in columbae specie coelum penetrare fecisti: da nobis ejus meritis, et precibus ita innocenter vivere, ut ad aeterna mereamur gaudia pervenire. Per Dominum nostrum.

In I. Nocturno. *Lectiones de scriptura occurrente.*

In Quadragesima Lectiones. De Virgin.

In II. Nocturno.

Ex libro secundo Dialogorum S. Gregorii Papae.
Cap. 33.

Lectio IV.

Scholastica Venerabilis Patris Benedicti soror, omnipotenti Domino ab ipso infantiae tempore dedicata, ad eum semel per annum venire consueverat; ad quam Vir Dei non longe extra januam in possessione Monasterii descendebat. Quadam vero die venit ex more, atque ad eam cum discipulis venerabilis ejus descendit Frater, qui totum diem in Dei laudibus, sacrisque colloquiis ducentes, incumbentibus jam noctis tenebris, simul acceperunt cibum. Cumque adhuc ad mensam sederent, et in-

ter sacra colloquia tardior se hora protraheret, eadem sanctimonialis femina soror ejus eum rogavit, dicens: Quaeso te, ut ista nocte me non deseras, ut usque mane de coelestis vitae gaudiis loquamur. Cui ille respondit: Quid est, quod loqueris soror? manere extra cellam nullatenus possum. Tanta vero erat Coeli serenitas, ut nulla in aere nubes appareret. Sanctimonialis autem femina, cum verba fratris negantis audivisset, insertas digitis manus super mensam posuit, et caput in manibus omnipotentem Dominum rogatura declinavit. Cumque levaret de mensa caput, tanta coruscationis, et tonitruum virtus, tantaque inundatio pluviae erupit, ut neque venerabilis Benedictus neque Fratres, qui cum eo aderant, extra loci limen, quo consederant, pedem movere potuerint. R. Propter veritatem.

Lectio V.

Sanctimonialis quippe femina caput in manibus declinans, lacrymarum fluvium in mensam fuderat, per quas serenitatem aeris ad pluviam traxit. Nec paulo tardius post orationem inundatio illa secuta est, sed tanta fuit convenientia orationis, et inundationis, ut de mensa caput jam cum tonitruo levaret: quatenus unum, idemque esset momentum; levare caput, et pluviam deponere. Tunc Vir Dei inter coruscos, et tonitruos, atque ingentis pluviae inundationem, videns se ad Monasterium non posse remeare, coepit conqueri contristatus dicens: Parcat tibi omnipotens Deus Soror, quid est, quod fecisti? cui illa respondit: Ecce rogavi te, et audire me noluisti; rogavi Deum meum, et audivit me: modo ergo, si potes, egredere, et me dimissa ad Monasterium recede. Ipse autem exire extra tectum non valens, qui remanere sponte noluit in loco, mansit invitus. Sicque factum est, ut totam noctem pervigilem ducerent, atque per sacra spiri-

tualis vitae colloquia, sese vicaria relatione satiant. R. Dilexisti.

Lectio VI.

Cumque die altero eadem venerabilis femina ad cellam propriam recessisset, Vir Dei ad Monasterium rediit. Cum, ecce, post triduum in cella consistens, elevatis in aera oculis vidit ejusdem Sororis suae animam de corpore egressam, in columbae specie coeli secreta penetrare. Qui tantae ejus gloriae congaudens, omnipotenti Deo in hymnis, et laudibus gratias reddidit, ejusque obitum Fratribus denuntiavit. Quos etiam protinus misit, ut ejus corpus ad Monasterium deferrent, atque in sepulchro, quod sibi ipsi paraverat, ponerent. Quo facto contigit, ut quorum mens una semper in Deo fuerat, eorum quoque corpora nec sepultura separaret.

V. Afferentur.

In III. Nocturno. *Homilia in Evangel.* Simile — decem Virginibus.

Die XI. Februarii.

In Festo S. ANASTASII, Martyris.

SEMIDUPLEX. *Omnia de Comm. unius Martyris praeter sequentia.*

In Vesp. 10. Febr. fit Comm. S. Anastasii Mart.

Antiph. Iste Sanctus. *Vers.* Gloria et honore, ut in Breviario.

O R A T I O.

Deus, qui nos Beati Anastasii Martyris tui annua solemnitatem laetificas: concede propitius: ut cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum.



In I. Noct. *Lectiones de scriptura occurrente.*

In Quadragesima vero: Fratres debitores, ex Comm. plurim. MM. Resp. ex Comm. unius Mart.

In II. Nocturno. *Lectio IV.*

Anastasius Persa Monachus, Heraclio Imperatore, cum sanctam Jerosolymorum terram visitasset, ad Caesaream Palaestinae pro Christi religione vincula et verbera constanter perpessus est. Mox a Persis ob eandem causam variis cruciatibus affectus, a Rege Chosroa, una cum septuaginta aliis Christianis, securi percutitur. Cujus reliquiae primum Jerosolymam ad monasterium, in quo monasticam vitam professus erat, deinde Romam delatae, collocatae sunt in monasterio ad aquas Salvias.

Lectio V. et VI.

De Sermone S. Augustini Episcopi Serm. 44. de Sanctis.

Triumphalis Beati Martyris Anastasii dies etc. *ut in Communi unius Martyris.*

In III. Nocturno. *Lectiones de Homilia S. Gregorii Papae in Evang. Si quis venit ad me, ut in Comm. unius Martyris 1. loco.*

Die XII. Februarii.

S. RAYMUNDI de Pennafort,
Confessoris.

SEMIDUPLEX. *In prim. Vesp. sit Comm. S. Eulaliae Virg. et Mart. sine 9. Lectione de Ea. et in Laudibus.*

Antiph. Veni Sponsa. Vers. Specie tua.

O R A T I O.

Dens, qui nos Beatae Eulaliae, Virginis et Martyris tuae, annua solemnitate laetificas: concede propitius; ut ejus adjuvemur meritis, cujus castitatis irradiamur exemplis. Per Dominum nostrum etc.

Dic XIV. Februarü.

In Festo S. VALENTINI,
Presbyt. et Martyris.

SEMIDUPLEX. *Omnia de Comm unius Martyr. ut in Breviario Romano.*

O R A T I O.

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut qui Beati Valentini Martyris tui natalitia colimus, a cunctis malis imminetibus ejus intercessione liberemur. Per Dominum.

In I. Noct. Lectiones de scriptura occurrente.

Si vero venerit in Quadragesima, Lectiones dicuntur de Epistola B. Pauli Apost. ad Romanos c. 8. Fratres debitores sumus etc. ut in Comm. plurim. Martyr. R. De uno Mart.

In II. Noct. Lectio IV. V. et VI.

De Sermone S. Augustini Episcopi Serm. 44. de Sanctis.

Triumphalis Beati Martyris Valentini dies etc. ut in Communi unius Martyris.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 7.

In illo tempore: dixit Jesus Discipulis suis: Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in ter-

ram: non veni pacem mittere, sed gladium. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri. *Lib. 1. in Matth. cap. 10.*

Supra dixerat: quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, et quod in aure auditis, praedicate super tecta. Nunc infert, quid post praedicationem sequatur. Ad finem Christi totus orbis contra se divisus est: unaquaeque domus, et infideles, et credentes habuit, et propterea bellum missum est bonum, ut rumperetur pax mala. Tale quid et in Genesi adversus rebelles homines, qui moti fuerant de Oriente, et turrem extruere festinabant, per quam coeli alta penetrarent, fecisse scribitur Deus; ut divideret linguas eorum. R. Corona aurea.

Lectio VIII.

Veni enim separare hominem adversus patrem suum. Hic locus prope iisdem verbis in Michaea Propheta scribitur: et notandum, ubicumque de veteri Testamento testimonium ponitur: utrum sensus tantum, an sermo consentiat. Qui amat Patrem aut Matrem plus, quam me, non est me dignus. Qui ante praemiserat: non veni pacem mittere, sed gladium, et dividere homines adversus patrem et matrem, nrum et socrum, ne quis pietatem religioni anteferret, subiecit dicens: Qui amat patrem, aut matrem plus, quam me; et in Cantico legimus Canticorum: Ordinavit in me charitatem. Hic ordo in omni affectu necessarius est: ama post Deum patrem, ama matrem, ama filios.

R. Hic est vere Martyr.

Lectio IX.

Ordo pulcherrimus: ad praedicationem mittit, docet pericula non timenda, affectum subjicit reli-

gioni. Aurum supra tulerat, aes de zona excuserat. Dura Evangelistarum conditio. Unde ergo sumptus, unde victus necessaria? Austeritatem mandatorum spe temperat promissorum. Qui recipit, inquit, vos, me recipit, et qui me recipit, recipit eum, qui me misit: ut in suscipiendis Apostolis unusquisque credentium, Christum se suscepisse arbitretur.

Te Deum laudamus.

Die XVI. Februarii.

In Festo S. JULIANAE,

Virginis et Martyris.

SIMPLEX.

O R A T I O.

Omnipotens, sempiternus Deus, qui infirma mundi eligis, ut fortia quaeque confundas: da nobis in festivitate sanctae Virginis et Martyris tuae Julianae congrua devotione gaudere; ut potentiam tuam in ejus passione laudemus et provisum nobis percipiamus auxilium. Per Dominum.

Lectio III.

Juliana Virgo, Nicomediae ob Christianae fidei Confessionem, Maximiano Imperatore, non solum ab Africano patre verberibus caesa, sed etiam ab Eleusio Praefecto, cui nubere recusarat, in foetidum carcerem detrusa, gravissimis tormentis cruciatur: cum vero nullo poenarum genere à Christiana Religione posset abduci, flammam et ollam ferventem, multis interim ad Christum perductis, mira constantia superavit. Ad extremum capite damnata, de diabolo, et fidei hostibus triumphavit.

Te Deum laudamus.

Si vero in Quadragesima venerit, fit totum Officium de Feria, cum Commemoratione S. Julianae (in 1. Vesp. et Laudib.) sine Lect.

FESTA MARTII.

Die III. Martii.

In Festo S. CUNEGUNDIS,
Virg.

SIMPLEX.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, qui a gloria tua nullum excipis sexum, nullamque conditionem excludis, te suppliciter exoramus; ut sicut sanctae Cunegundi Virgini tuae, post terreni culmen imperii, coelestis regni solium contulisti; ita meritis ejus et precibus nobis quoque famulis tuis aeternae felicitatis praemia largiaris. Per Dominum nostrum.

Lectio III.

Cunegundis Sigefridi Palatini filia, etsi Henrico Caesari nupserit, Virginitatem tamen coluit: quae cum violati thori suspicionem incurrisset, per ignitos vomeres illaesa nudis pedibus incessit. Basilicas varias extraxit. Defuncto marito fidei anulum ab Archi-Episcopo, et Virginum sacrarum velum accepit. Vigilias, preces, rerum sacrarum Lectionem ad multam noctem produxit, fessaque nonnisi in strato cilicino quievit. Tandem quindecim annis in simili virtutum exercitio consumptis, migravit ad Dominum. Viva Coenobii incendium Crucis signo restinxit, et mortua, quam plurimos

variis morbis affectos curavit. Sacrum ejus corpus Bambergae colitur.

Te Deum laudamus.

Die V. Martii.

**In Festo TRANSLATIONIS
S. WENCESLAI,**

Bohemiae Regis et Martyris.

SEMIDUPLEX. *Omnia de Communi unius Martyris, praeter haec, quae assignantur.*

O R A T I O.

Concede, quaesumus, plebi tuae, omnipotens Deus; ut quae Beati Wenceslai Martyris tui translatione laetatur in terris, ejusdem aeterna societate perfruat in coelis. Per Dominum.

In I. Nocturno. *Lectioes de scriptura occurr.*

Si vero Quadragesima fuerit: Fratres debitores, de Communi plurimorum MM.

In II. Nocturno. *Lectio IV.*

Beati Ducis et Martyris Wenceslai corpus, cum triennio jam Boleslaviae, in aede Sanctorum Cosmae et Damiani jaceret, atque ibidem miraculis coruscaret, Pragensem in urbem, Boleslai fratris jussu, translatum est. Qui viventi manus intulerat, in mortuum etiam impius fuit. Itaque plastro impositum clam omnibus, vitata populi frequentia, unius noctis spatio, inglorium, et inhonoratum deferri a suis imperavit, poena aurigae imposita, ut, nisi ante lucem Pragam pervenisset, capite plecteretur. Sed haec consilia Deus admirabiliter dissipavit.

R. *Honestum fecit illum.*

Lectio V.

Contendunt, uti imperatum fuerat, festinatione summa. Binos fluvios, aquis tunc praeter solitum redundantes, equorum pedibus tantum madefactis, transmittunt. Ubi ad carcerem, Arci Pragensi subiectum, deventum est, ita equi constitere, ut inde dimoveri non possent, nisi clara jam luce, cum plurimi ingenti concursu convenissent. Quod Boleslaus maxime vitabat, ejusque satellites obstinate pernegabant, planum est omnibus factum, sacratissimum Beati Wenceslai corpus ab ipsis deferri.

R. Desiderium.

Lectio VI.

Accessit miraculum aliud, quo res illustrior fieret. Vincti ad unum omnes, qui carcere custodiebantur, divinitus reddituri libertati, in cujus rei memoriam aedes, S. Wenceslai nomine, insignis, ibidem constructa est. Attonitis ob haec prodigia omnibus, Beati Principis corpus in sancti Viti templum, quod ipse olim fundaverat, fuit illatum. Rejctis involucris, una dempta auricula, quae deinde capiti admota momento cohaesit, artus plane integros; obductis vulnerrum cicatricibus, summa cum admiratione reperiunt. Itaque inter Hymnos et cantica, cum omnia facibus collucerent, Sacerdotum, Clericorumque opera, ea, qua par erat, veneratione reconditum fuit. R. Stola jucunditatis.

In III. Nocturno. Homilia S. Gregorii P. in Evangelium: Si quis vult post me venire, *ut in Communi unius Mart. ad finem.*

Die XVIII. Martii.
In Festo S. GERTRUDIS,
 Virginis.

SEMIDUPLEX. *Omnia de Communi Virginum non Martyrum, praeter ea, quae hic ponuntur.*

O R A T I O.

Indulgentiam tuam nobis, Domine, Beata Gertrudis Virgo imploret: quae tibi grata semper extitit et merito castitatis, et tuae professione virtutis. Per Dominum.

O R A T I O.

Alias in Dioecesi usitata.

Aures tuas precibus nostris omnipotens Deus accomoda, et praesta, ut qui B. Gertrudis Virginis tuae solennia devoto affectu amplectimur, ipsius meritis et intercessione castitatis munere insigniti, ab omnibus adversitatibus corporis et animae custoditi, gaudia post mortem consequi mereamur aeterna.

In I. Nocturno. *Lectioes: De Virginibus praeceptum Domini etc. de Communi Virg. Si transferatur post Pascha: de scriptura occurr.*

In II. Noct. **Lectio IV.**

Sancta Gertrudis Virgo, clarissimis parentibus, patre Pipino, magno Regis Francia Procuratore domus, matre vero Itta, femina pudicissima, sanctaque nata fuit. Modestiam et humilitatis virtutem a prima aetate ita coluit, ut ancillis suis se ministram ancillamque praestaret. Rex Dagobertus, cum eam Ducis Austrasiae filio, qui tum in comitatu ejus erat, uxorem postularet, Virgo respondit: se neque hunc, neque mortalium quem-

piam, sed solum Christum Deum Sponsum habere velle. Juvenis ille repulsam passus, cum nihilominus à proposito non desisteret, Virgo sancta, Parentum auxilio in orientalem Franciam cum Atalango Presbytero, et Bernardo Diacono profugit: ibique in loco, qui Caroli montis nominatur, per divinam revelationem corpora sanctorum Martyrum Kiliani, et sociorum ejus invenerunt.

R. Propter veritatem, et mansuetudinem.

Lectio V.

Pipino patre, simul et juvene illo proco mortuis, beata Gertrudis ad matrem rediit; domum suam in monasterium Sanctimonialium, Amando Episcopo adjutore, converterunt. Et ne Gertrudis à quibusquam procis amplius patetetur insidias, mater ipsa filiae capillum abscidit. Quae aliquanto post inter Virgines suscepto velamine consecrata est. Post obitum matris, cum ipsa monasterii curam suscepisset, ut liberius Deo serviret, sacrisque studiis vacare posset, eam, exemplo Moysis divisit in plures. Interim non solum in sacrarum literarum scientia, sed in spiritualibus quoque virtutibus ita profecit, ut à sororibus lux aliquando sphaerae igneae super eam irradiare sit visa. Nuntios quoque suos in mari periclitantes, invocata, licet absens, corpore liberavit. Ad haec Beati Martyris Foillani corpus, indicio supernae revelationis, ipsa meruit invenire. R. Dilexisti justitiam.

Lectio VI.

Cum divino spiritu se morti proximam esse cognovisset, ut reliquum trium mensium tempus in opera pietatis, et beatæ vitae studium, sanctius expenderet, omnem monasterii curam Volfetrudi cognatae suae tradidit. Sepulturam qualem habere vellet, omni pompa vacuum, ordiavit: Corpus tau-

tum cilicio, quo uti consueverat, caput autem vili quodam velo, a sacra quadam Virgine donato, tegi voluit. Deinde a sancto Ultano Monacho de die obitus sui facta certior, anno aetatis suae trigesimo tertio, sumpto sacratissimi corporis viatico animam suam Creatori Deo reddidit, Beato Patritio cum sanctis Angelis illi, ut Vates Ultanus praedixerat, occurrente. Eadem enim dies, nempe Martii decima septima sancto Patritio Hibernorum Apostolo jam pridem erat sacra.

R. Adducentur Regi Virgines.

In III. Nocturno. *Homilia S. Gregorii Papae in Evangelium: Simile est regnum coelorum decem Virginibus; de Communi Virginum. Lectio 9 et Commemoratio Ferae in Quadragesima.*

FESTA APRILIS.

Die II. Aprilis.

In Festo
S. FRANCISCI de Paula,
Confessoris.

DUPLEX. *Omnia ut in Breviario Romano.*
Commemoratio S. Mariae Aegyptiacae.

In Vesp. *Antiph.* Simile. **R.** Specie.

O R A T I O.

Deus, qui nos in solemnitate Beatae Mariae peccatricis adunare voluisti: concede propitius; ut ejus glorioso interventu post vitae fragilis terminum, tibi in aeternitate tua mereamur associari. Per Dominum nostrum.

Lectio IX.

Maria nata in Aegypto, duodecimo aetatis anno Alexandriae per septemdecim annos se ignominiose prostituit; quae cum una cum aliis Jerosolymam venisset, ingressura Ecclesiam iterum ac tertio ab ipso limine invisibilem repulsam passa est; quare ante imaginem Deiparae prostrata saeculo se renonciaturam promisit. Ingressa sine impedimento audivit vocem: Si transieris Jordanem, salva eris. Jordane superato per quadraginta septem annos austerrime vixit: Tandem ab Abbate Zozyma in eremo reperta, omnem vitae suae rationem aperuit, ac in die Coenae Domini facto Crucis signo super aquas transiens, sacra Eucharistia refecta, quievit in Domino. Corpus sequenti anno Zozymas, leone terram effodiente, sepelivit.

Te Deum laudamus.

*Die IV. Aprilis.***In Festo S. ISIDORI,**

Episc. et Conf.

DUPLEX. *Omnia de Communi Conf. Pontificis praeter ea, quae hic ponuntur propria.*

Ad Magnificat.

In utrisque Vesperis Antiph. O Doctor optime etc.

O R A T I O.

Deus, qui populo tuo aeternae salutis Beatum Isidorum Ministrum tribuisti: praesta, quaesumus, ut quem Doctorem vitae habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in coelis. Per Dominum nostrum etc.

In I. Nocturno. *Lectiones, Sapientiam omnium antiquorum, de Communi Doctor.*

In II. Nocturno. Lectio IV.

Isidorus natione Hispanus, Doctor egregius, ex nova Carthagine Severiano Patre Provinciae Duce natus, a sanctis Episcopis Leandro Hispalensi, et Fulgentio Carthaginensi fratribus suis pie, et liberaliter educatus, latinis, graecis, et hebraicis literis, divinisque, et humanis legibus instructus, omni scientiarum, atque Christianarum virtutum genere praestantissimus evasit. Adhuc adolescens haeresim Arianam, quae Gentem Gothorum Hispaniae latissime dominantem jam pridem invaserat, tanta constantia palam oppugnavit, ut parum abfuerit, quin ab Haereticis necaretur. Leandro vita functo ad Hispalensem Cathedram invitatus quidem, sed urgente in primis Recaredo Rege, magnoque etiam Cleri populique consensu assumitur, ejusque electionem sanctus Gregorius Magnus, nedum autoritate Apostolica confirmasse, sed et electum transmissio de more pallio decorasse, quin etiam suum, et Apostolicae Sedis in universa Hispania Vicarium constituisse perhibetur.

R. Inveni David.

Lectio V.

In Episcopatu quantum fuerit constans, humilis, patiens, misericors, in Christiana, et ecclesiastica disciplina instauranda sollicitus, eaque verbo, et scriptis stabilienda indefessus, atque omni demum virtutum ornamento insignitus, nullius lingua enarrare sufficeret. Monastici quoque instituti per Hispaniam promotor, et amplificator eximius plura construxit Monasteria, Collegia itidem aedificavit, ubi studiis sacris, et lectionibus vacans, plurimos discipulos, qui ad eum confluebant, erudivit, quos inter sancti Ildephonsus Toletanus et Braulio Caesaraugustanus Episcopi enicuerunt. Coacto Hispali concilio Acephalorum haeresim Hi-

spaniae jam minitantem, acri, et eloquenti disputatione fregit, atque contrivit. Tantam apud omnes sanctitatis, et doctrinae famam adeptus est, ut elapso vix ab ejus obitu sextodecimo anno universa Toletana Synodo duorum supra quinquaginta Episcoporum plaudente, ipsoque etiam sancto Ildephonso suffragante, Doctor egregius Catholicae Ecclesiae novissimum decus, in saeculorum sine doctissimus, et cum reverentia nominandus appellari meruerit, eumque sanctus Braulio non inodo Gregorio Magno comparaverit, sed et erudiendae Hispaniae loco Jacobi Apostoli coelitus datum esse censuerit.

R. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Scriptis Isidorus libros Etimologiarum, et de Ecclesiasticis officiis, aliosque quamplurimos Christianae et Ecclesiasticae disciplinae adeo utiles, ut sanctus Leo Papa Quartus ad Episcopos Britanniae scribere non dubitaverit, sicut Hieronymi, et Augustini, ita Isidori dicta retinenda esse, ubi contigerit inusitatum negotium, quod per Canones minime definiri possit. Plures etiam ex ejusdem scriptis sententiae inter Canonicae Ecclesiae leges relatae conspiciuntur. Praefuit Concilio Toletano quarto omnium Hispaniae celeberrimo. Denique cum ab Hispania Arianam haeresim eliminasset, morte sua, et Regni vastatione à Saracenorum armis, publice praenunciata, postquam quadraginta circiter annos suam rexisset Ecclesiam, Hispali migravit in coelum anno sexcentesimo trigesimo sexto. Ejus corpus inter Leandrum fratrem, et Florentinam sororem, ut ipse maudaverat, primo conditum, Ferdinandus Primus Castellae et Legionis Rex ab Eneto Saraceno Hispali dominante, magno pretio redemptum Legionem transtulit, et in ejus ho-

norem templum aedificatum est, ubi miraculis clarus, magna populi devotione colitur.

R. Iste est.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum. Cap. 5.

Lectio VII.

In illo tempore dixit Jesus discipulis suis: Vos estis sal terrae. Quod si sal evanuerit, iu quo salietur? Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, et conculcetur ab hominibus. Et reliqua.

Homilia S. Isidori Episcopi. Ex lib. 2. Officiorum ad S. Fulgentium. Cap. 5.

Qui in erudiendis, atque instituendis ad virtutem populis praeerit, necesse est, ut in omni-
bus Sanctus sit, et in nullo reprehensibilis habeatur. Qui enim alium de peccatis arguit, ipse à peccato debet esse alienus. Nam qua fronte subjectos arguere poterit, cum illi statim possit correctusingere, ante doce te quae recta sunt? Primitus quippe semetipsum corrigere debet, qui alios ad bene vivendum admonere studet, ita ut in omnibus semetipsum formam vivendi praebeat, cunctosque ad bonum opus, et doctrina, et opere provocet. Cui etiam scientia scripturarum necessaria est. Quia si Episcopi tantum sancta sit vita, sibi soli prodest, sic vivens. Porro si et doctrina, et sermone fuerit eruditus, potest caeteros quoque instruere, et docere suos, et adversarios repercutere, qui nisi refutati fuerint, atque convicti, facile possunt simplicium corda pervertere.

R. Amavit eum Dominus.

Lectio VIII.

Hujus sermo debet esse purus, simplex, apertus, plenus gravitatis et honestatis, plenus suavitatis, et gratiae, tractans de mysterio legis, de

doctrina fidei, de virtute continentiae, de disciplina justitiae; unumquemque admonens diversa exhortatione, juxta professionem, morumque qualitatem, scilicet, ut praenoscat quid, cui, quando, vel quomodo proferat. Cujus prae ceteris speciale officium est, scripturas legere, percurrere Canones, exempla Sanctorum imitari, vigiliis, jejniis, orationibus incumbere, cum fratribus pacem habere, nec quemquam de membris suis discerpere, nullum damnare, nisi comprobatum, nullum excommunicare, nisi discussum. Quique ita humilitate pariter et autoritate praeesse debet, ut neque per nimiam utilitatem suam subditorum vitia convalescere faciat, neque per immoderantiam severitatis potestatem exerceat, sed tanto cautius erga commissos sibi, quanto durius a Christo indagari formidat.

R. In medio Ecclesiae aperuit.

Lectio IX.

Tenebit quoque illam supereminentem donis omnibus charitatem, sine qua omnis virtus nihil est. Custos enim castitatis charitas, locus autem hujus custodis humilitas. Habebit etiam inter haec omnia castitatis eminentiam; ita ut mens Christo dedita, ab omni inquinamento carnis sit munda, et libera. Inter haec oportebit cum sollicita dispensatione curam pauperum gerere, esurientes pascere, vestire nudos, suscipere peregrinos, captivos redimere, viduas ac pupillos tueri, pervigilem in cunctis exhibere eam, providentiam habere distributione discreta. In quo etiam hospitalitas ita erit praecipua, ut omnes cum benignitate, et charitate suscipiat. Si enim omnes fideles illud Evangelicum audire desiderant: hospes fui, et suscepistis me; quanto magis Episcopus, cujus diversorium cunctorum debet esse receptaculum?

Te Deum laudamus.

Dic XXIII. Aprilis.

In Festo S. ADALBERTI,

Episcopi et Martyris.

DUPLEX MAJUS. *Omnia de Communi Martyrum tempore Paschali, exceptis iis, quae hic sequuntur propria.*

O R A T I O.

Tuam nobis indulgentiam, quaesumus, Domine Beatus Adalbertus Episcopus et Martyr imploret: ut et delicta nobis clementer ignoscas, et beneficia desiderata concedas. Per Dominum nostrum etc.

In I. Nocturno. *Lectioes de Communi unius Martyris: A Mileto Paulus. -R. Beatus vir etc. ut tempore Paschali.*

In II. Noct. Lectio IV.

Adalbertus, Episcopus Pragensis, in Bohemia nobilissimis parentibus, Slaunico Libicensi Comite, ac Strezyslava natus, Woitechus antea patrio sermone dictus fuit: ab Episcopo antem Magdeburgensi Adalberto, apud quem deinceps pie ac honestissime educatus est, alterum nomen accepit. Postquam Ditmaro in Episcopatu Pragensi successit, eum sanctissime in magna vitae continentia, pietate, pauperumque cura gessit. Propter contumacis tamen populi gravia peccata deserere illum coactus, Sedem Apostolicam hac de re consulturus, in Italiam se contulit.

R. Lux perpetua.

Lectio V.

Peregrinatione Hierosolymitana, quam instituerat, intermissa, Romae Leoni Abbati sancti Bonifacii commendatur. Ibi cum in religiosa vita quin-

quemini exegisset, à Pragensibus, pertaesis orbitatis, denno revocatur. Principis ipsius, et Archi-Episcopi Moguntini munitis, precibusque exoratus Pontifex, redire Adalbertum ad suos jubet. Recipiunt laeti reducem, non diu tamen illi obtemperant: sacras enim aedes invadunt, fontesque, qui ad illas confugerant, per vim ereptos interficiunt. Iterum illos deserit Adalbertus; animoque ad convertendas gentes alias, et ad Martyrium destinato, ut benedictionem tamen Sedis Apostolicae obtineat, Romam revertitur.

R. In servis suis.

Lectio VI.

Denuo Pragenses, et Moguntini Adalbertum repetunt. Cumque jussu Pontificis iterum ad illos rediret, tres fratres suos ab eis caesos esse cognoscit. Praguesem ergo viam praeclusam sibi, mentesque illorum à se alienatas esse videns, Deo gratias actis, convertendi gentes, quod Romanus Pontifex probaverat, institutum suum prosequitur. Hungariam cum Rege Geisa, ejusque filio S. Stephano, in fide Christi confirmat. Silesiam et Poloniam vicinam, cognatamque Bohemis suis gentem, salutaribus praeceptis copiosius instruit. Post triennium autem Radzino fratre in Archi-Episcopatum Guezuensem suffecto, ipse in Prussiam idolis adhuc et daemonibus servientem, proficiscitur. Ibi dum religionem Christianam disseminaret, apud Fishausum, sinus Venedici oppidum, inter sacrificandum confossus, et in partes dissectus est. Corpus ejus à Boleslao Chrabro Principe Poloniae postea redemptum, et in Tremense Monasterium prius, deinde Guezuam Metropolim honorifice translatum est.

R. Filiae Jerusalem.

In III. Nocturno.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. Cap. 10.

In illo tempore: dixit Jesus Phariseis: Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papae. *Homil. 17. in Evangelia.*

Est aliquid, fratres charissimi, quod me de vita Pastoris vehementer affligit. Ad exteriora enim negotia delapsi sumus, et aliud ex honore suscipimus, atque aliud ex officio actionis exhibemus. Ministerium praedicationis relinquimus, et ad poenam nostram, ut video, Episcopi vocamur, qui honoris nomen, non virtutis tenemus. Relinquant namque Deum hi, qui nobis commissi sunt, et tacemus: in pravis actionibus jacent, et correptionis manus non tendimus: quotidie per multas nequitias pereunt, et eos ad infernum tendere negligenter videmus.

R. Ego sum vitis.

Lectio VIII.

Sed quomodo nos vitam corrigere valeamus alienam, qui negligimus nostram? Curis enim saecularibus intenti, tanto insensibiliores intus effici-mur, quanto ad ea, quae foris sunt, studiosiores videmur. Usu quippe curae terrenae à coelesti desiderio obdurescit animus: et dum ipso suo usu durus efficitur per actionem saeculi, ad ea emolliri non valet, quae pertinent ad charitatem Dei. Unde bene sancta Ecclesia de membris suis infirmantibus dicit: Posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodivi.

R. Candidi facti sunt.

Lectio IX.

Considerate ergo, quid de gregibus agatur quando pastores lupi fiunt: hi enim custodiam gregis suscipiunt, qui insidiari gregi Dominico non metuntur, contra quos greges Dei custodire debuerant. Nulla animarum lucra quaerimus, ad nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Et quia eo ipso, quo caeteris praelati sumus, ad agenda quaelibet maiorem licentiam habemus: susceptae benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum. Dei causas relinquimus, ad terrena negotia vacamus. Locum sauctitatis accipimus, et terrenis actibus implicamur. Impletum est in nobis profecto, quod scriptum est: Et erit sicut populus, sic sacerdos.

Te Deum laudamus.

Dic XXIV. Aprilis.

In Festo S. GEORGII,
Martyris.

DUPLEX. *Omnia de Communi unius Martyris praeter sequentia.*

O R A T I O.

Deus, qui nos Beati Georgii Martyris tui meritis et intercessione laetificas: concede propitius, ut qui tua per eum beneficia poscimus, dono tuae gratiae consequamur. Per Dominum nostrum etc.

In I. Noct. Lectiones de scriptura occurrente.

In II. Nocturno. Lectio IV.

Georgius nobilis Cappadox moribus ac facultatibus valde illustris a puero Christianae fidei mysteriis fuit imbutus: in juvenili aetate corporis robore praestans, castra secutus, sub Diocletiano

Imperatore, qui eminentem sui militis virtutem suspiciebat, eum tamen Christianum esse ignorabat, primariam militiae dignitatem tribuni militum mervit. Sed cum Imperator Christianam religionem prorsus extinguere et ejus nominis omnes atrocissimis suppliciis è medio tollere decrevisset, consilium auxiliumque in hunc finem à suis precaretur, solus Georgius, qui bucusque religionem suam pectore celatam foverat, iniquo Imperatoris petito subscribere recusavit.

R. Lux perpetua.

Lectio V.

Ex quo ejus facto illum esse Christianum omnes cognoverunt; quam ob rem omnibus modis tentarunt à proposito religionis suae fortissimum Christi Heroem dimovere, sed nullis blanditiis allici nec minis flecti potuit; imo ad Imperatorem conversus, non timuit eum commonere, ut potius verum Deum agnosceret; quibus verbis excaudescens tyrannus mandat Georgium in teterrimum carcerem abripi, ferreisque catenis onerari, postera autem die ad tribunal evocatum, dum in confessione fidei constans appareret, in rotam agi diris mucronibus armatam, quo ejus corpus dilaniaretur, quibus in tormentis voce de coelo lapsa confortatus, quanto majora fuerunt ejus tormenta, tanto major emicuit ejus constantia, et in perferendis cruciatibus invicta patientia.

R. In servis suis.

Lectio VI.

Perductus deinde ad Apollinis templum, ut idolis sacrificaret, efformavit signum Crucis, quo omnia deorum simulacra cum terribili fremitu et ejulatu contrita in terram proruere, ex quo spectaculo magna gentium multitudo in Christum credidit. Conurbatus autem Imperator et excitatus clamoribus populi urgentis Georgium tanquam magnum ac deo-

rum violatorem e medio tollere, veritusque, ne malum serperet, jussit eum capite plecti. Ductus itaque ad locum supplicii sanctus Martyr, aliquid sibi temporis ad orandum a lictoribus petiit ac obtinuit, submissisque in terram genibus, Deo pro se et inimicis suis preces fudit et impavide stricto ferro cervicem praebeuit, anno ducentesimo nonagesimo, nono Calendas Maji Diospoli urbe Persiae. Hunc sanctum Martyrem Reges et bellorum Duces pro felici armorum successu, sicut et Ecclesia Romana tamquam apud Deum potentissimum Ducem ac tutorem adversus Christianae fidei hostes invocare solent.

R. Filiae Jerusalem.

In III. Noct. *Homilia in Evang.* Ego sum vitis vera. *De communi Martyrum tempore Paschali.*

FESTA MAJI.

Die I. Maji.

In Festo

SS. PHILIPPI et JACOBI,

Apostolorum.

Lectio IX.

De S. WALBURGE, Virgine.

Walburgis, in Anglia nata, Abbatissa monasterii Heidenheim, Eystadiensis Dioecesis, Virgo sanctissima, conversatione, atque multis virtutibus et signis clara enituit. Ad cujus sanctitatem declarandam, Deus varia beneficia pie petentibus, sub ipsius patrocinio, clementer ostendit. Obiit

vero quinto Kalendas Martias in monasterio suo; ubi corpus ejus primum conditum est; postea vero sacrae ipsius reliquiae Kalendis Maji Eystadium translatae, stillando oleum, perenni fulgent miraculo.

Te Deum laudamus.

Et fit Commemoratio in Laudibus tantum.

Antiph. Simile est. V. Diffusa.

O R A T I O.

Omnipotens sempiterne Deus, castarum mentium conservator et custos, adesto piis Ecclesiae tuae precibus: et intercedente beata Walburge, Virgine tua, mentibus nostris pius illabere, et spiritualis vitae nobis tribue facultatem. Per Dominum nostrum.

Die V. Maji.

In Festo S. GOTHARDI,

Episcopi et Confessoris.

DUPLEX. *Omnia de Communi Confessoris Pontificis, exceptis, quae sequuntur.*

O R A T I O.

Deus, qui meritis sancti Gothardi Confessoris tui, atque Pontificis semper es, et ubique mirabilis: quaesumus clementiam tuam, ut sicut ei eminentem gloriam contulisti, sic ad consequendam gratiam tuam, ejus nos facias precibus adjuvari. Per Dominum nostrum etc.

In I. Noct. Lectiones de scriptura occurrente.

In II. Noct. Lectio IV.

Praeclara indole puer Gothardus, in Bavaria, juxta monasterium Althæuse parentibus Christianis natus, in idem monasterium, literarum disciplinis erudiendus traditor. Ubi in sacris studiis si-

mol et pietate tantos progressus fecit, talemque se exhibuit, ut non modo sacris ordinibus initiari, sed etiam in ejusdem monasterii Pastorem, et Abbatem, communi fratrum consensu eligi meruerit. Sic vero monasterio, in sanctitate, et justitia Deo serviens praefuit, ut et exactissimam religiose vivendi normam in se exprimeret, et vigiliarum, orationum, jejuniorum frequentia, et assiduitate, magnaue vitae austeritate cunctis admirando exemplo esset.

R. Inveni David.

Lectio V.

Hac vitae ratione, ac monasticae disciplinae reformandae studio, non tantum suum monasterium, sed etiam Hersfeldense, Degerense, et Cremense, quorum cura ei incumbibat, ad sancti instituti perfectam observationem revocavit. Sanctitatis igitur ejus fama longe, lateque diffusa, Gothardus a sancto Henrico Imperatore, ad regimen Hildesheimensis Ecclesiae vocatur. At ille, diu, multumque renitens, tandem manifestae divinae vocationi obsequens, ejusdem Ecclesiae Episcopus constituitur. Quanta tum ejus sanctitas enituerit, mira opera, quae Deus per eum edere dignatus est, satis declarant.

R. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Exacto vitae curriculo, in Vigilia ascensionis Domini, quam vitae suae terminum fore praedixerat, sacro oleo prius unctus, media nocte, dum a fratribus in matutinis laudibus versus cantici Zachariae caneretur: *illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent*, Vir sanctus in extremo jam mortis agone desudans, sublatis aegre oculis, subjunxit: *Ad dirigendos pedes nostros in viam*

pacis. Clero vero: Gloria Patri, et Antiphonam: Ascendo ad Patrem meum, concinente, felicissima anima ad coelos migravit. Sepultus in aede primaria Hildesheimensi, multis ibidem claret miraculis.

R. Iste est, qui ante Deum.

Iu III. Nocturno. Homilia S. Hilarii Episcopi in Evangelium, Vigilate, ut in Communi Confessoris Pontificis secundo loco.

Die VII. Maji.

In Festo S. STANISLAI,

Episcopi et Martyris.

DUPLEX MAJUS. *Omnia dicuntur de Communi Martyris ut in Breviario exceptis Lectionibus tertii Nocturni, quae ita leguntur.*

Iu III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. Cap. 10.

In illo tempore: Dixit Jesus Pharisaeis: Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi. De verbis Domini, Serm. 50.

Audivimus Dominum Jesum commendantem nobis boni pastoris officium: in qua commendatione admonuit nos utique, ut intelligi datur, bonos esse pastores. Et tamen ne intelligeretur perverso modo multitudo pastorum, ego sum, inquit, Pastor bonus, et unde sit Pastor bonus, consequenter ostendit: Pastor, inquit, bonus, animam suam pro ovibus ponit. Pastor ergo bonus Christus. Quid Petrus? nonne bonus Pastor? Nonne et ipse animam suam pro ovibus posuit? Quid Paulus? quid caeteri Apo-

stoli? Quid eorum tempora consequentes beati Episcopi Martyres? Quid etiam sanctus Stanislaus? nonne omnes pastores boni, non mercenarii, de quibus dicitur: Amen dico vobis, perceperunt mercedem suam? Omnes ergo illi pastores boni, non solum, quia sanguinem fuderunt, sed quia pro ovibus fuderunt. Non enim fuderunt elatione, sed charitate.

R. Ego sum vitis vera.

Lectio VIII.

Nam et apud haereticos, qui propter iniquitates et errores suos aliquid molestiarum perpessi fuerunt, nomine Martyrii se jactant; ut hoc pallio dealbati facilius furentur, quia lupi sunt. Si autem vultis scire, in quo numero habendi sunt, pastorem bonum, Paulum Apostolum audite; quoniam non omnes, qui corpora sua in passione etiam ignibus tradunt, aestimandi sunt, sanguinem fudisse, non pro ovibus, sed potius contra oves. Si distribuero, inquit, omnia mea pauperibus, et tradidero corpus meum ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Ecce venit ad passionem: ecce venit et ad sanguinis effusionem, venit et ad corporum incensionem: et tamen nihil prodest, quia charitas deest. Adde charitatem, prosunt omnia: detrahe charitatem, nihil prosunt caetera.

R. Candidi facti sunt.

Lectio IX.

Quale bonum est charitas ista, fratres? Quid pretiosius? Quid luminosius? quid firmitus? quid utilius? quid securius? Multa sunt Dei dona, quae tamen habent et mali, qui dicturi sunt: Domine in nomine tuo prophetavimus: in nomine tuo daemonia ejecimus: in nomine tuo virtutes multas fecimus. Nec respondebit ille: non fecistis: non enim in conspectu tanti Judicis audebunt mentiri aut ja-

ctare, quae non fecerunt; sed quia charitatem non habuerunt, respondebit omnibus illis: non novi vos. Quomodo autem habet vel exiguam charitatem, qui etiam convictus non amat unitatem? Hanc Dominus unitatem commendans pastoribus bonis, commendans pastores bonos, noluit multos appellare pastores. Neque enim, ut dixi jam, non erat Pastor bonus Petrus, Paulus, Apostoli caeteri, et posteriores sancti Episcopi, beatosque Stanislaus? Omnes hi pastores boni, et tamen ille pastoribus bonis non commendavit pastores bonos, sed pastorem bonum. Ego sum, inquit, Pastor bonus.

Te Deum laudamus.

Die XI. Maji.

In Festo S. FLORIANI,

Martyris.

SEMIDUPLEX. *Omnia dicuntur de Communi unius Martyrsi, exceptis quae hic notantur, pro tempore, uti celebrabitur.*

O R A T I O.

Dens, qui nos beati Floriani Martyris tui solemnitate laetificas: concede propitius: ut cujus gloriosum triumphum veneramur in terris, societatis ejus laetitiam adipisci mereamur in coelis. Per Dominum.

In I. Nocturno. *Lectiones de scriptura occurr.*

In II. Nocturno. *Lectio IV.*

Florianus Martyr, passus est Diocletiano, et Maximiano Imperatoribus, persecutione decima, eaque ultima. Cum Theciae audivisset, quadraginta milites, qui sub ejus signis aliquando stipendia merebant, Laureacum Norici Martyrii causa ablega-

tos, ac ibi variis tormentis consumptos esse, festine ad illud oppidum se contulit: tarpe putans, veterannm in gloriosa victoria à Tyronibus vinci. Comprehensus sistitur Aquilino Praefecto. Qui cum in confessione Jesu Christi constanter perseveraret, fustibus Praefecti jussu, semel atque iterum caeditur in scapulis, deinde ferro acuto graviter verberatur. Ad extremum, saxo ad collum appenso, in fluvium Anisum dejici jubetur.

R. Lux perpetua. vel R. Honestum.

Lectio V.

Gaudens ibat à conspectu Judicis Florianns. Ad pontem ubi venit, impetrat orationis tempus. In quo cum tota hora commoraretur, audacior quidam accurrit, ac Martyrem in fluvium dejecit, in quem confestim cecidit caligo et tenebrae. Sed ecce Dei servis serviunt omnia. Deportat fluvius sancti corpus et ad saxum exponit. Mittitur à Deo inusitatae magnitudinis aquila, quae corpus sancti ab omni protexit injuria. Apparet demum in somnis piaecuidam mulieri Valeriae, ac ut corpus suum condant, admonet. Romam postea transfertur, ac cum Principibus Diaconis, Stephano et Laurentio collocatur, magno urbis solatio ac praesidio. Nam ejus adventu omnis barbarorum furor, qui tunc urbem, ac universam Italiam vexabat, resedit, paxque optata restituta est.

R. In servis suis. vel

R. Desiderium.

Lectio VI.

Tandem anno Domini millesimo, centesimo, octogesimo tertio, Casimirus bello et pace clarus Poloniae Princeps, una cum Gedeone Episcopo Cracoviensi, ad Lucium tertium summum Pontificem mittunt, praecantes, ut illis alicujus e sanctis Mar-

tyribus ossa impertiantur, qui genti et urbi contra Prussos, Tartaros, aliasque barbaras gentes pro muro et vallo esset. Mittuntur ergo per Aegyptum Episcopum Mutinensem sacra ossa. Gens tota cum rege suo ad septem milliaria tanto hospiti obviam effusa prodit. Deponitur honorifice Martyr in templo à Casimiro extructo: pars corporis in primarium templum deferitur, ac marmoreo altari includitur.

R. Filiae Jerusalem. vel

R. Stola iucunditatis.

In III. Nocturno. *Tempore Paschali.*

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. Cap. 15.

In illo tempore: dixit Jesus Discipulis suis; Ego sum vitis vera, et Pater meus agricola est. Et reliqua.

Homilia S. Cyrilli Episcopi Alexandrini. *Lib. 10. Cap. 13. in Joannem.*

Ut quantum oporteat inhaerere sibi, et ab eo pendere, quantum nobis hoc prodest, ostenderet, vitem se ipsum exempli ratione, et palmites affixos in eo credentes appellavit: qui participatione spiritus, per quem Salvatori jungimur, naturae suae communicamus. Qui enim Domino, ut ait Paulus, adhaeret, unius est spiritus cum eo.

R. Ego sum vitis vera.

Lectio VIII.

Quemadmodum igitur voce prophetica basis et fundamentum appellatur (in ipso enim aedificamur vivi lapides, spiritualesque facti ad habitaculum Dei in spiritu et sacerdotium sanctum: nec aedificari nisi per Christum possumus); sic vitis appellatur, ut mater et nutrix palmitum. Regenerati enim ex Christo, et per ipsum in spiritu sumus, ad referendum fructum vitae, non illius priscae, sed hn-

jus novae, quae est per fidem et charitatem erga ipsum.

R. Candidi facti sunt.

Lectio IX.

Conservamur autem in hoc statu, et ad hoc (ut ita dixerim) inserti quodammodo ipsi sumus, id est, firmiter retinentes tradita nobis ab ipso mandata, studentesque hujus nobilitatis bonum servare. Quod fit, si Spiritum sanctum, per quem in nobis Deus habitat, non offendamus. Joannes enim ostendit aperte, quomodo in Christo sumus: In hoc, inquit, cognoscimus, quoniam in eo sumus, et ipse in vobis: quoniam de spiritu suo dedit vobis. Et rursus: qui dicit se in eo manere, debet, ut ille ambulavit, ipse quoque ambulare.

Te Deum laudamus.

In III. Nocturno. *Extra tempus Paschale.* Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 10.

In illo tempore: dixit Jesus Discipulis suis: Nolite arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram; non veni pacem mittere sed gladium. Et reliqua.

Homilia S. Hilarii Episcopi. Cap. 10.

Quae ista divisio est? Inter prima enim legis praecepta accipimus: honora patrem tuum, et matrem tuam; et ipse Dominus ait: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Quid sibi vult missus potius gladius in terram, et separatus a patre filius, et filia a matre, et nurus adversus socrum, et hominis domestici ejus inimici? Igitur exinde publica autoritas impietati praeferetur. Ubique odia, ubique bella, et gladius Domini inter patrem, et filium, et filiam matremque desaeviens.

R. Corona aurea.

Lectio VIII.

Gladus telorum omnium telum acutissimum est, in quo sit jus potestatis, et iudicii severitas, et animadversio peccatorum. Et hujus quidem teli nomine, novi Evangelii praedicationem appellatam, frequens in Prophetis auctoritas est. Dei igitur verbum nuncupatum meminerimus in gladio, qui gladius missus in terram est, id est, praedicationem ejus, hominum cordibus infusam, sitque gravis in domo una dissensio, et domestica novo homini erunt inimica, quia ille per verbum Dei divinus ab illis manere, et interior, et exterior, id est, et corpus, et anima, in spiritus novitate gaudebit.

R. Hic est vere Martyr.

Lectio IX.

Pergit deinde eodem praeceptorum, et intelligentiae decursu: nam posteaquam relinquenda omnia, quae in saeculo charissima sunt, imperaverat, adjecit: qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus; quia, qui Christi sunt, crucifixerunt corpus cum vitiis, et concupiscentia. Et indignus est Christo, qui non crucem suam, in qua compatimur, commorimur, consepelimur, consurgimus, accipiens, Dominum sit secutus; in hoc sacramento fidei spiritus novitate victurus.

Te Deum laudamus.

Die XIII. Maji.

In Festo S. PII Quinti Papae, Confessoris.

SEMIDUPLEX. *Omnia de Communi Confessoris Pontificis praeter sequentia.*

O R A T I O.

Deus, qui ad conterendos Ecclesiae tuae hostes, et ad divinum cultum reparandum, Pium Quin-

tum Pontificem Maximum eligere dignatus es: fac nos ipsius defendi praesidiis, et ita tuis inhaerere obsequiis, ut omnium hostium superatis insidiis, perpetua pace laetemur. Per Dominum nostrum etc.

Fit Commemoratio S. Servatii Episcopi et Confessoris.

O R A T I O.

Deus, qui populo tuo sanctum dedisti Servatium praedicatorem: concede, quaesumus, ut tanti Pontificis intercessione, et tuae pietatis defensione, ab omnibus ubique liberemur adversis, et tranquilla prosperitate in tua jugiter laude laetemur. Per Dominum nostrum.

In I. Noct. *Lectiones de scriptura occurrente.*

In II. Noct. Lectio IV.

Pius in Oppido Insubriae, quod Poschum vocant, natus, sed e Bononia oriundus ex nobili Ghisleriorum familia, cum quatuordecim esset annorum, Ordinem Praedicatorum ingressus est. Erat in eo admirabilis patientia, profunda humilitas, summa vitae austeritas, continuum orationis studium, et regularis observantiae, ac divini honoris ardentissimus zelus. Philosophiae vero, ac Theologiae incumbens, adeo in iis excelluit, ut illas docendi munus magna cum laude per multos annos exercuerit. Sacras conciones pluribus in locis cum ingenti auditorum fructu habuit. Inquisitoris officium inviolabili animi fortitudine diu sustinuit, multasque civitates, non sine vitae discrimine, ab haeresi tunc grassante immunes servavit.

Inveni.

Lectio V.

A Paulo Quarto, cui ob eximias virtutes charissimus erat, ad Nepesinum et Sutrinum Episcopatum promotus, et post biennium inter Romanae

Ecclesiae Presbyteros Cardinales adscriptus fuit: tum ad **Ecclesiam montis Regalis** in subalpinis a **Pio Quarto** translatus, cum plures in eam abusus irrepsisse cognovisset, totam Dioecesim lustravit, rebusque compositis Romam reversus, gravissimis expediendis negotiis applicatus, quod justum erat, apostolica libertate et constantia decernebat. Mortuo autem **Pio**, praeter omnium expectationem electus **Pontifex**, nihil in vitae ratione, excepto exteriori habitu, immutavit. Fuit in eo religionis propagandae perpetuum studium, in ecclesiastica disciplina restituenda indefessus labor, in extirpandis erroribus assidua vigilantia, in sublevandis egentium necessitatibus indeficiens beneficentia, in sedis Apostolicae juribus vindicandis robur invictum.

R. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Selimum Turcarum tyrannum multis elatum victoriis, ingente comparata Classe, ad **Echinadas insulas**, non tam armis, quam fuis ad Deum precibus devicit. Quam victoriam ea ipsa hora, qua obtenta fuit, Deo revelante cognovit, suisque familiaribus indicavit. Dum vero novam in ipsos **Turcas** expeditionem moliretur, in gravem morbum incidit, et acerbissimis doloribus patientissime toleratis, ad extrema deveniens, cum Sacramenta de more suscepisset, animam Deo placidissime reddidit, anno millesimo quingentesimo, septuagesimo secundo, aetatis suae sexagesimo octavo, cum sedisset annos sex, menses tres, dies viginti quatuor. Corpus ejus in **Basilica sanctae Mariae ad praesepe** summa fidelium veneratione colitur, multis à Deo ejus intercessionem patratis miraculis. Quibus rite probatis a **Clemente XI. Pontifice Maximo** Sanctorum numero adscriptus est.

R. Iste est.

In III. Nocturno. *Homilia S. Gregorii Papae in Evangel. Homo peregre proficiscens ut in Comuni Confessoris Pontif.*

Lectio IX.

Servatius Episcopus Tungrorum, strenuus defensor fidei Catholicae, assidue vigiliis ac jeuniis misericordiam Domini precabatur, ne ab Hunnorum gente Gallia infestaretur: Romanque ad sancti Petri tumulum propterea properavit, ut adjunctis sibi apostolicae virtutis patrocinis, facilius obtineret, verum responso accepto, Hunnos Gallias depopulatos, ipsius autem oculos non visuros, ad suos rediens rebus dispositis valedicit, et Trajectensem urbem moriturus accedit: ubi modica febre correptus, ad meliorem transiit vitam. Cujus ibidem sepulchrum, quamdiu sub dio fuit, nix nunquam attigit, multisque miraculis claret.

Te Deum laudamus.

Die XVI. Maji.

In Festo S. JOANNIS NEPOMUCENI, Martyris.

DUPLEX 1. *Classis cum Octava.*

Ad Vesp. et Laudes et per Horas.

Antiphona. Interrogavit eum Rex multis sermonibus; at ipse nihil illi respondebat.

Psalm. ut in Comuni unius Martyris.

Antiph. Rex dixit: Ne abscondas à me verbum, quod te interrogo. Dixit: Secretum meum mihi. Secretum meum mihi.

Antiph. Affirmabat Rex, se divitem, et beatum facturum. Non obedio praecepto Regis, sed praecepto legis, quae data est nobis.

Antiph. Tunc Rex accensus ira in hunc super omnes crudelius desaevit.

Antiph. Beatus, qui lingua sua non est lapsus, et qui non servivit indignis se.

Capitulum. *Eccl.* 21. v. 28.

Labia imprudentium stulta narrabunt, verba autem prudentium statera ponderabuntur: in ore fatuorum cor illorum, et in corde sapientium os illorum.

Hymnus:

Invictus Heros Numinis,
Mergendus unda fluminis,
Stat, fortis in silentio,
Dum sit sigilli mentio.

Hinc Rex minatur funera,
Hinc tortor infert vulnera,
Manus ligantur funibus,
Artus cremantur ignibus.

Sed haec Joannes despicit,
Nec Regis iram respicit;
Secreta non vult pandere,
Horret sigillum frangere.

Stat mutus Agnus innocens,
Nil de tegendis proferens:
Stat! dumque Rex nil elicit,
E ponte Justum dejicit.

Praecepta ab alto sternitur,
Undis profundis mergitur:
Mersum sed applaudentibus,
Undae salutant ignibus.

Stellae natant in flumine:
Illi parentant lamine:
Docetque Coeli claritas,
Quae sit Joannis charitas.

Da sempiterna Trinitas,
Ut in bono sit firmitas;
Aut lacrymarum flumina
Mergant cadentum crimina. Amen.

V. Sacramentum Regis abscondere bonum est.

R. Opera autem Dei revelare honorificum.

Ad Magnificat.

Antiph. Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam: et in ipsa laudabo eum.

O R A T I O.

Deus, qui ob invictum beati Joannis sacramentale silentium nova Ecclesiam tuam Martyrii corona decorasti: da nobis ejus intercessione et exemplo linguam caute custodire, ac omnia potius mala, quam animae detrimentum, in hoc saeculo tolerare. Per Dominum nostrum.

Ad Matutinum.

Invitat. et Psalmi omnes de Communi unius Martyris.

Hymnus.

In profunda noctis umbra,
Et gravi caligine
Lustrat aedem flamma munda,
Sic jubente Numine.

Nocte nascitur Joannes:
Astra coelo devolant,
Nocte mergitur Joannes;
Astra funus apparant.

Hinc cor ejus igne flagrans
Fortis urit charitas:
Hinc ab ejus ore manans
Mira prodit suavitas.

Nunc amore cor bonorum
Ad salutem pertrahit:
Nunc timore cor malorum
A gehenna retrahit.

Panperes solatur aere,
Derelictis subvenit:
Non sinit justos jacere:
Damna famae praepedit.

Per Joannis sanctitatem,
O beata Trinitas,
Mentibus da puritatem:
Corde regnet charitas. Amen.

In I. Nocturno. *Antiph.* Erit lumen Israel in igne, et Sanctus ejus in flamma.

Antiph. Sanavit Dominus puerum, et reddidit illum Patri ejus.

Antiph. Puer autem erat minister in conspectu Domini ante faciem Sacerdotis.

V. Sacramentum Regis abscondere bonum est.

R. Opera autem Dei revelare honorificum.

De Libro Ecclesiastici.

Lect. I. Cap. 21. v. 26.

Stultus a fenestra respiciet in domum: vir autem eruditus foris stabit. Stultitia hominis auscultare per ostium: et prudens gravabitur contumelia. Labia imprudentium stulta narrabunt: verba autem prudentium statera ponderabuntur. In ore fatuorum cor illorum: et in corde sapientium os illorum. Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam. Susurro coinquinabit animam suam, et in omnibus odietur, et qui cum eo manserit, odiosus erit. Tacitus, et sensatus honorabitur.

R. Metuebat Rex Joannem. * Sciens eum virum justum, et sanctum.

V. Et custodiebat eum, et audito eo multa faciebat, et libenter eum audiebat. Sciens eum virum justum et sanctum.

Lectio II. Cap. 28. v. 21.

Flagelli plaga livorem facit: plaga autem linguae comminuet ossa. Multi ceciderunt in ore gladii: sed non sic, quasi qui interierunt per linguam suam. Beatus qui tectus est a lingua nequam, qui in iracundiam illius non transivit, et qui non attraxit jugum illius, et in vinculis ejus non est ligatus.

Jugum enim illius jugum ferreum est: et vinculum illius vinculum aereum est. Mors illius mors nequissima: et utilis potius infernus, quam illa.

R. Lex veritatis fuit in ore illius, et iniquitas non est inventa in labiis ejus: in pace, et in aequitate ambulavit mecum. * Et multos avertit ab iniquitate.

V. Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus. Et multos avertit ab iniquitate.

Lectio III.

Perseverantia illius non permanebit, sed obtinebit vias injustorum: et in flamma sua non comburet justos. Qui relinquunt Deum, incident in illam, et exardebit in illis, et non extinguetur: et immittetur in illos quasi leo, et quasi pardus laedet illos. Sepi aures tuas spinis: linguam nequam noli audire: et ori tuo facito ostia, et seras. Aurum tuum, et argentum tuum conflagra, et verbis tuis facito stateram, et fraenos ori tuo rectos. Et attende, ne forte labaris in lingua, et cadas in conspectu inimicorum insidiantium tibi, et sit casus tuus insanabilis in mortem.

R. Sepi aures meas spinis. * Et ori meo feci ostia et seras.

V. Beatus, qui lingua sua non est lapsus, et qui non servivit indiguis se. Et ori meo feci ostia et seras. Gloria etc. Et ori meo feci ostia, et seras.

In II. Nocturno. *Antiph.* Non quaesivit à Domino ducatum, neque à Rege cathedram honoris.

Antiph. Loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum, et non confundebar.

Antiph. Amplius non videbitis faciem meam vos, per quos transivi praedicans regnum Dei.

V. Pone Domine custodiam ori meo.

R. Et ostium circumstantiae labiis meis.

Lectio IV.

Joannes Nepomuci, Bohemiae Oppido, unde Nepomuceni cognomen duxit, à parentibus aetate provectis, non sine futurae sanctitatis praesagio flammis supra nascentis domum mirabiliter collucentibus, ortus est. Cum infans in gravem morbum incidisset, beatæ Virginis ope, cui natum parentes referebant acceptum, è vitæ periculo evasit incolumis. Egregia indole, piaque institutione coelestibus iudiciis obsequente, inter sanctas, religiosasque exercitationes pueritiam egit: nam Ecclesiam frequenter adire, ac Sacerdotibus ad aras operantibus ministrare in deliciis habebat. Zateitii politioribus litteris ad humanitatem informatus, Pragae vero gravioribus disciplinis excultus, Philosophiae, Theologiae, sacrorumque Canonum Magisterium, et lauream emeruit. Sacerdotio initatus, atque à scientia sanctorum ad lucra animarum rite comparatus, ministerio verbi Dei se penitus ad-dixit. Cum igitur iu vitiis extirpandis, et revocandis in viam salutis errantibus eloquentia, et pietate uberes ederet fructus, inter Canonicos Metropolitanae Ecclesiae Pragensis cooptatus, mox sibi demandatam Evangelii coram Rege Wenceslao Quarto praedicandi Provinciam suscepit, eo successu, ut Joannis suasu multa Rex faceret, magnoque in honore ejus virtutes haberet. Conspicuas tamen, quas ille obtulit, dignitates Dei servus, ne à divini verbi praeconio avocaretur, constantissime recusavit.

R. Instans orationi, et ministerio Verbi hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino. * Quia erat vir bonus, et plenus Spiritu sancto.

V. Et apponebatur multa turba Domino. Quia erat vir bonus, et plenus Spiritu sancto.

Lectio V.

Regiis illum eleemosynis in pauperes erogandis Praefectum Joanna Regina, ex serenissima Ducali domo Bavarica oriunda, conscientiae sibi moderatorem adscivit. Cum autem Wenceslaus ab officio, institutoque decessisset, atque in vitia praeceps abriperetur; piaе vero conjugis obtestationes, et monita gravate ferret, contendere ausus est, ut in sacramentali judicio credita Reginae arcana sibi à Joanne panderentur. At Dei Minister blanditiis primum, tormentis deinde, et carceris squalore tentatus, nefariae Regis cupiditati fortiter obstitit. Furentem tamen Wenceslai animum, cum ab execrando proposito nec humana, nec divina jura deterrent; supremum agonem, quem instare sibi Athleta Christi noverat, populo in concione de impendentibus etiam Regni calamitatibus admonito, non obscure praenuntiavit. Mox Boleslaviam profectus, ad beatæ Virginis imaginem, antiquo cultu celebrem, coeleste praesidium ad certandum bonum certamen effusis precibus imploravit. Inde vesperi revertentem, die decima sexta Maji anno Domini 1383 rex e fenestra conspicatus arcessit, cumque vehementius urgeret, et proximam in aquis, si obluctari pergeret, submersionem intentaret: Joannes invicta constantia terrores, minasque refutavit. Itaque Regis imperio in Moldavam flumen Pragam interfluens noctu dejectus, illustrem Martyrii coronam est consecutus.

R. Dispersit, dedit pauperibus: * Justitia ejus manet in saeculum saeculi.

V. Beatus, qui intelligit super egenum, et pauperem. Justitia ejus manet in saeculum saeculi.

Lectio VI.

Sacrilegum facinus clam patratum, et Martyris gloriam insigne prodigium divinitus patefecit. Ubi

enim exanime corpus secundo flumine vehi coepit, arduentes faces aquis supernatantes, et discurrentes apparuerunt. Quamobrem ex arena postridie mane corpus elatum Canonici deinde, Regis iram nihil timentes, in Metropolitanam Ecclesiam solemni pompa intulerunt, et sepulturae mandarunt. Cum autem indies invicti Sacerdotis memoria Miraculis et maxima fidelium, eorum praecipue, qui fama periclitantur, veneratione cresceret, post annos demum amplius trecentos, in iuridica recognitione corporis, quod sub humo tamdiu jacuerat, lingua ejus incorrupta, et vivida reperta est, quae sexto post anno iudicibus à sede Apostolica delegatis exhibita, novo prodigio repente intumuit, et subobscurum ruborem in purpureum commutavit. His itaque aliisque signis rite probatis, Benedictus decimus tertius, Pontifex Maximus die decima nona mensis Martii, anno salutis millesimo, septingentesimo vigesimo nono, primum hunc sacramentalis sigilli assertorem, arcani fidem sanguine obsiguanthem, Sanctorum Martyrum Catalogo adscripsit.

R. Ego scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.
* Propter quod vigilate.

V. Et ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Propter quod vigilate. Gloria etc. Propter quod vigilate.

In III. Nocturno. *Antiph.* Igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas.

Antiph. Aquae multae non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.

Antiph. Transivi per ignem, et aquam, et eduxisti me in refrigerium.

V. Dixi: custodiam vias meas.

R. Ut non delinquam in lingua mea.

Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 11. v. 2.

In illo tempore: cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, mittens duos ex Discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?

Homilia S. Gregorii Papae. *In Evang. Homil. 6.*

Dimissis Joannis Discipulis, quid de eodem Joanne turbis dicat, audiamus: Quid existis videre in desertum? arundinem vento agitatam? Quod videlicet, non asserendo, sed negando intulit. Arundinem quippe mox, ut aura contigerit, in partem alteram inflectit. Et quid per arundinem, nisi carnalis animus designatur? qui mox ut favore, vel detractio tangitur, in partem quamlibet inclinatur. Si enim ab humano ore aura favoris flaverit, hilarescit, et extollitur: sed si inde ventus detractio eruperit, unde aura laudis veniebat, mox hunc quasi in partem alteram ad vim furoris inclinat.

R. Cum corripere ab illo de omnibus malis, quae fecit Rex, adjecit, et hoc, * Et inclusit Joannem in carcere.

V. Laboro usque ad vincula, quasi male operans: sed verbum Dei non est alligatum. Et inclusit Joannem in carcere.

Lectio VIII.

Sed arundo agitata vento Joannes non erat; quia hunc nec blandum gratia, nec cujuslibet detractiois ira asperum faciebat; nec prospera hunc erigere, nec adversa noverant inclinare. Arundo ergo vento agitata non erat, quem ab status sui rectitudine nulla rerum varietas inflectebat. Discamus ergo, fratres charissimi, arundinem vento agitatam non esse: solidemus animum inter auras linguarum positum: stet inflexibilis status mentis. Nulla nos detractio ad iram provocet, atque ad re-

missionem inutilis gratiae nullus favor inclinet. Non nos prospera elevent, non adversa perturbent: ut qui in soliditate fidei figimur, nequaquam rerum transeuntium mobilitate moveamur.

R. Reddidit Deus justo mercedem laborum suorum, et deduxit illum in via mirabili. * Et fuit illi in velamento diei, et in luce stellarum per noctem.

V. Transvexit illum per aquam nimiam, inimicos autem illius demersit. Et fuit illi in velamento diei, et in luce stellarum per noctem. Gloria etc. Et fuit etc.

Lectio IX.

Adhuc autem de ejus expressione subjungitur: sed quid existis videre in desertum? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. Camelorum enim pilis, ut scitis, vestitus Joannes fuisse describitur. Et quid est dicere: Ecce, qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt; nisi aperta sententia demonstrare, quia non coelesti, sed terreno Regi militant ii, qui pro Deo perpeti aspera fugiunt, et solis exterioribus dediti, praesentis vitae mollitiem, et delectationem quaerunt?

Te Deum laudamus.

Ad Laudes.

Antiph. et Capit. ex Vesp. Psalm. de Dom. ad Laud.

Hymnus.

Vix in sepulchro conditur,
Signis Joannis proditur;
Per cratium repagula
Intermicant miracula.

Hic ejus hostes illico
Pudore moesti publico,
Ultrice dextra Numinis,
Poenas rependunt criminis.

Hic damna rerum flentibus,
 Famaeve conquerentibus,
 Abducta res revertitur,
 Ablata fama redditur.

Hic corpus aegritudines,
 Tempus vicissitudines,
 Periculum securitas,
 Mortem fugat mortalitas.

Hic viva lingua Martyris,
 Sed muta, voce sanguinis
 Clamans ut Abel, improbat,
 Regique crimen exprobrat.

Unius, o! da Trinitas,
 Triumque simplex Unitas,
 Ut qui Joanni supplicant,
 Id impetrent, quod flagitant. Amen.

V. Posui ori meo custodiam.

R. Cum consisteret peccator adversum me.

Ad Benedictus.

Antiph. Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.

O R A T I O.

Deus, qui ob invictum Beati Joannis sacramentale silentium nova Ecclesiam tuam Martyrii corona decorasti; da nobis ejus intercessione, et exemplo, linguam caute custodire, ac omnia potius mala, quam animae detrimentum, in hoc saeculo tolerare. Per Dominum nostrum etc.

Ad Tertiam.

Capitulum. *Eccl.* 21. v. 28.

Labia imprudentium stulta narrabunt; verba autem prudentium statera ponderabuntur: in ore fatuorum cor illorum; et in corde sapientium os illorum.

R. *Breve.* Sacramentum Regis * abscondere bonum est. Sacramentum etc.

Y. Opera autem Dei revelare honorificum. Abscondere bonum est. Gloria etc. Sacramentum etc.

Y. Pone, Domine, custodiam ori meo.

R. Et ostium circumstantiae labiis meis.

Ad Sextam.

Capitulum. *Eccl.* 28. v. 28.

Sepi aures tuas spinis: linguam nequam noli audire; et ori tuo facito ostia, et seras.

R. *Breve.* Pone, Domine, * custodiam ori meo. Pone etc.

Y. Et ostium circumstantiae labiis meis. Custodiam ori meo. Gloria etc. Pone.

Y. Dixi: custodiam vias meas.

R. Ut non delinquam in lingua mea.

Ad Nonam.

Capitulum. *Eccl.* 28. v. 29.

Aurum tuum, et argentum tuum conflagra, et verbis tuis facito stateram, et fraenos ori tuo rectos: et attende, ne forte labaris in lingua.

R. *Breve.* Dixi * Custodiam vias meas. Dixi.

Y. Ut non delinquam in lingua mea. Custodiam vias meas. Gloria etc. Dixi etc.

Y. Posui ori meo custodiam.

R. Cum consisteret peccator adversum me.

Ad II. Vesperas.

Antiph. et Capit. ex 1. Vesp. Psalmi ex 2. Vesp. de Communi unius Martyris.

Hymnus.

Jam faces lictor ferat et minantem

Jam ferox ensem, rabidumque tortis

Vinculis ferrum, sacra ni Sacerdos

Abdita pandat.

Sentiet vires, animaeque magnae
Prodigum pectus: violentus ira,
Non quatit recti solida tenacem
Mente Satelles.

En ruit praeceps tumultus unda
Martyr, et fluctu placido silentem
Naufragus linguam melioris aevi
Servat in usum.

At superjectae facili natantes
Amne discurrunt, rutilantque circa
Martyrem flammæ: bene gesta plaudens
Ornat Olympus.

Ornat et linguam, rosei instar ignis,
Vividam servans, et adhuc rubentem,
Indicat, quænam fuerit tacentis
Gratia linguae.

Sit decus Patri genitæque Proli,
Spiritus laudent, ab utroque puris
Qui calet flammis, sine fine psallens
Orbis uterque. Amen.

V. Posui ori meo custodiam,

R. Cum consisteret peccator adversum me.

Ad Magnificat.

Antiph. In conspectu potentium admirabilis ero,
facies Principum mirabuntur me: tacentem me sustinebunt, et loquentem respicient.

ORATIO. *Ut supra.*

Dic XXI. Maji.

Sexta DIE infra OCTAVAM.

In I. Noct. Lectiones de scriptura occurrente.

In II. Nocturno. Lectio IV.

Sermo S. GREGORII Nisseni Episcopi. Orat.
de S. Basil.

An etiam Joannem Baptistam cum Joanne nostro conferemus? At cum divina vox testetur, quod

ille Principatum teneat, propterea quod inter natos mulierum etiam amplius, et excellentius quid habeat quam Propheta: insania simul, et impietas fuerit alium ex adverso comparando opponere ejusmodi vitae. Sed tanti ac talis viri vel a tergo venisse supremæ beatitudinis continet demonstrationem. Atque hoc modo rationem ineundo rem consideremus atque perpendamus.

R. Instans orationi.

Lectio V.

Neque mollibus vestibus Joannes erat amictus, neque arundo erat, quæ ventis agigaretur: præferebat item solitudinem locis cultis et habitatis, et contra in habitatis et cultis locis versabatur. Num quis igitur refellet orationem, si veritas etiam hoc Joanni nostro attestetur, ut in his magno Joanne non inferior sit? Quis enim ignorat, quemadmodum mollem, et delicatum vitæ cultum noxium, et infestum judicaret, in omni re fortitudinem, atque laborum, et molestiarum tolerantiam magis, quam res jucundas sectans: ad solis aestum duratus frigori se exponens, et temperantia corpus exercendo subigens: in urbibus quasi in solitudinibus versans (quod hominum congressus illius virtutem nihil læderet) et ex solitudinibus urbes efficiens.

R. Dispersit.

Lectio VI.

Quod autem arundo non esset, quæ facile ad contrarias opiniones impelleretur; argumento est ea, quam habuit in omnibus rebus, quas per vitam cum judicio suscepisset et instituisset constantia, atque firmitudo. Placuerat ab initio nihil quidquam possidere, et pauperem esse: tanquam petra immota, atque inconcussa, stabile, ac firmum id iudicium fuit. Concupiscebat per puritatem propin-

quare Deo: mons erat ea cupiditas, non arundo; nunquam enim ad tentationem spiritus adversos flecebatur.

R. Ego scio.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 11. v. 2.

In illo tempore: cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, mittens duos ex Discipulis suis, ait illi: tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papae. *In Evang. Homil 6.*

Quamvis hoc, quod Joannes non esse vestitus mollibus dicitur, per significationem intelligi et aliter potest. Mollibus enim vestitus non fuit, quia vitia peccantium non blandimentis fovit, sed vigore asperae invectionis increpavit dicens: genimina viperarum: quis vobis demonstravit fugere à ventura ira? Unde et per Salomonem dicitur: Verba sapientium quasi stimuli, et quasi clavi in altum defixi. Clavis quippe, atque stimulis sapientium verba comparantur, quia culpas delinquentium nesciunt palpare sed pungere.

R. Cum corriperetur.

Lectio VIII.

Sed quid existis videre in deserto? Prophetam? etiam dico vobis, et plus quam Prophetam. Prophetae quippe ministerium est, ventura praedicere, non etiam demonstrare. Joannes ergo plus quam Prophetam est, qui eum quem praecurrendo prophetaverat, etiam ostendendo monstrabat. Sed quod arundo vento agitata esse denegatur, quia non esse vestitus mollibus dicitur, quod Prophetarum nomen huic impar esse perhibetur, jam quod digne dici possit, audiamus. Sequitur: Hic est enim de

quo scriptum est: **Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te.** Quod enim graece angelus, hoc latine nuntius dicitur. Recte ergo, qui nuntiare supremum Iudicem mittitur, angelus vocatur; ut dignitatem servet in nomine, quam explet in operatione. Altum quidem nomen est, sed vita inferior non est.

R. Reddidit Deus etc.

Lectio IX.

Utinam, fratres charissimi, non ad iudicium nostrum dicamus, quia omnes, qui sacerdotis nomine censeantur, angeli vocantur; Propheta attestante: labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est. Sed hujus altitudinem nominis etiam vos, si vultis, potestis mereri. Nam unusquisque vestrum, in quantum sufficit, in quantum gratiam supernae aspirationis accipit, si à pravitate proximum revocat, si exhortari ad bonum operandum curat, si aeternum regnum, vel supplicium erranti denuntiat: cum sanctae denuntiationis verba impendit, profecto angelus existit.

Te Deum laudamus.

Die XXII. Maji.

De Septima DIE infra OCTAVAM.

In I. Nocturno. *Lectiones de scriptura occurr.*

In II. Nocturno. De Serm. S. Gregorii Nis-seni Episcopi. *Eadem Orat. S. Basil.*

Lectio IV.

Porro dilectionis erga Deum, quae in Joanne nostro fuit, constantiam, et firmitudinem solus Apo-

stolus suis verbis exprimere et judicare posset, propterea quod neque vita, neque mors, neque praesentia, neque futura, neque aliqua alia creatura à dilectione Dei cor ejus dimovere, atque deturbare posset: adeo etiam in omnibus, quae cum virtute instituisset, ac sibi sectanda esse judicasset, nequaquam arundineus quidam et animo mobili ac mente inconstanti erat: sed per omnia vitae ejus in rebus praeclaris constantiam in se habebat, et stabilitatem.

R. Instans.

Lectio V.

Libere et ingenue loquitur apud Herodem Joannes: item hic apud Wenceslaum. Comparemus autem ad invicem horum virorum dignitates. Ille quidem partis cujusdam Palaestinae Decreto Romanorum permissum Principatum adeptus erat: hujus vero imperii terminus erat totus prope modum cursus solis. Ac linguae quidem libertas apud Herodem id agebat, atque eo spectabat, ne contra leges ille peccaret in muliercula quadam; sed cupiditatem, utpote legibus vetitam in se coerceret. At adversus Wenceslaum Joannis nostri linguae libertas quaenam erat? ut illaesam, intactam, impolutam sinneret esse fidem; cui si fieret injuria totius orbis terrarum, scelus atque piaculum existeret.

R. Dispersit.

Lectio VI.

Conferat igitur aequus rerum aestimator et principatum cum principatu, et linguae libertatis hujus propositum cum illa comparet libertate. Nam illic quidem corpore Herodis scelus circumscribebatur: hic vero violatio fidei ad totius humanae naturae injuriam redundabat. Ille ad mortem usque perse-

verat, in libertate sermonis: et similis huic finis linguae libertatis existit.

R. Ego scio.

In III. Nocturno. **Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.**

Lectio VII. Cap. 11. v. 2.

In illo tempore: cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, mittens duos ex Discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi. In illud salut. Priscill.

Quot divites erant tempore Herodis, quod potentes? Et quis in medium prorupit? quis tyrannum increpavit? quis contemptum Dei ultus est? Divitum quidem nullus. Sed pauper ille et inops, qui neque tectum habebat; ille, inquam, solitudinis inquilinus Joannes ille solus et primus omni libertate tyrannum arguit, et adulterinas nuptias detexit, et praesentibus omnibus ac audientibus pronuntiata sententia eum condemnavit.

R. Cum corriperetur.

Lectio VIII. Hom. 2. ad Pop.

Audistis, quid Joannes fecerit? tyrannum vidit, hominem nuptiarum leges subvertentem; et cum fiducia in medio foro dicit: Non licet tibi habere uxorem Philippi fratris tui. Ego autem non ad tyrannum te duxi, neque pro nuptiis illegitimis, neque pro servis contumelia affectis; sed pro furore in Dominum, aequalem ut castiges, depono. Ergo si tibi dixissem: Reges vel iudices praevericantes puni, vel corrige: num me insanire dixisses? Et tamen Joannes hoc fecit; adeo non est id supra nos. Nunc vero saltem conservum vel aequalem

corrige. Etsi mori opus sit, castigare fratrem ne torpeas. Martyrium tibi hoc est: quoniam et Joannes Martyr fuit. Non sacrificare jussus fuit, neque idolum adorare; sed pro sacris legibus temeratis caput deposuit. Et tñ igitur pro veritate usque ad mortem contende, et Deus pugnabit pro te.
R. Reddidit Deus.

Lectio IX.

Nec mihi illud dicas frigidum verbum: quae mihi cura est? cum ipso commune habeo nihil. Cum diabolo solo commune nihil habemus: cum omñibus autem hominibus multa habemus communia. Ejusdem enim nobiscum naturae participes sunt, eandem habitant terram eisdemque aluntur nutrimentis, eundem habent Dominum easdemque ceperunt leges, ad eadem nobiscum bona invitantur. Ne igitur dicamus, quod nihil commune cum ipsis habeamus: satanica est ista vox, diabolica inhumanitas.
Te Deum laudamus.

Dic XXIII. Maji.

OCTAVA S. JOANNIS NEPOM. DUPLEX.

In I. Nocturno. *Lectiones de scriptura occurr.*

In II. Nocturno. *Lectio IV.*

Sermo S. Joannis Chrysostomi, *de peccatis non evulgand. Serm. 57.*

Non haec medicamentorum istorum praecipua laus est, quod animas sanant, quod temporis longinquitate non corrumpantur, quod a morbis non vincantur, quod eorum utilitas gratis proposita sit, quod ex aequo divitibus et pauperibus pateat medicina; sed et aliud quidpiam nihilominus his boni

habent. Quodnam illud tandem est? quod nos ad hanc medici officinam venientes non divulgamus. Nam illi quidem, qui ad profanas medicorum officinas abeunt: multos habent vulnerum spectatores: hic vero non ita fit; sed cum innumeros videamus aegrotos, occulte illos curamus. Neque enim in medium adductis peccatoribus, eorum deinde peccata divulgamus.

R. Instans orat.

Lectio V.

Hoc vero non mediocriter illis prodest. Nam cum vulgi existimationi simus addicti, quamdiu quidem latere nos putamus, qui mali sumus, fieri meliores studemus: postquam autem omnibus innotuimus, et solatium illud ex occultatione perdidimus: eo magis impudentes ac negligentes evadimus. Et quemadmodum, quae deteguntur ulcera semperque frigido aeri exponuntur, acerbiora fiunt: ita quoque anima peccati rea, si coram multis, ob ea, quae deliquit, reprehendatur, impudentior evadit. Ne igitur hoc accideret, clam vos sermo curavit.

R. Dispersit.

Lectio VI.

Atque ut intelligatis, admodum utilem hanc occultam esse medendi rationem, audite, quid Christus dicat: si peccaverit in te frater tuus, corripe eum. Et non dixit inter te, et civitatem, neque inter te et populum: sed inter te et ipsum solum. Sit sine testibus accusatio, inquit: ut facilius fiat mutatio in melius. Magnum ergo bonum est, si non publice fiat cohortatio: sufficit incorruptus ille iudex. Non ita tu peccatorem reprehendis, ut ipsius conscientia (quippe quod asperior illa sit accusator) neque delicta ejus accuratius nosti. Noli ergo vulnus vulneribus addere, dum auctorem peccati

divulgas: sed semotis arbitris admonitionem adhibeto.

R. Ego scio.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Matthaenm.

Lectio VII. Cap. 11. v. 2.

In illo tempore: cum audisset Joannes in vinculis opera Christi, mittens duos ex Discipulis suis, ait illi: Tu es, qui venturus es, an alium expectamus? Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi. In Var. Matth. loc. hom. 16.

Tenuit, inquit, Joannem, et alligans posuit eum in carcere. Herodes, te petit causa, te arguunt vincula, te carcer accusat, te divulgat producta in publicum poena. Joannes injuriatur: causam custodiae qui requirit, in te inveniet, quod puniat, et in Joanne, quod doleat. Joannes orbi notus, famae virtute cognitus, celebratissimus sanctitate, dum attrahit ad se inquisitores injuriae, facit, ut tuus cunctis innotescat incestus: agit, ut te habeat confusio publica, quam corrigere non valuit secreta correptio, et privata. Herodem Joannes monitis, non accusatione pulsavit, utpote amator castitatis, quem corrigere voluit, non perire. Sed Herodes facibus libidinis ardens, perire maluit, quam redire.

R. Cum corriperetur.

Lectio III.

Odiosa sit semper libertas. Nam virtus contraria vitiosis, sacrilegis exosa sanctitas, inimica castitas impudicis, corruptis integritas poenae, luxuriosis adversa frugalitas, crudelibus dura semper misericordia, impiis pietas non ferenda. Probat hoc Evangelista, cum dicit: Dicebat Joannes:

Non licet tibi accipere uxorem Philippi fratris tui. Ecce unde Herodes furit: malos qui monet, offendit: incurrit odium, qui arguit criminosos. Dicebat Joannes, quod erat legis, quod justitiae, quod erat salutis: certe quod erat, non odii sed amoris. Ecce, qualem consecutus est ab impio pro pietate mercedem.

R. Reddidit Deus.

Lectio IX.

Volens inquit, occidere eum, timuit populum. Facile deviat a justitia, qui iu causis non Deum, sed homines formidat. Huic timor peccandi differt facultatem, non aufert voluntatem. Unde etiam, quos suspendit a crimine, avidiores reddit ad crimen: et aestuat animo, quousque perficiat, quod cogitat, malum. Solus enim Dei est timor, qui nocentes corrigit, fugat crimina, innocentiam servat, perpetem tribuit facultatem.

Te Deum laudamus.

Die XXV. Maji.

In Festo S. GREGORII Septimi,
Papae et Confessoris.

DUPLEX. *Omnia de Communi Conf. Pont. praeter sequentia.*

O R A T I O.

Deus, in te sperantium fortitudo, qui Beatum Gregorium Confessorem tuum atque Pontificem pro tuenda Ecclesiae libertate virtute constantiae roborasti: da nobis ejus exemplo et intercessionem, omnia adversantia fortiter superare. Per Dominum nostrum etc.

Deinde fit commemoratio S. Urbani Papae et Martyris, ut in Breviario.

In I. Noct. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

In II. Nocturno. *Lectio IV.*

Gregorius Papa septimus, antea Hildebrandus, Suanae in Etruria natus, doctrina, sanctitate, omni-que virtutum genere cum primis nobilis, mirifice universam Dei illustravit Ecclesiam. Cum parvulus ad fabri ligna edolantis pedes, jam litterarum inscius, luderet, ex rejectis tamen segmentis illa Davidici elementa Oraculi: Dominabitur a mari usque ad mare, casu formasse narratur, manum pueri ductante Numine, quo significaretur ejus fore amplissimam in mundo auctoritatem. Romam deinde profectus, sub protectione S. Petri educatus est. Juvenis Ecclesiae libertatem a laicis oppressam, ac depravatos Ecclesiasticorum mores vehementius dolens, in Cluniacensi Monasterio, ubi sub Regula S. Benedicti austerioris vitae observantia eo tempore maxime vigeat, Monachi habitum induens, tanto pietatis ardore divinae Majestati deserviebat, ut a Sanctis ejusdem Coenobii Patribus Prior sit electus. Sed divina providentia majora de eo disponente in salutem plurimorum, Cluniaco eductus Hildebrandus, Abbas primum Monasterii S. Pauli extra muros urbis electus, ac postmodum Romanae Ecclesiae Cardinalis creatus sub Summis Pontificibus, Leone nono, Victore secundo, Stephano nono, Nicolao secundo; et Alexandro secundo, praecipuis muneribus, et legationibus perfunctus est, sanctissimi et purissimi consilii vir à Beato Petro Damiani nuncupatus. A Victore Papa secundo Legatus à latere in Galliam missus, Lugduni Episcopum Simoniaca labe infectum ad sui criminis confessionem miraculo adegit. Berengarium in Concilio Turonensi ad iteratam haeresis abjurationem compulit. Cadolai quoque schisma sua virtute compressit.

R. Inveni David.

Lectio V.

Mortuo Alexandro secundo invitus et moerens unanimi omnium consensu, decimo Kalend. Maji, anno Christi millesimo septuagesimo tertio, summus Pontifex electus, sicut sol effulsit in domo Dei, nam potens opere, et sermone, Ecclesiasticae disciplinae reparandae, fidei propagandae, libertati Ecclesiae restituendae, extirpandis erroribus et corruptelis tanto studio incubuit, ut ex Apostolorum aetate nullus Pontificum fuisse tradatur, qui majores pro Ecclesia Dei labores, molestiasque pertulerit, aut qui pro ejus libertate acrius pugnaverit. Aliquot Provincias a Simoniaca labe expurgavit. Contra Henrici Imperatoris impios conatus fortis per omnia athleta, impavidus permansit, seque pro muro domui Israel ponere non timuit, ac eundem Henricum in profundum malorum prolapsam, fidelium communionem, regnoque privavit, atque subditos populos fide ei data liberavit.

R. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Dum Missarum solemnia perageret, visa est viris piis columba e coelo delapsa humero ejus dextro insidens alis extensis caput ejus velare, quo significatum est, spiritus Sancti assilatu, non humanae prudentiae rationibus ipsum duci in Ecclesiae regimine. Cum ab iniqui Henrici exercitu Romae gravi obsidione premeretur excitatum ab hostibus incendium signo crucis extinxit. De ejus manu tandem a Roberto Guiscardo Duce Northmanno ereptus, Cassinum se contulit; atque inde Salernum ad dedicandam Ecclesiam sancti Matthaei Apostoli contendit. Cum aliquando in ea civitate sermonem habuisset ad populum, aerumnis confectus in morbum incidit, quo se interiturum praescivit. Postrema morientis Gregorii verba fuere: Dilexi

justitiam, et odivi iniquitatem, propterea morior in exilio. Innummerabilia sunt, quae vel fortiter sustinuit, vel multis coactis in urbe Synodis sapienter constituit, vir vere sanctus, criminum vindex, et acerrimus Ecclesiae defensor. Exactis itaque in Pontificatu annis duodecim migravit in coelum, anno salutis millesimo octogesimo quinto, pluribus in vita et post mortem miraculis clarus, ejusque sacrum corpus in Cathedrali Basilica Salernitana est honorifice conditum.

R. Iste est, qui aute.

In III. Nocturno. *Homilia S. Hilarii Episc. in Evang. Vigilate, de eodem Communi 2do loco; pro S. Urbano Papa et Mart. Lectio IX. ut in Breviario.*

Die XXXI. Maji.

In Festo

**SS. CANCII, CANCIANI, et
CANCIANILLAE,**

Martyrum.

DUPLEX MAJUS. *Omnia de Comm. plurimorum Martyrum pro tempore, praeter Orationem et Lectiones.*

O R A T I O.

Deus, qui es Sanctorum tuorum splendor mirabilis, quique hunc diem Beatorum Cancii, Canciani, et Cancianillae martyrio consecrasti: da Ecclesiae tuae natalitio tantae festivitatis gratulari; ut apud misericordiam tuam et exemplis eorum et meritis adjuvetur. Per Dominum nostrum.

Deinde fit Commemoratio S. Petronillae Virginis, ut in Breviario not.

In I. Noct. *Lectiones: Fratres debitores.*

In II. Noct. Lectio IV.

Cancius, Cancianus et Cancianilla fratres Aquileji nobili genere nati, fidei Christianae accusati cum essent, de iis Dulcius Praeses Maximianum Imperatorem consuluit, qui eos, nisi idolis immolarent, capite plecti iussit. Quam rem ubi illi resciverunt, vehiculo ab urbe egressi, ut irati Praesidis furorem declinarent, non longe inde a Satellitibus comprehensi, in fide constantissimi cum sacrificare idolis nullo modo voluissent, una cum Proto paedagogo cruciati, demum cervicibus praecisis Martyrio coronantur. Eorum corpora Mediolanum translata in Basilica Metropolitana recondita sunt.

Ex Epistola S. Cypriani Episcopi et Martyris ad Martyres. *Epist. 25.*

Lectio V.

Imposuerunt compedes pedibus vestris, et membra felicia, ac Dei templa infamibus vinculis ligaverunt, quasi cum corpore ligetur et spiritus, aut aurum vestrum ferri contagione maculetur. Dicatis Deo hominibus, et fidem suam religiosa virtute testantibus, ornamenta sunt ista, non vincula; nec Christianorum pedes ad infamiam copulant, sed clarificant ad coronam. O pedes feliciter vincti, qui non a fabro, sed a Domino resolvuntur! O pedes feliciter vincti, qui itinere salutari ad paradisum diriguntur! O pedes in saeculo ad praesens ligati, ut sint semper ad Dominum liberi.

Lectio VI.

Quis non libenter, et prompte calicem salutis accipiat? Quis non appetat gaudibundus, et laetus, in quo aliquid et ipse Domino suo retribuatur? Quis non pretiosam in conspectu Dei mortem forti-

ter, et constanter excipiat, placiturus ejus oculis, qui nos in confessione nominis sui desuper spectans volentes comprobat, adjuvat dimicantes, vincentes coronat, retributione bonitatis, ac pietatis paternae remunerans in vobis, quidquid ipse praestitit, et honorans, quod ipse perfecit.

Tempore Paschal.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. Cap. 16.

In illo tempore: dixit Jesus Discipulis suis: Amen, amen dico vobis: quia plorabitis, et flebitis vos, mundos autem gaudebit. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi. *Homil. 78. in Joannem.*

Ut ostenderet post tristitiam gaudium secutorum, naturale adducit exemplum. Mulier cum parit, tristitiam habet: qua parabola in calamitatibus Prophetarum usi sunt: quasi dicat: dolores capietis, sed quales? partus qui laetitiae causa sunt. Simul et resurrectionem confirmat, indicans abitum suum periinde esse, ac si ex utero matris in lucem prodeat: quasi dicat: nolite admirari si per hanc tristitiam ad optima vos ducam, nam et mater in pariendo sic per tristitiam transit.

R. Ego sum.

Lectio VIII.

Significat autem hic et mysterium quoddam, quod mortis dolores solverit, et novum hominem regenerari fecerit. Neque dixit tantum tristitiam transituram, sed magnitudine laetitiae succedente, nihil ejus penitus remansurum: ita erit Sanctis. Atqui non propterea gaudet mulier, quia venit homo in mundum, sed quod filium peperit. Nam, si id

esset, nihil prohiberet, quin, quae non pariunt, aliis parientibus gauderent.

R. Candidi.

Lectio IX.

Qua ergo gratia sic inquit? Quia ad hoc solum adduxit exemplum, ut brevem tristitiam perpetuum gaudium secuturum, et se ad vitam transferri, et magnum malorum lucrum ostenderet. Et non dixit, et peperit filium: sed, quia venit homo in mundum, ubi suam significat resurrectionem, et non morti illi, sed regno parturiendum. Ideo non dixit, quia natus est filius, sed homo. Et vos nunc quidem tristitiam habetis: iterum autem videbo vos et gaudebit cor vestrum: inde, quod non amplius morietur, inquit: Et gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

Te Deum laudamus.

Extra tempus Paschale Lect. III. Noct. dic. de Homilia in Evangel. Descendens Jesus de monte. ut in Festo decem Millium MM. 22. Junii et R. 8. Haec est vera fraternitas.

FESTA JUNII.

Die III. Junii.

In Festo S. ERASMI,

Episcopi et Martyris.

DUPLEX. *Omnia de Communi unius Martyris, considerata ratione temporis, praeter sequentia.*

O R A T I O.

Deus, cujus virtute Beatus Erasmus Martyr et Pontifex multa tormentorum genera superavit: fac

nos, quaesumus, ejus intercessione, universas insidias inimicorum nostrorum visibilium et invisibilium cum gaudio superare, et in Christo bonis operibus abundare. Per eundem Dominum nostrum.

In I. Noct. *Lectioes de scriptura occurrente.*

In II. Nocturno. *Lectio IV.*

Erasmus Episcopus, Imperatoribus Diocletiano et Maximiano, in Campania plumbatis et fustibus caesus, resina quoque, sulphure, plumbo liquefacto, et ferventi pice, cera oleoque perfusus, inde tamen integer et inviolatus, evasit. Quo miraculo multi se ad Christi fidem converterunt. Verum is iterum detrusus in carcerem, constrictus ferreis gravissimisque vinculis, inde ab Angelo mirabiliter ereptus est. Deinde Formiis à Maximiano variis affectus suppliciis, tunicaque aerea candenti indutus, illa etiam tormenta Divina virtute superavit. Denique plurimis et in fide confirmatis, et ad fidem conversis, insignem Martyrii palmam adeptus est.

Sermo S. Fulgentii Episcopi. De S. Cypriano.

Lectio V.

Celebramus clarum tanti Martyris natalis diem Beati scilicet Erasmi, quo terrenis, ac moribundis membris exutus, ad aeternae praemia vitae transmigravit, et Sacerdotii ejus doctrinam, ac Martyrii vobis victoriam commendavit, fecitque ex temporali quondam tristitia liberiores. Dum enim inter periculum cruentae mortis, et gloriam devoti certaminis Episcopus consistendo patitur, Ecclesia orando compatitur. Quis nesciat, hunc ipsum, qui nunc annua circumstitutione festus vobis revolvitur dies, Christianis ac Religiosis mentibus illo tunc tempore fuisse sollicitum, dum adversus diabolum ab Antistite suscepto culmine pia plebis expecta-

tio trepidaret; atque ita fides resisteret persequenti, ne caro succumberet blandienti; ita pastor praecederet, ne ovile desereret, desertumque lupus invaderet.

Lectio VI.

Dolebat Ecclesia subtractum interim suo consortio tam clarissimum Sacerdotem: sed tamen gaudebat prostrato adversario Christi Martyrem extitisse victorem. Erat in memoria doctrina laudabilis, versabatur ante oculos virtus mirabilis, quando Sauctus Deo servabat, quod docuerat, et quid ceteri facere deberent, non jam verbis, sed operibus demonstrabat; fidem sermonum exemplis, rerum valida soliditate confirmans, credens, et confidens pro omnium salute Christum mortuum, ac se pro ejus nomine non subtrahere occidendum. Cujus enim sanguine tunc indignus redemptus fuerat, dignum suum sanguinem pro illo sumebat, et cujus sanguinem in hac vita fideliter biberat, ab ipso sibi aeternam vitam reddi posse crediderat.

In III. Nocturno. *Tempore Paschali.* Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. Cap. 15.

In illo tempore: dixit Jesus Discipulis suis: Ego sum vites, vos palmites: qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi. *Ex Tract. 80. in Joannem.*

Manentes ergo in eo, cum verba ejus in nobis manent, quodcumque voluerimus, petimus, et fiet vobis. Quia si petimus et non fiet, non hoc petimus, quod habet mansio in eo, nec quod habent verba ejus, quae manent in nobis: sed quod habet

infirmas et cupiditas carnis, quae non est in eo, et in qua non manent verba ejus. Nam utique ad verba ejus pertinet oratio illa, quam docuit, ubi dicimus: Pater noster, qui es in coelis.

R. Ego sum vitis.

Lectio VIII.

Ab hujus orationis verbis et sensibus non recedamus petitionibus nostris, et quidquid petierimus, fiet nobis. Tunc enim dicenda sunt verba ejus in nobis manere, quando facimus, quae praecepit, et diligimus, quae promisit: quando autem verba ejus manent in memoria, nec invenimur in vita, non computatur palmes in vite, quia vitam non trahit ex radice.

R. Candidi facti sunt.

Lectio IX.

Ad hanc differentiam valet, quod scriptum est: Et memoria retinentibus mandata ejus ut faciant ea; multi enim memoria retinent, et contemunt, vel etiam derident, et oppugnant ea. In his verba Christi non manent, quia tangunt quodammodo, non cohaerent: et ideo illis non erunt in beneficium, sed in testimonium; et quia sic insunt eis, ut non maneant in eis, ad hoc tenentur ab eis, ut judicentur ex eis.

Te Deum laudamus.

Si hoc Festum celebretur post Pentecosten, Lectiones 3. Nocturni erunt, ut in Festo S. Vincentii Episc. et Mart. 7. Juni infra.

Die V. Junii.

In Festo S. BONIFACII,

Episcopi et Socior. Martyr.

SEMIDUPLEX. *Omnia de Communi (prout venerit) plurimorum Martyrum, praeter hic apposita.*

O R A T I O.

Dens, qui multitudinem populorum Beati Bonifacii Martyris tui atque Pontificis, Sociorumque ejus instantia ad agnitionem tui nominis vocare dignatus es, concede propitius: ut quorum natalitia colimus, eorum apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum etc.

In I. Nocturno. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

In II. Nocturno. *Lectio IV.*

Bonifacius in Anglia natus, a puero sub disciplina instituti Monastici educatus, in omni literarum genere, praecipue vero Sacrarum Scripturarum intelligentia, tantam doctrinae laudem est consecutus, ut multi fama ejus passim diffusa moti, ei se erudiendos tradere studerent; ipse vero hominum favorem horrescens, solius vero Divini amoris zelo accensus, peregrinationem pro Christi gloria ad loca remota suscepit, ac primum venit in Frisiam; at ubi illic maximam partem Ecclesiarum Christi a Radbodo tyranno, servos Christi persequente, ac profligante, vastatam et eversam, extracta vero daemonum cultui sana reperit, rei indignitate motus, vacua spirituali fertilitate arva relinquens, ad natale solum se recepit. Patre monasterii sui interea defuncto, fratres ei regendi munus decernunt, quod ipse, qui perigrinationem deo meditabatur, recusans, impetratis ab Episcopo

illius loci benedictione et literis commendatitiis, Romam cum aliis non paucis Dei servis, qui se ipsi addixerant, profectus est; ubi à Gregorio hujus nominis Secundo, summo Pontifice benigne acceptus, mandatum praedicandi Evangelium per Germaniam accepit: ac literis Apostolicae Sedis instructus, varias Germaniae Provincias, Verbi Dei semen spargendo, perlustravit.

Lectio V.

Tandem audita Radbodi morte, in Frisiam rediit, ac plurimos ibi ab idololatriae erroribus, ad veritatis lumen retraxit. Manabat interim longe lateque fama praedicationis ejus, et fidelium numero magna fiebat accessio, ita, ut Romam veniens, fidei et doctrinae suae Pontifici Romano rationem reddens, Episcopus ab Eodem crearetur, ac demum, cum inde reversus infinitam hominum multitudinem fidei Christianae aggregasset, Moguntinae Sedi, tunc in ejus gratiam ad Archiepiscopatus dignitatem evectae, praeficeretur.

Lectio VI.

Quamobrem cum in tanta Messis copia paucitas operariorum, quos habebat, non sufficeret instituendae credentium multitudini, plures alios, pietate et eruditione praestantes viros accivit, et per Provincias multos ordinavit et constituit Episcopos, extruxit Ecclesias, Monasteria erexit: ac tanta Germaniae populis beneficia spiritualia feliciter praestitit, ut Germanorum Apostolus mereretur appellari. Tandem navi in Frisiam denuo delatus, Virisque sanctis, qui disseminando Dei Verbo, strenue cum ipso laborarent, comitatus, ab impiis et ingratis Frisonibus, ex filiis et amicis in hostes, ex Neophytis in lictores mutatis, una cum Eobano, et aliis Dei Ministris, barbara feritate trucidatur

Nonis Junii Anno Incarnationis Dominicae septingentesimo quarto.

In III. Nocturno. *Homilia S. Ambrosii Episcopi in Evangel.:* Descendens Jesus de monte. ut in Comm. MM.

Tempore Paschali Homilia S. Augustini Episcopi in Evangel. Ego sum vitis, vos palmites.

Dic VII. Junii.

In Festo S. VINCENTII,

Episcopi et Martyris.

SEMIDUPLEX. *Omnia de Communi unius Martyris, pro occurrentia temporis, exceptis, quae sequuntur.*

O R A T I O.

Deus, qui nos Beati Vincentii Martyris tui atque Pontificis sacrum natalitium celebrare concedis: ejus continua intercessione super nos misericordiam tuam multiplica; ut cujus patrocinii gloriamur, ejus suffragiis praesentis vitae subsidia, et aeternae salutis praemia consequamur. Per Dominum nostrum etc.

In I. Nocturno. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

In II. Nocturno. *Sermo S. Maximi Episcopi. De S. Cypriano, Hom. 2.*

Lectio IV.

Hic est ille Evangelicus Paterfamilias, proferens de Thesaurο suo nova et vetera, qui veteris novique testamenti unum atque idipsum mysterium praedicans, Ecclesias Christi locupletissima disputatione ditavit. Incorruptibilis, atque indefensus illius est hodie thesaurus, qui pecuniam Do-

mini sui nummulariis foenerans, quotidie in corde fidelium coelestium divitiarum conquirat usuram.

Lectio V.

Quid igitur, fratres, tanto speciosius Viro, cuius haec est regula et mensura sermonis, ut inter varias hominum causas motusque diversos, nunc affectione Patris, nunc auctoritate Doctoris, consoletur humiles, superbos comprimat, negligentes arguat, increpet infideles? Tanto denique decore Sacerdotium, vitamque suam vir fidelissimus adornavit, ut doctrinam suam subsequentibus confirmaret operibus, Dominicam illam sententiam tenens: Qui docuerit et fecerit, hic magnus vocabitur in regno coelorum.

Lectio VI.

Quam magnus hic, quamque praecipuus in regno coelorum est, quem in omnem gloriam sermo propheticus, vita mirabilis, et mors Deo devota sublimat? Nec immerito, fratres, tanto cum honore nominis ejus memoria, per amplissima mundi spatia celebratur: quia per universum orbem ad firamentum fidei nostrae, et passio ejus, et doctrina profecit.

In III. Nocturno. *Extra tempus Paschale.*
Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 16.

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Et reliqua.

Homilia Venerabilis Bedae Presbyteri.

Veritas dicit: si quis vult venire post me, abneget semetipsum; quia, nisi quis à semetipso deficiat, ad eum, qui super ipsum est, non appropin-

quat, nec valet apprehendere, quod ultra ipsum est, si nescierit mactare, quod est. Sed jam, qui se à vitiis abnegat, exquirendae ei virtutes sunt, in quibus crescat. Nam cum dictum est: Si quis vult venire post me, abneget semetipsum; protinus adjungitur: et tollat crucem suam, et sequatur me.

R. Corona aurea.

Lectio VIII.

Duobus etenim modis crux tollitur, cum aut per abstinentiam afficitur corpus, aut per compassionem proximi affligitur animus. Pensemus, qualiter utroque modo Paulus crucem suam tulerit, qui dicebat: Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte aliis praedicans, ipse reprobus efficiar. Ecce in afflictione corporis audivimus crucem carnis; nunc in compassione proximi audiamus crucem mentis. Ait: Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror. Perfectus quippe praedicator, ut exemplum daret abstinentiae, crucem portabat in corpore: et quia in se trahebat damna infirmitatis alienae, crucem portabat in corde.

R. Hic est vere.

Lectio IX.

Qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. Sic dicitur fideli: qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam: qui autem perdidit animam suam propter me et Evangelium, salvam eam faciet, ac si agricolae dicatur: Frumentum si servas, perdis; si seminas, renovas: quis enim nesciat, quod frumentum, cum in semine mittitur, perit ab oculis, in terra deficit? Sed unde putrescit in pulvere, inde virescit in renovatione

Te Deum laudamus.

Tempore vero Paschali Lectiones tertii No-

cturni, dicuntur ut supra in Festo S. Erasmi Episc. Martyr. 3. Juni.

In Vesperis Commemoratio S. Medardi Episcopi et Confessoris.

Die VIII. Junii.

In Festo S. MEDARDI,

Episcopi et Confessoris.

SIMPLEX.

O R A T I O.

Deus, qui sanctam nobis hujus diei solemnitatem, in honore sancti Medardi Confessoris tui atque Pontificis consecrasti: adesto familiae tuae precibus; ut cujus festa celebramus, ejus merito, et auxilio sublevemur. Per Dominum nostrum.

Lectio III.

Beati Patris Medardi etc. ut in Breviario Rom. de communi Confessoris Pontificis.

Die XII. Junii.

In Festo

S. JOANNIS a S. Facundo,

Confessoris.

DUPLEX. *Omnia de Communi Confess. non Pont. praeter propr.*

O R A T I O.

Deus auctor pacis, et amator charitatis, qui beatum Joannem Confessorem tuum mirifica dissidentes componendi gratia decorasti: ejus meritis, et intercessione concede; ut in tua charitate firmati nullis à te tentationibus separemur. Per Dominum nostrum.

Deinde fit Commemoratio SS. Basilid. et Soc. Martyrum.

In I. Nocturno. Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno. Lectio IV.

Joannem Sahaguni in Hispania nobili genere natum, parentes cum diu prole caruissent, piis operibus, et orationibus a Deo impetrarunt. Ab ineunte aetate egregium futurae sanctitatis specimen dedit: nam e loco superiori ad caeteros pueros crebro verba faciebat, quibus eos ad virtutem, et Dei cultum hortabatur, eorumque dissidia componebat. In patria Monachis sancti Facundi Ordinis S. Benedicti primis literarum rudimentis imbuendus traditur, dum iis operam daret, curavit pater, ut Parochus Ecclesiam administraret, quod munus juvenis nullis rationibus adduci potuit, ut retineret. Inter familiares Episcopi Burgensis adscriptus, ob spectatam ipsius probitatem intimus ei fuit, ab eo que Presbyter, et Canonicus factus, multis beneficiis auctus est. Sed relicta aula Episcopi, ut Deo quietius serviret omnibus proventibus abdatis, se cuidam sacello addixit, ubi sacrum quotidie faciebat, ac de rebus divinis magna cum auditorum aedificatione frequenter concionabatur.

B. Honestum.

Lectio V.

Postea studiorum causa Salmanticam profectus in celebre Collegium Divi Bartholomaei cooptatus, Sacerdotis munus ita exercuit, ut simul optatis studiis incumberet, et in sacris etiam concionibus assidue versaretur. Cum vero in gravissimum morbum incidisset, arctioris disciplinae voto se obstrinxit, quod ut redderet, cum prius cuidam pauperi pene nudo ex duabus, quas tantum habebat vestes,

meliozem dedisset, ad coenobium sancti Augustini severiori disciplina tum maxime florens, se contulit, in quo admissus obedientia, animi demissione, vigiliis, ac oratione provectiores anteibat. Triclinii cura cum ipsi demandata esset, vini dolium ipso attingente omnibus Monachis per annum abunde suffecit. Exacto tyrocinii anno, Praefecti jussu munus concionandi suscepit. Salmanticae id temporis adeo cruentis factionibus diviua humanaque omnia permixta erant, ut singulis propemodum horis caedes fierent, et omnium ordinum, ac praesertim nobilium sanguine non viae solum et fora, sed templa etiam redundarent.

R. Amavit.

Lectio VI.

At Joannes tum concionibus, tum privatis colloquiis civium animos demulcens, ad tranquillitatem urbem reduxit. Virum Principem graviter offendit, quod illius in subditos saevitiam increpasset. Qua de causa equites duos immisit, qui eum in itinere confoderent, jamque ad ipsum propinquaverant, cum stupore divinitus immisso simul cum equis immobiles steterunt, donec ad pedes sancti viri provoluti sceleris veniam precarentur. Ipse quoque princeps repentino terrore perculsus jam de salute desperaverat, cum revocato Joanne, facti poenitens incolumitati redditus est. Factiosi etiam homines, cum eum fustibus peterent, brachiis diriguere nec ante redditae vires, quam delicti veniam precarentur. Christum Dominum, dum Sacrum faceret, praesentem contueri, atque ex ipso Divinitatis fonte coelestia mysteria haurire solitus. Abdita cordis inspicere, ac futura raro eventu praesagire frequens illi fuit. Fratrisque filiam septennem mortuam excitavit. Denique mortis die praenuntiato, et Ecclesiae Sacramentis devotissime su-

sceptis, extremum diem clausit. Multis ante, et post obitum miraculis gloriosus. Quibus rite probatis, Alexander Octavus sanctorum numero eum adscripsit.

R. Iste homo.

In III. Nocturno. *Homilia in Evangelium: Sint lumbi. nona Lectio (ex duabus una) et commemoratio Sanctorum Basilidis etc. MM. ut in Breviario.*

Missa: Os justi. 2. Or. de SS. MM.

Die XVI. Junii.

In Festo S. BENNONIS,

Episc. et Conf.

DUPLEX. *Officium fit de Communi Pontificis et Confessoris, sequentibus exceptis.*

O R A T I O.

Deus, qui nos Beati Bennonis Pontificis confessione gloriosa circumdas, et protegis: da nobis, et ejus imitatione proficere, et intercessionem gaudere. Per Dominum nostrum etc.

In I. Nocturno. *Lectiones de scriptura occurr.*

In II. Noct. *Lectio IV.*

Benno Hildesima, Saxoniae civitate, illustribus Genitoribus oriundus, quinquennis S. Bernardo Hildesimensi Episcopo, ejus Consanguineo, commendatus, Wiggero Monasterii S. Michaelis Praeposito, in Dei timore instruendus, et in studio literarum erudiendus traditur. Factus Adolescens, Episcopi Consilio, sumpto habitu Monachorum, in eodem Coenobio, tam sancte vixit ut mortuo Abbate, cogeretur solitudinis Abbatialis sarcinam subire: cujus tamen vacationem, prae amore vitae

contemplativae, post spatium trium circiter mensium, fleutibus saepe oculis impetravit. Cum autem speraret, reliquum vitae privatum, in oratione transigere, Heuricus Imperator Tertius hujus nominis, cupiens in Ecclesia Goslariensi, a se nuper absoluta, Congregationem Canonorum regulariter viventium, à probatissimis, et doctissimis quibusque Germanorum constituere, Benmonem magnis precibus, à Pontifice Leone Nono impetratum et illius auctoritate, ab Ordine Monastico, ad Canonicum translatum, eidem novellae Congregationi Magistrum dedit, ut illi spiritualis armaturae dux esset, et illam Ecclesiasticae disciplinae tyrocinii informaret.

R. Inveni David.

Lectio V.

Cum autem annos decem et septem, in Canonica Congregatione, sanctissime vixisset, et Monasterium Goslariense multorum praediorum, domorum, et censuum, paternae haereditatis attributione, ditavisset, suadente Beato Annone Coloniensi Archi-Episcopo, Ecclesiae Misnensi tunc vacanti, praefectus, Episcopatum ut acciperet, omnibus, quibus potuit, modis restitit, sed tandem Beati Annonis acri objurgatione compulsus potius, quam persuasus, illum suscepit, non nescius tamen, divino sibi revelante Spiritu, quantis tribulationum fluctibus, in Episcopatu foret exagitandus: quemadmodum ipse eventus comprobavit, dum Heuricus Quartus Imperator, bello contra Saxones excitato, sanctum Episcopum, officio boni Pastoris incumbentem, et nihil mali suspicantem, invadens, insouem capit, omnia illius Ecclesiae bona diripit, et captum carceribus, et exilio durissimo damnat.

R. Posui in adjutorium.

Lectio IV.

Revocatus deinde ab exilio, et ad suam Ecclesiam ire permissus, mox alia tempestate contra illum oborta, exulare denuo compellitur, exorto nimirum diro schismate inter Romanum Pontificem Gregorium Septimum, et ipsum Imperatorem; quo vel Henrici iram incurrere, vel Dei et Pontificis mandatorum transgressor fieri cogitur. Eligens enim potius indignationem hominum incurrere, quam Divinum mandatum contemnere, superatis insidiis sibi in itinere paratis, Romam pergens, Pontifici adhaesit: et pro illius auctoritate, nec non etiam pro Ecclesiastica libertate, contra ipsum Imperatorem acerrime pugnavit: et unus fere ex tota Germania Concilio Romano, eadem causa contra Imperatorem celebrato, interfuit, et subscripsit. Qui tandem Imperatore viribus fracto libere ad ipsam Ecclesiam reversus, dum eidem Ecclesiae instaurandae, moribusque reformandis strenuam operam impendit: dum Slavis, ab errore idololatriae repurgandis, praedicatione, et miraculis totus incumbit, sentiens horam sui exitus appropinquare, convocatis fratribus, et ad mutuam dilectionem serio cohortatis, praenuntiata, quae futura erat, Ecclesiae pace, ac tranquillitate, in Domino obdormivit, sexto Kalendas Julii, ab Hadriano Sexto in Sanctorum numerum relatus.

R. Iste est.

In III. Nocturno. *De Homilia in Evangelium:*
Homo peregre proficiscens.

Die XIX. Junii.

In Festo

S. JULIANAE de Falconeriis,
Virginis.

SEMIDUPLEX. *Omnia de communi Virginum, praeter ea, quae hic ponuntur propria.*

Ad Vesperas utrasque et Matutinum.

Hymnus.

Coelestis Agni nuptias
O Juliana dum petis,
Domum paternam deseris,
Chorumque ducis Virginum.

Sponsumque suffixum Cruci
Noctes, diesque dum genis,
Doloris icta cuspide
Sponsi refers imaginem.

Quin septiformi vulnere
Fles ad genu Deiparae;
Sed crescit infusa sletu,
Flammasque tollit charitas.

Hinc morte fessam proxima
Non usitato te modo
Solatur, et nutrit Deus,
Dapem, supernam porrigens.

Aeterne rerum Conditor,
Aeterne Fili par Patri,
Et par utrique Spiritus
Soli tibi sit gloria. Amen.

O R A T I O.

Deus, qui beatam Julianam Virginem tuam extremo morbo laborantem pretioso Filii tui corpore mirabiliter recreare dignatus es: concede quaesumus; ut, ejus intercedentibus meritis, nos quoque eodem in mortis agone resecti, ac roborati ad coelestem patriam perducamur. Per eundem Dominum.

Deinde fit commemoratio SS. Gervasii et Protasii, ut in Brev. Rom.

In I. Nocturno. *Lectiones de scriptura occurr.*

In II. Noct. Lectio IV.

Juliana ex nobili Falconeria Familia clarissimo Patre, qui templum Deiparae ab Angelo salutatae aere suo magnifice a fundamentis Florentiae, ut

nunc visitur, erexit, Matre Reguardata, ambobus jam senescentibus, ac ad id tempus sterilibus, nata est anno millesimo ducentesimo septuagesimo. Ab incunabulis non exiguum futurae sanctitatis specimen dedit; vagientibus quippe labiis suavissima Jesu et Mariae nomina ultro proferre audita est. Pueritiam postmodum ingressa totam se Christianis virtutibus mancipavit, quibus adeo excelluit, ut Beatus Alexius patruus, cujus institutis, ac exemplis instruebatur, Matridicere non dubitaverit, ipsam non feminam peperisse, sed Angelum; nam ita modesto vultu animoque ab omni vel levissima erroris macula pura fuit, ut oculos nunquam in toto vitae cursu ad hominis faciem intnuendam erexerit, auditoque peccati vocabulo contremuerit, imo sceleris narratione percussa, illico prope exanimis corruerit. Expleto nondum decimoquinto aetatis suae anno, re familiari, licet opulenta, terrenisque posthabitis nuptiis, Deo virginitatem in manibus Divi Philippi Benitii solemniter vovit, ab eoque omnium prima religiosum Mantellatarum habitum, ut dicunt, sumpsit.

R. 4. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua. V. Specie tua, et pulchritudine tua intende, prospere procede, regna. * Et deducet.

Lectio V.

Julianae exemplum secutae sunt plurimae ex nobilioribus Familiis feminae, ac Mater ipsa Filiae sese religiose instituendam dedit, ita ut aucto paulatim numero, ordinem Mantellatarum instituerit, ac illi pie vivendi leges summa prudentia, ac sanctitate tradiderit. Ejus virtutes cum optime perspectas Divus Benitius haberet, morti proximus, nulli melius, quam Julianae, non feminas tantum, sed totum servorum Ordinem, cujus Propagator, et Mo-

derator extiterat, commendatum voluit. Verum ipsa demisse semper de se cogitabat, et cum caeterarum esset magistra in re quaque domestica licet vili, sororibus famulabatur. Assiduitate orandi integras insumebat dies, in extasim saepissime raptā, et si reliquum, in sedandis Civium dissidiis, criminosis a via iniquitatis retrahendis, ac inserviendis impendebat aegrotis, quorum quandoque saniem ex ulceribus manantem, admoto ore lambens, eos sanitati restitnebat. Corpus suum flagris, nodosis funiculis, ferreis cingulis, vigiliis, humi nudae cubando, terere solita fuit. Parcissime cibo, et hoc vili, quatuor hebdomadae diebus, et reliquis duobus solo Angelorum pane contenta, excepto die Sabbati, quo pane solo et aqua nutriebatur.

R. 5. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem:
 * Propterea iunxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae. V. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. * Propterea.

Lectio VI.

Dura hujusmodi vivendi ratione in stomachi morbum incidit, quo ingravescente, cum septuagesimum aetatis annum ageret, ad extremum vitae spatium redacta est. Diuturnae valetudinis incommoda hilari vultu, constantique animo pertulit: de quo tantum conqueri audita est, quod cum cibum capere, ac retinere nullo modo posset, ab Eucharistica mensa, ob Sacramenti reverentiam arceretur. Verum his in angustiis constituta, Sacerdotem rogavit, ut allatum divinum Panem, quem ore sumere nequibat, pectori saltem exterius admove-ret. Precibus illius morem gessit Sacerdos; et mirum! eodem temporis momento, divinus Panis disparuit, et Juliana sereno, ac ridenti vultu expiravit. Res supra fidem tamdiu fuit, donec virgineum de more curaretur corpus; inventa est enim circa

sinistrum pectoris latus carni veluti sigillo impressa forma Hostiae, quae Christi crucifixi effigiem repraesentabat. Hujus prodigii fama, ceterorumque miraculorum, non Florentiae tantum, sed totius Christiani orbis venerationem illi conciliavit, ac per quatuor prope integra saecula adeo aucta est, ut tandem Benedictus Papa decimus tertius in ejus celebritate Officium proprium recitari ab universo Ordine Beatae Mariae Virginis servorum jusserit. Clemens vero duodecimus munificentissimus ejusdem Ordinis Protector, novis indies miraculis coruscantem, sanctarum Virginum Catalogo adscripsit.

R. 6. Afferentur Regi Virgines post eam, proximae ejus. * Afferentur tibi in laetitia et exultatione. V. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede et regna. * Afferentur. Gloria Patri et Filio. Afferentur.

In III. Nocturno. *Homilia S. Gregorii Papae in Evangelium: Simile erit regnum Coelorum decem Virginiibus, ut in Communi Virginum.*

Lectio IX.

Ex 2. una, et Commemoratio de SS. GERVASIO et PROTASIO Mart. ut in Brev. Rom.

In Laudibus et Missa: Dilexisti, ex Communi et Virginum.

Die XXI. Junii.

Festum

S. ALOISII GONZAGAE,

Confessoris.

DUPLEX. *Omnia de Communi Confess. non Pontif. exceptis quae sequuntur.*

O R A T I O.

Coelestium donorum distributor Deus, qui in Angelico Juvene Aloysio miram vitae innocentiam

pari cum poenitentia sociasti; ejus meritis et precibus concede, ut innocentem non secuti, poenitentem imitemur. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.

In I. Nocturno. *Lectiones de scriptura occurrente.*

In II. Nocturno. Lectio IV.

Aloysius, Ferdinandi Gonzagae Castellionis Stiverorum Marchionis filius, festinato propter vitae periculum baptismo, prius coelo, quam terris nasci visus; primam illam gratiam tam constanter retinuit, ut in ea confirmatus crederetur. A primo rationis usu quo se Deo statim obtulit, vitam duxit quotidie sanctiorem. Novennis Florentiae ante aram B. Virginis, quam parentis loco semper habuit, perpetuam Virginitatem vovit; eamque insigni Dei beneficio, nulla mentis, aut corporis pugna tentatam servavit. Reliquas animi perturbationes coepit aetate illa tam fortiter comprimere, ut ne primo quidem earum motu deinde incitaretur, sensus etiam, oculos praecipue, ita cohibuit, ut non modo illos nunquam in faciem intenderit Mariae Austriacae, quam plures annos inter honorarios Hispaniarum Principis ephebos fere quotidie salutavit; sed a matris etiam vultu contineret. Homo propterea sine carne, aut Angelus in carne merito appellatus.

R. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum:
* Et dedit illi claritatem aeternam.

V. Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio V.

Adjecit sensuum custodiae corporis cruciatum. Tria singulis hebdomadis jejunia, eaque plerumque modico pane, et aqua tolerabat. Quamquam

perpetuum fuisse per id tempus ipsius jejunium videri potest; cum ejus prandia ferme vix unciam aequarent. Saepe etiam ter in die se funibus, aut catenis cruentabat: flagella quandoque canum loris, cilicia equorum calcaribus supplevit. Mollem lectulum clam injectis asserum fragmentis asperabat, eo etiam, ut citius ad orandum excitaretur. Magnam quippe noctis partem, summa etiam hieme, solo tectus indusio, positus humi genibus, vel prae languore jacens, ac pronus in coelestium contemplatione traducebat. Interdiu quoque tres, quatuor, quinque horas in ea perstabat immotus; donec unam saltem animo nusquam distracto percorrisset. Cujus constantiae praemium fuit stabilitas mentis inter orandum, alio non vagantis; imo perpetua velut ecstasi in Deo defixae. Ei demum ut unice adhaereret, victo post triennale acerrimum certamen Patre, et aviti Principatus jure in fratrem translato, societati Jesu, ad quam coelesti voce Madriti fuerat accitus, Romae se ad junxit.

R. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum: * Et ad portas paradisi coronavit eum.

Y. Induit eum Dominus loricam fidei, et ornavit eum. Et ad portas.

Lectio VI.

In tirocinio ipso virtutum omnium Magister haberi coepit. Exactissima in eo erat legum etiam minimarum custodia, mundi contemptus singularis, implacabile odium sui; Dei vero amor tam ardens, ut corpus etiam sensim absumeret. Jussus propterea mentem a divinis rebus tantisper avertere, occurrentem sibi ubique Deum irritum conatu fugiebat. Mira etiam proximos charitate amplexus, in publicis, quibus alacriter ministrabat, nosocomiis contagiosam luem traxit. Qua lente consumptus

die, quem praedixerat, undecimo Kalendas Julii, aetatis anno quarto et vigesimo jam inchoato, cum antea flagellis caedi, atque humi stratus mori postulasset, migravit in coelum. Ibi eum S. Maria Magdalena de Pazzis tanta frui gloria, Deo monstrante, vidit, quantam vix esse in coelo credidisset; ipsunque sanctimonia insignem, et charitate martyrem incognitum fuisse praedicavit. Multis etiam, magnisque claruit miraculis. Quibus rite probatis, Benedictus XIII. Sanctorum fastis Angelicum Juvenem adscripsit, atque innocentiae et castitatis exemplar, simul et Patronum studiosae praesertim juventuti dedit.

R. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus; et dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus.

V. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. Quia te vidi. Gloria Patri. Quia te.

In III. Nocturno. Lectio sancti Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 22. v. 29.

In illo tempore respondens Jesus ait Sadducæis: Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei: in resurrectione enim neque nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in coelo. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi, *Lib. de Virginit.*

Virginitas est bona: id ego quoque fateor. Atqui nuptiis etiam melior; et istud tibi assentior: ac si libet, illud adjungam, tanto nuptiis eam praestare, quanto coelum terræ, quanto hominibus Angeli antecellunt; ac, si quid praeterea addendum est, etiam magis. Nam si neque nubunt Angeli,

neque uxorem ducunt; non etiam carne et sanguine coagmentati sunt: in terris praeterea non commorantur; non cupiditatum, aut libidinum perturbationibus sunt obnoxii; non cibi indigent, aut potus; non sunt ejus modi, ut eos dulcis sonus, aut cantus mollis, aut praeclara species possit allicere; nulla denique ejus generis illecebra capiuntur.

R. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

V. Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua. Ipse intercedat.

Lectio VIII.

At humanum genus, cum natura beatis illis mentibus inferius sit, omni vi, studioque contendit, ut quoad ejus fieri potest, illas assequatur. Quomodo? non nubunt Angeli; at neque etiam virgo. Assistentes illi semper ad Deum, eidem inserviunt; et istud ipsum virgo. Quod si virgines, quamdiu corporis onere deprimuntur, quemadmodum Angeli in coelum nequeunt ascendere; illud eo vel maximo solatio compensat, quod modo spiritu et corpore sancti sint, coeli Regem recipiunt. Videsne virginitatis praestantiam? quomodo terrarum incolas sic afficiat, ut qui corpore vestiti sunt, eos incorporeis mentibus exaequet?

R. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris: * Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando refertatur a nuptiis.

V. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. Et vos. Gloria Patri. Et vos.

Lectio IX.

Qua enim, quaeso, re differebant ab Angelis Elias, Elisaëus, Joannes, veri hi virginitatis ama-

tores? nulla, nisi quod mortali natura constabant. Nam caetera si quis diligenter inquirat, hi nihilominus affecti reperientur, quam beatæ illæ mentes: et idipsum, quo inferiore conditione videntur esse, in magna est eorum laude ponendum. Ut enim terrarum incolae, et ii, qui essent mortali natura, possent ad illam virtutem vi et contentione pervenire; vide, quanta eos fortitudine, quanta vitae ratione praeditos fuisse oporteat.

Te Deum laudamus.

Missa propria: Minuisti eum, in fine novi Missalis.

Vesp. a Capit. sequ. commem. praeced. et S. Paulini Episc. Confess.

Dic XXII. Junii.

In Festo SS.

Decem Millium MARTYRUM,

DUPLEX. Omnia de communi plurimorum Martyrum praeter propria hic posita.

O R A T I O.

Deus, qui ad incitandum Passionis tuae exemplum, Beatos Hermolaum, Marcum, Alexandrum, et cum eis decem millia Martyrum crucis supplicium subire fecisti: praesta quaesumus; ut quorum Passionem veneramur in terris, Passionis tuae remedia consequamur in coelis. Qui vivis et regnas etc.

Deinde fit Commemoratio praecedentis, et S. Paulini, Episcopi Confessoris.

In I. Noct. Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno. Lectio IV.

Decimo Kalendas Julias passa sunt decem Milia Martyrum, inter quos praecelsi meriti nominan-

tur duo, Marcos et Alexander. Hi omnes uno die pro Christi nomine interempti sunt sub Adriano Imperatore, et aliis sex Regibus, qui ad illum in belli societatem accesserunt. Hi cum ab Imperatore ad sacrificandum idolis compellerentur, responderunt, illicitum esse, sacrificium offerre surdis, et mutis idolis, sed semetipsos offerre in hostiam Jesu Christo, Deo vero, et vivo, pro nobis passo plurima, et tandem crucifixo.

R. Sancti tui.

Lectio V.

Imperator his auditis jussit eos torqueri, et iisdem poenis affici, quas Christum tolerasse praedicabant; et ad extremum a reliquo triginta millium exercitu crucifigi; quae omnia illi forti animo, et fide firmissima pro Christo sustinuerunt. Inter eos crucifixus est S. Hermolaus Archi-Episcopus, qui eosdem sanctos Martyres baptizaverat. Passi autem sunt in monte Ararath prope Alexandriam Armeniae, hora sexta, ac eadem, qua Christus in cruce patiebatur.

R. Verbera carnis.

Lectio VI.

Eodem, quo passi sunt tempore, multa prodigia visa sunt. Martyres vero fundentes orationes, una voce dixerunt: Domine Deus, memento nostri in hoc patibulo crucis, et suscipe petitionem nostram; ut quicumque memoriam passionis nostrae, corde et ore, jejunio et devotione celebraverint, consequi mereantur fructuosam mercedem. Facta autem oratione, in confessione Domini, emiserunt spiritum.

R. Tanquam aurum.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. 6.

In illo tempore: descendens Jesus de monte, stetit in loco campestri, et turba Discipulorum ejus, et multitudo copiosa plebis ab omni Judaea et Jerusalem, et maritima, et Tyri et Sidonis. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis. *In Festo omnium Sanctorum.*

Legimus in Evangelio hodie, quoniam videns turbas Jesus, ascendit in montem. Praedicantem enim Dominum de civitatibus et castellis populi sequebantur: quorum salvabat animas, sanabat et corpora; et adhaerebant ei, affatu pariter et aspectu illius delectati: cujus nimirum vox suavis, et facies decora, sicut scriptum est: Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis. Talis est, quem nos sequimur, cui adhaeremus, totus desiderabilis; in quem non solum populi, sed et ipsi quoque Angeli sancti desiderant prospicere.

R. Propter Testamentum.

Lectio VIII.

Quid vobis suavius apponemus? nimirum hae sunt deliciae Angelorum. Gustate proinde et videte, quoniam suavis est Dominus. Et huic suavitati, huic saponi, huic sapientiae, quae trahitur de occultis, omne quod desideratur, non valet comparari. Quid enim miraris in sole splendorem, in flore pulchritudinem, in pane saporem in terra fecunditatem? sed a Deo haec universa dona sunt: nec dubium, quin multo amplius reservaverit sibi, quam dederit creaturis.

R. Sancti mei.

Lectio IX.

DE S. PAULINO, *ut in Breviario Romano.*

Si vero hac Festum transferatur, vel Festum SS. Cancii, Canciani, et Cancianillae MM. celebretur extra Temp. Paschale 9. Lect. legitur, ut seq.

Lectio IX.

Jam ne hoc quidem otiosum putemus, quod ascendit in montem, nimirum quod tanto ante praedictum est, tanquam à longe clamante Propheta: Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Hierusalem.

Te Deum laudamus.

Die XXIV. Junii.

In secundis Vesperis S. Joannis Baptistae fit Commemoratio sequentis.

Antiph. Iste est Joannes, qui supra pectus Domini in Coena recubuit: Beatus Apostolus, cui revelata sunt secreta coelestia.

V. Valde honorandus est Beatus Joannes.

R. Qui supra pectus Domini in Coena recubuit.

O R A T I O.

Ecclesiam tuam Domine benignis illustra: ut Beati Joannes Apostoli tui et Evangelistae, cujus Commemorationem colimus, illuminata doctrinis, ad dona perveniat sempiterna. Per, Dominum nostrum etc.

Die XXV. Junii.

Commemoratio S. JOANNIS,

Apostoli et Evangelistae.

DUPLEX 2. *Classis.*

Ad Matutinum.

*Invitatorium, Hymnus, Antiphonae, Psalmi,
et Versic. Nocturnorum de Communi Apostolorum.*

In I. Nocturno.

De Libro Apocalypsis Beati Joannis Apostoli.

Lectio I. *Cap. 4.*

Post haec vidi: et ecce ostium apertum in Coelo; et vox prima, quam audiui, tamquam tubae loquentis mecum, dicens: Ascende huc, et ostendam tibi, quae oportet fieri post haec. Et statim fui in Spiritu: et ecce sedes posita erat in coelo, et supra sedem sedens. Et qui sedebat, similis erat aspectui lapidis Jaspidis et Sardinis: et iris erat in circuitu sedis, sedilia viginti quatuor: et super thronos viginti quatuor Seniores sedentes, circumamicti vestimentis albis, et in capitibus eorum coronae aureae.

R. Valde honorandus est Beatus Joannes, qui supra pectus Domini in coena recubuit. * Cui Christus in cruce Matrem Virginem Virgini commendavit. V. Virgo est electus a Domino, atque inter caeteros magis dilectus. * Cui Christus.

Lectio II.

Et de throno procedebant fulgura, et voces, et tonitrua: et septem lampades ardentes ante thronum, qui sunt septem Spiritus Dei. Et in conspe-

ctu sedis tamquam mare vitreum simile crystallo: et in medio sedis, et in circuitu sedis, quatuor animalia plena oculis ante et retro. Et animal primum simile leoni, et secundum animal simile vitulo, et tertium animal habens faciem quasi hominis, et quartum animal simile aquilae volanti. Et quatuor animalia, singula eorum habebant alas senas: et in circuitu, et intus plena sunt oculis.

R. Hic est Discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scripsit haec: * Et scimus quia verum est testimonium ejus. V. Fluenta Evangelii de ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit. * Et scimus.

Lectio III.

Et requiem non habebant die ac nocte, dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, et qui est, et qui venturus est. Et cum darent illa animalia gloriam, et honorem, et benedictionem sedenti super thronum, venti in saecula saeculorum, procidebant viginti quatuor Seniores ante sedentem in throno, et adorabant viventem in saecula saeculorum, et mittebant coronas suas ante thronum, dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam et honorem, et virtutem; quia tu creasti omnia, et propter voluntatem tuam erant, et creata sunt.

R. Hic est beatissimus Evangelista et Apostolus Joannes. * Qui privilegio amoris praecipui caeteris altius a Domino meruit honorari. V. Hic est Discipulus ille, quem diligebat Jesus, qui supra pectus Domini in coena recubuit. * Qui privilegio. Gloria Patri. * Qui privilegio.

In II. Nocturno. *Ex Tractatu S. Augustini Episc. in Joannem Tract. 36.*

Lectio IV.

In quatuor Evangeliiis, vel potius quatuor Libris unius Evangelii, sanctus Joannes Apostolus

non immerito secundum intelligentiam spirituales aquilae comparatus, altius multoque sublimis aliis tribus erexit praedicationem suam: et in ejus erectione etiam corda nostra erigi voluit. Nam caeteri tres Evangelistae tanquam cum homine Domino in terra ambulant, et de divinitate ejus pauca dixerunt: istum autem quasi piguerit in terra ambulare sicut ipso exordio sui sermonis intonuit, erexit se non solum super terram, et super omnem ambitum aeris et coeli, sed super omnem etiam exercitum Angelorum, omnemque constitutionem invisibilium potestatum; et pervenit ad eum, per quem facta sunt omnia, dicendo: In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum.

R. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo meo, dicit Dominus: * Et scribam super eum nomen meum, et nomen civitatis novae Jerusalem. V. Vincenti dabo edere de ligno vitae, quod est in paradiso Dei mei. * Et scribam.

Lectio V.

Huic tantae sublimitati principii etiam caetera congrua praedicavit, et de Domini divinitate, quomodo nullus alius, est locutus: hoc eructabat, quod biberat. Non enim sine causa de illo in isto ipso Evangelio narratur, quia et in convivio super pectus Domini discumbebat. De illo ergo pectore in secreto bibebat; sed quod in secreto bibit, in manifesto eructavit: ut perveniat ad omnes Gentes non solum Incarnatio Filii Dei, Passio, et resurrectio; sed etiam quod erat ante Incarnationem unicus Patri, Verbum Patris, coaeternus generanti, aequalis ei, a quo missus est.

R. Diligebat autem eum Jesus, quoniam specialis praerogativa castitatis, ampliori dilectione fecerat dignum; * quia Virgo electus ab ipso, Virgo

in aevum permausit. *V.* In cruce denique moriturus, huic Matrem suam Virginem Virgini commendavit. * Quia.

Lectio VI.

Aquila ipse est Joannes, sublimium praedicator, et lucis internae atque aeternae fixis oculis contemplator. Dicuntur enim et pulli aquilarum a parentibus sic probari, patris scilicet ungue suspendi, et radiis solis opponi. Qui firme contemplatus fuerit, filius agnoscitur: si acie palpitaverit, tamquam adulterinus ab ungue dimittitur. Jam ergo videte, quam sublimia loqui debuit, qui est aquilae comparatus: et tamen etiam nos humi repentes, infirmi, et vix ullius momenti inter homines, audeamus tractare ista, et ista exponere: et putamus nos aut capere posse, cum cogitamus, aut capi, dum dicimus.

R. In medio Ecclesiae aperuit os ejus. * Et implevit eum Dominus spiritu sapientiae et intellectus. *V.* Jucunditatem et exaltationem thesaurizavit super eum. * Et implevit. Gloria Patri et Filio. * Et implevit.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. Cap. 21.

In illo tempore: dixit Jesus Petro: Sequere me. Conversus Petrus, vidit illum Discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi. *Homilia 87. in Joannem circa medium.*

Cum magna Christus Petro communicasset, orbis terrarum curam demandasset, Martyrium praedixisset, majorem erga eum dilectionem testatus esset: cum vellet Petrus Joannem socium et colle-

gam, inquit: Hic autem quid? Numquid eandem viam aggredietur? Et quemadmodum in Coena interrogare non ausus, Joannem suffecit; ita nunc vicem reddit, arbitratus eum velle, sed non audere de se sciscitari. Tum Christus: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?

R. In illum diem suscipiam te servum meum, et ponam te sicut signaculum in conspectu meo: * Quoniam ego elegi te, dicit Dominus. V. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae. * Quoniam.

Lectio VIII.

Nam cum nimia id charitate diceret Petrus, nec ab eo dividi vellet, ostendens Christus, quod quantavis eum dilectione prosequeretur, suam assequi non posset, inquit: Sic eum volo manere, quid ad te? His verbis nos erudiens, neque dolendum, neque curiosius praeter divinam voluntatem investigandum. Nam cum Petrus semper in hujusmodi interrogationes ferventius prosiliret, iterum ejus fervorem retundens, quod non sit ulterius inquirendum, in hunc modum respondit.

R. Iste est Joannes, qui supra pectus Domini in coena recubuit: Beatus Apostolus, cui revelata sunt secreta coelestia. V. Fluenta Evangelii de ipso sacro Dominici pectoris fonte potavit. * Beatus Apostolus. Gloria Patri et Filio. * Beatus.

Lectio IX.

Exiit ergo sermo iste inter Fratres, quod Discipulus ille non moritur: et non dixit ei Jesus: quia non moritur; sed, sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Noli arbitrari inquit, eodem modo me de vobis disposuisse. Hoc autem dixit: ut intempestivum affectum, et consuetudinis desiderium tolleret. Cum enim essent orbis terrarum

curam suscepturi, simul amplius esse non oportebat: magnum enim fuisset mundo detrimentum. Idcirco inquit: Opus suscepisti, id considera, perfice, labora, et te certaminibus expone. Quid ad te, si volo eum manere hic? tu officium tuum cura, et exequere.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes et per Horas.

Antiph. Valde honorandus est Beatus Joannes, qui supra pectus Domini in coeva recubuit.
Psalmus. Dominus regnavit: cum reliquis de Dominica.

Antiph. Hic est Discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scimus, quia verum est testimonium ejus.

Antiph. Hic est Discipulus meus: sic eum volo manere, donec veniam.

Antiph. Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis in regno suo.

Antiph. Ecce puer meus electus, quem elegi, posui super eum Spiritu meum.

Capitulum. *Eccl.* 15.

Qui timet Deum, faciet bona: et qui continens est justitiae, apprehendet illam, et obviabit illi quasi mater honorificata.

Hymnus.

Exultet orbis gaudiis: ut in Communi Apostolorum.

V. Hic est Discipulus ille, qui testimonium perhibet de his.

R. Et scimus, quia verum est testimonium ejus.

Ad Benedictus.

Antiph. Iste est Joannes, qui supra pectus Domini in coena recubuit: Beatus Apostolus, cui revelata sunt secreta coelestia.

O R A T I O .

Ecclesiam tuam Domine benignus illustra: ut Beati Joannis Apostoli tui et Evangelistae, cujus commemorationem colimus, illuminata doctrinis, ad dona perveniat sempiterna. Per Dominum nostrum.

Non fit Commemoratio Octavae S. Joannis Baptistae.

Ad Tertiam.

Antiph. His est Discipulus ille.

Capitulum. *Eccl.* 15.

Qui timet Deum, *ut supra.*

R. br. In omnem terram, *de Communi Apostolorum.*

Ad Sextam.

Antiph. Hic est Discipulus meus.

Capitulum. *Eccl.* 15.

Cibavit illum pane vitae, et intellectus, et aqua sapientiae salutaris potavit illum Dominus Deus noster.

R. br. Constitues eos Principes.

Ad Nonam.

Antiph. Ecce puer meus.

Capitulum. *Eccl.* 15.

In medio Ecclesiae aperuit os ejus, et implevit illum Dominus Spiritu sapientiae, et intellectus et stolam gloriae induit eum.

R. br. Nimis honorati sunt.

Ad II. Vesperas.

Antiph. Valde honorandus est, *ut supra in Laudibus.* *Psalmi, ut in secundis Vesperis de Communi Apostolorum.*

Capitulum. Qui timet Deum.

Hymnus. Exultet orbis, *ut in Communi.*

V. Valde honorandus est Beatus Joannes.

R. Quia supra pectus Domini in coena recubuit.

Ad Magnificat.

Antiph. Exiit sermo inter Fratres, quod Discipulus ille non moritur: et non dixit Jesus, non moritur; sed, sic eum volo manere, donec veniam.

O R A T I O.

Ecclesiam tuam etc. ut supra.

In Vesperis Commemoratio SS. Joannis et Pauli MM. tantum, si hoc Festum non transferatur.

FESTA JULII.

Die II. Julii.

VISITATIO B. V. MARIAE,

DUPLEX. 1. *Classis cum Octava.*

Omnia ut in Breviario Romano, sed sine Commemoratione.

Lectio IX.

Ex eodem loco S. Ambrosii.

Denique tamdiu mansit Maria, quamdiu Elisabeth pariendi tempus impleret. Quod si diligenter advertas, invenies hoc nusquam positum, nisi in

generatione justorum. Denique impleti sunt dies, ut pareret Maria: impletum est tempus, cum sancti Viri ex hoc vitae curriculo demigrarent. Plenitudinem justae vita habet: inanes autem sunt dies impiorum.

In secundis Vesperis fit commemoratio sequentis tantum, nisi cum Domina concurrat.

Antiph. Ad Magnificat utrisque Vesperis, ad Benedictus in Laudibus.

Quia vidisti me Thoma, credidisti: Beati qui non viderunt, et crediderunt, Alleluja.

V. In omnem terram exivit sonus eorum.

R. Et in fines orbis terrae verba eorum.

O R A T I O.

Da nobis, quaesumus, Domine, Beati Apostoli tui Thomae translatione gloriari, ut ejus semper, et patrocinii sublevemur, et fidem congrua devotione sectemur. Per Dominum etc.

Dic III. Julii.

Translatio S. THOMAE, Apostoli.

DUPLEX. *Omnia de communi Apostolorum, exceptis iis, quae sequuntur.*

In I. Nocturno. Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno. Lectio IV.

Thomas Apostolus, qui et Didymus, Galilaeus, post acceptum Spiritum sanctum, in multas Provincias profectus est ad praedicandum Christi Evangelium: Parthis, Medis, Persis, Hyrcanis, et Bactris, Christianae fidei et vitae praecepta tradidit. Postremo ad Indos se conferens, eos in Christiana

religione erudit. Qui ad extremum vitae, doctrinaeque sanctitate, et miraculorum magnitudine, cum caeteris omnibus sui admirationem, et Jesu Christi amorem commovisset, illius gentis Regem, idolorum cultorem, magis ad iram accendit: cujus sententia condemnatus, telisque confossus, Calaminae Apostolatus honorem Martyrii corona decoravit.

R. Vidi conjunctos viros.

Sermo S. Gregorii Papae. *Homil. 30 in Evangelia post medium.*

Lectio V.

Scriptum est: Spiritus Domini ornavit coelos. Ornamenta enim coelorum sunt virtutes praedicantium. Quae videlicet ornamenta Paulus enumerat, dicens: Alii datur per Spiritum sermo sapientiae, alii sermo scientiae secundum eundem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanctorum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.

R. Beati estis.

Lectio VI.

Quot ergo sunt bona praedicantium, tot sunt ornamenta coelorum. Hinc rursus scriptum est: Verbo Domini coeli firmati sunt. Verbo enim Domini Filius est Patris. Sed eosdem coelos, videlicet sanctos Apostolos, ut tota simul sancta Trinitas ostendatur operata, repente de sancti Spiritus divinitate adjungitur; et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Coelorum ergo virtus de Spiritu sumpta est: quia mundi hujus potestatibus contraire non praesumerent, nisi eos sancti Spiritus fortitudo solidasset. Quales namque Doctores sanctae Ecclesiae ante

adventum hujus Spiritus fuerint, scimus: et post adventum illius, cujus fortitudinis facti sint, conspicimus.

R. Isti sunt Triumphatores.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. Cap. 20.

In illo tempore: Thomas, unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Jesus. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papae. *Ex Homil. 26. in Evangelia post medium.*

Quid fratres charissimi, quid inter haec auidadvertitis? Numquid casu gestum creditis, ut electus ille discipulus tunc deesset, post autem veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans palparet, palpaus crederet? Non hoc casu, sed divina dispensatione gestum est. Egit namque miro modo superna clementia, ut discipulus ille dubitans, dum in Magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis. Plus enim nobis Thomae infidelitas ad fidem, quam fides credentium discipulorum profuit: quia dum ille ad fidem palpaudo reducitur, nostra meus, omni dubitatione postposita, in fide solidatur.

R. Isti sunt, qui viventes.

Lectio VIII.

Sic quippe discipulum Dominus post resurrectionem suam dubitare permisit, nec tamen in dubitatione deseruit: sicut ante nativitatem suam habere Mariam sponsum voluit, qui tamen ad ejus nuptias non pervenit. Nam ita factus est discipulus dubitans et palpaus testis verae resurrectionis, sicut sponsus Matris fuerat custos integerrimae vir-

ginitatis. Palpavit autem, et exclamavit: Dominus meus, et Deus meus. Dicit ei Jesus: Quia vidisti me, credidisti. Cum Paulus Apostolus dicat: Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium: profecto liquet, quia fides illarum rerum argumentum est, quae apparere non possunt. Quae etenim apparent, jam fidem non habent, sed agnitionem.

R. Isti sunt viri sancti.

Lectio IX.

Dum ergo vidit Thomas, dum palpavit, cur ei dicitur: Quia vidisti me, credidisti? sed aliud vidit, aliud credidit. A mortali quippe homine divinitas videri non potuit. Hominem ergo vidit, et Deum confessus est, dicens: Dominus meus, et Deus meus. Videndo ergo credidit, qui considerando verum hominem, hunc Deum, quem videre non poterat, exclamavit. Laetificat valde quod sequitur: Beati, qui non viderunt, et crediderunt. In qua nimirum sententia vos specialiter signati sumus, qui eum, quem carne non vidimus, mente retinemus. Nos signati sumus: sed si fidem nostram operibus sequimur. Ille etenim vere credit, qui exercet operando quod credit.

Te Deum laudamus.

In Laudibus fit Commemoratio Octavarum Visitationis et Apostolorum.

In Vesperis Commemoratio Octavarum, et S. Udalrici Episcopi Confess.

Antiph. Sacerdos et Pontifex. V. Amavit.

O R A T I O.

Omnipotens sempiterne Deus, Beati Udalrici Confessoris tui atque Pontificis supplicatione placatus, tempora nobis pacifica tribue praesentia et

ab hostium visibilium et invisibilium nos defende nequitia. Per Dominum etc.

Dominica proxima post Festum VISITATIONIS B. V. M.

SS. HONORII et SEPTIMI,

Martyrum.

DUPLEX 2. *Class. in Cathedrali tantum.*

Officium totum de Comm. MM. cum Collecta: Deus, qui nos annua etc. et Commemoratione Dominicae in utrisque Vesperis et Laudibus.

Die IV. Julii.

Tertia Die infra Octavam Visitationis.

SEMIDUPLEX. *Omnia ut in Festo, praetersequentia.*

In I. Nocturno. Lectiones de scriptura occurrente.

In II. Nocturno. Lectio IV.

De Sermone S. Augustini Episcopi. Serm. 18. de Sanctis in medio.

Exultat Maria, et Matrem se laeta miratur, et de Spiritu sancto se peperisse gaudet, nec quia peperit innupta, terretur: sed quia genuerit, cum exultatione miratur. O femina super feminas benedicta, quae virum omnino non novit, et virum suo utero circumdedit! Circumdat virum Maria Angelo fidem dando, quia Heva perdidit virum, serpenti consentiendo. O felix obedientia! O insignis gratia! quae dum fidem humiliter dedit, coeli in se opificem corporavit. Hinc promeruit gloriam quam

ipsa postmodum hausit. Ecce, ait, ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

R. Ecce iste venit saliens in montibus transiliens colles; * similis est dilectus meus capreae hinnuloque Cervorum. V. Exultavit ut Gigas ad currendam viam: a summo coelo egressio ejus: Similis est.

Lectio V.

O Beata Maria, quis tibi digne valeat jura gratiarum, ac laudum praeconia rependere, quae singulari tuo assensu mundo succurristi perduto? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat, quae solo tuo commercio recuperandi aditum invenit? Accipe itaque quascunque exiles quascunque meritis tuis impares gratiarum actiones: et cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, et reporta nobis antidotum reconciliationis.

R. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula placui Altissimo: et de meis visceribus genui Deum et hominem. V. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Et de meis.

Lectio VI.

Sit per te excusabile, quod per te ingerimus: fiat impetrabile, quod fida mente poscimus. Accipe quod offerimus, redona quod rogamus, excusa quod timemus: quia tu es spes unica peccatorum. Per te speramus delictorum veniam, et in te beatissima nostrorum est exspectatio praemiorum. Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto foemineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam Visitationem.

R. Beata quae credidisti, quoniam perficientur in te, quae dicta sunt tibi à Domino. **Et ait Maria** * magnificat anima mea Dominum. **V.** Audite et venite, et narrabo quanta fecit Deus animae meae. Magnificat. Gloria. Magnificat.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. 1.

In illo tempore: **Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione, in civitatem Juda: et intravit in domum Zachariae, et salutavit Elisabeth. Et reliqua.**

Homilia S. Ambrosii Episcopi. *Lib. 2. in Luc. c. 1. post init.*

Morale est omnibus, ut qui fidem exigunt, fidem astruant. Et ideo Angelus, cum abscondita nuntiaret, ut fidem astrueret exemplo, senioris feminae sterilisque conceptum Virgini Mariae nuntiavit: ut possibile Deo omne, quod ei placuerit, assereret. Ubi audivit hoc Maria, non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo, sed quasi laeta pro voto, religiosa pro officio, festina pro gaudio, in montana perrexit. Quo enim jam Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione contenderet? Nescit tarda molimina sancti Spiritus gratia.

R. Beatam me dicent omnes generationes; * Quia fecit mihi Dominus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. **V.** Et misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum. * Quia fecit mihi.

Lectio VIII.

Discite et vos sanctae Mulieres sedulitatem, quam praegnantibus debeat exhibere cognatis.

Mariam, quae ante sola in intimis penetralibus versabatur, non, a publico virginitatis pudor, non a studio asperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardavit. In montana Virgo cum festinatione, Virgo officii memor, injuriae immemor, affectu urgente, non sexu, relicta perrexit domo. Discite virgines non circumcursare per alienas aedes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones. Maria in domo sera, festiva in publico, mansit apud cognatam suam tribus mensibus.

R. Felix namque es sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima: * Quia ex te ortus est sol justitiae, * Christus Deus noster. **V.** Ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto foemineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam Visitationem. * Quia ex te. Gloria Patri. * Christus Deus.

Pro S. UDALRICO, Episcop. Confessor.

Lectio IX.

Udalricus, Nobilis Germanus a Martino Pontifice in demortui Adalberonis, Episcopi Augustani locum designatur, quod rescians ex urbe profugit. Elapso vero quindecim annorum spatio, cum Hilcanus Adalberonis Successor e vivis excessisset, incredibili totius Cleri populiue studio praeficitur invitus. Huic divina quandoque peragenti, adesse visa est manus virtute Omnipotentis cum ipso sacris benedicens. Ottonem Caesarem, et Rudolphum filium gravissime dissidentes reconciliavit; Barbaros, Augustanis moenibus imminentes, orationis vi propulsavit. Episcopatum quinquaginta annis laudabilissime gubernans, miraculis clarus obdormivit. Sanctum corpus Augustae quiescit.

Te Deum laudamus.

In Laudibus fit Commemoratio Octav. Apostolorum et S. Udalrici. Oratio ut supra.

In Vesperis secundis Commemoratio Octav. SS. Apostolorum.

Die V. Julii.

Quarta die infra Octavam Visitationis.

SEMIDUPLEX.

In I. Noct. Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno. Lectio IV.

*Sermo S. Bernardi Abbatis. Serm. in cap. 12.
Apocalypsis.*

Novum fecit Dominus super terram, ut mulier circumdaret virum, nec alium quam Christum, de quo dicitur: Ecce vir, Oriens nomen ejus. Novum quoque fecit in coelo, ut mulier sole appareret amicta. Denique et coronavit eum, et vicissim ab eo meruit coronari. Egredimini filiae Sion, et videte Regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua. Verum hoc alias. Interim sane ingredimini magis, et videte Reginam in diademate, quo coronavit eam Filius suus. In capite, inquit, ejus corona stellarum duodecim.

R. Ecce iste venit, ut supra.

Lectio V.

Dignum plane stellis coronari caput, quod et ipsis longe clarius micans, ornet eas potius quam ornatur ab eis. Quidni coronent sidera, quam sol vestit? Sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Nimirum laeva Sponsi sub capite ejus, et jam dextera illius amplexatur

eam. Quis illas aestimet gemmas, quis stellas nominet, quibus Mariae regium diadema compactum est?

R. Congratulamini mihi, *ut supra*.

Lectio VI.

Quid ergo sidereum micat in generatione Mariae? plane quod ex regibus orta, quod ex semine Abrahae, quod generosa ex stirpe David. Si id parum videtur, adde, quod generationi illi ob singulare privilegium sauctitatis divinitus noscitur esse concessa: quod longe ante eisdem Patribus coelitus repromissa, quod mysticis praefigurata miraculis, quod oraculis praenuntiata propheticis. Hanc enim Sacerdotalis virga, dum sine radice floruit: hanc Gedeonis vellus, dum in medio siccae areae maduit: hanc in Ezechielis visione orientalis porta, quae nulli umquam patuit, praesignabat.

R. Beata quae credidisti, *ut supra*.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. 1.

In illo tempore: Exurgens Maria, abiit in montana cum festinatione, in civitatem Juda: et intra- vit in domum Zachariae, et salutavit Elisabeth. Et reliqua.

De homilia S. Ambrosii Episcopi. Lib. 2. in
Luc. Cap. 1.

Exultavit Joannes, exultavit et Mariae Spiritus. Exultante Joanne, repletur Elisabeth, Mariam tamen non repleti Spiritu, sed Spiritum ejus exultare cognovimus. Incomprehensibilis enim incomprehensibiliter operabatur in Matre; et illa post conceptum repletur, ista ante conceptum. Benedicta tu inter mulieres. Novit sermonem suum Spiritus sanctus, nec umquam obliviscitur. Et pro-

phetia non solum rerum completur miraculis, sed etiam proprietate verborum.

R. Beatam me dicent, *ut supra*.

Lectio VIII.

Quis est ille fructus ventris, nisi ille, de quo dictum est: Ecce haereditas Domini, filii merces, fructus ventris? Hoc est, haereditas Domini filii sunt, qui merces sunt fructus illius, qui de Mariae ventre processit. Ipse fructus ventris est, flos radicis, de quo bene prophetavit Isaias dicens: Exiet virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Radix enim est familia Judaeorum, virga Maria, flos Mariae Christus: qui veluti bonae arboris fructus pro nostrae virtutis processu, nunc floret, nunc fructificat in nobis.

R. Felix namque es, *ut supra*.

Lectio IX.

Et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Non quasi ignorans dicit: Scit enim esse Spiritus sancti gratiam et operationem, ut mater Prophetarum a Matre Domini ad profectum sui pignoris salutetur. Sed quasi non humani hoc meriti, sed divinae gratiae munus esse cognoscat, ita dicit: Unde hoc mihi? hoc est, quo tantum bonum mihi accidit, ut Mater Domini mei veniat ad me? non cognosco meritum. Unde hoc mihi? qua justitia, quibus factis? pro quibus meritis? Non usitata haec officia seminarii sunt.

Te Deum laudamus.

Die VII. Julii.

Sexta Die infra Octavam Visitationis.

SEMIDUPLEX. *In secundis vespers Octavae Apostolorum fit Commemoratio Visitationis et S. Wilibaldi Confessoris Pontificis.*

O R A T I O.

Deus, qui hodiernam diem Beati Wilibaldi Confessoris tui, atque Pontificis migratione consecrasti: praesta quaesumus; ut, cujus annua celebritate exultamus, ejus suffragiis tuae pietatis auxilium consequamur. Per Dominum nostrum.

In I. Noct. Lectiones de Scriptura occurrente.

In II. Nocturno. Lectio IV.

Ex libro S. Epiphanii Episcopi adversus haereses.
Lib. 3. haeres. 78. post med.

Beata Mater Dei Maria per Evam significatur, quae per aenigma accepit, ut mater viventium vocetur. Illa etenim Mater viventium vocata est, etiam postquam audivit: Terra es, et in terram reverteris, post transgressionem. Et mirum est, quod post transgressionem hoc magnum cognomen habuit. Et quod quidem pertinet ad rem sensibilem, ab illa Heva omnis hominum generatio deducta est in terra: hic autem vere a Maria haec vita mundo genita est, ut viventem gigneret, et fieret Maria Mater viventium. Per aenigma igitur Maria Mater viventium appellata est.

R. Ecce iste venit, *ut supra.*

Lectio V.

Hevae datum est operire corpus sensibile propter nuditatem sensibilem: Mariae vero datum est

à Deo, ut pareret nobis Agnum et ovem, et ex gloria ipsius Agni et ovis fieret nobis velut à vellere in sapientia per virtutem ipsius indumentum incorruptibilitatis. Heva etiam mortis causa facta est hominibus: per ipsam enim mors ingressa est in mundum: Maria vero causa vitae, per quam genita est nobis vita, et per hanc Filius Dei advenit in mundum: et ubi abundavit peccatum, ibi superabundavit et gratia: et unde illata est mors, illinc processit et vita, ut vita pro morte fieret: et qui per mulierem vobis vita factus est, mortem ex muliere inductam excluderet. Et quoniam illic Heva, cum adhuc esset virgo per inobedientiam transgressa est: è contrario per Virginem obedientia gratiae facta est, annuntiato adventu in carne de coelo, et vita aeterna.

R. Congratulamini, *ut supra.*

Lectio VI.

De Maria accipitur (liceat mihi hoc dicere) quod scriptum est de Ecclesia: Reliquet homo patrem suum et matrem suam, et adhaerebit uxori suae: et erunt duo in carne una. Sauctus autem Apostolus dicit: Mystrium hoc magnum est, ego autem dico in Christo et Ecclesia. Et vide scripturarum accuratam dicendi proprietatem, quod de Adam quidem dixit, formavit: de Heva vero, non formatam esse, sed aedificatam. Accepit enim, inquit, unam de costis ejus, et aedificavit ipsi in uxorem. Quo ostendat, Dominum quidem de Maria efformasse sibi ipsi corpus, ab ipsa vero costa aedificatam esse Ecclesiam, in eo, quod punctum et apertum est ipsius latus, et mysteria sanguinis et aquae, pretia redemptionis facta sunt.

R. Beata quae, *ut supra.*

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. 1.

In illo tempore: **Exurgens Maria, abiit in Montana cum festinatione, in civitatem Juda: et intra- vit in domum Zachariae, et salutavit Elisabeth. Et reliqua.**

De Homilia S. Ambrosii Episcopi.

Vides non dubitasse Mariam, sed credidisse, et ideo fructum fidei consecutam? Beata inquit, quae credidisti. Sed et vos beati, qui auditis, et creditis, quaecumque euim crediderit anima, et concipit, et generat Dei Verbum, et opera ejus agnoscit. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum. Sit in singulis Mariae anima, ut magnificet Dominum: sit in singulis Spiritus Mariae, ut exultet in Deo. Nam etsi secundum carnem una Mater est Christi, secundum fidem tamen omnium fructus est Christus.

R. Beatam me dicent, *ut supra.*

Lectio VIII.

Omnis enim anima concipit Dei verbum, si tamen immaculata, et immunis à vitiis, intemerato castimoniam pudore custodiat. Quaecumque igitur talis esse potuerit anima, magnificat Dominum, sicut anima Mariae magnificavit Dominum, et exultavit Spiritus ejus in Deo salutari suo. Non quod Domino aliquid humana voce possit adjungi, sed quia magnificatur in nobis. Sed Mariae, quo persona melior, eo prophetia plenior.

R. Felix namque, *ut supra.*

Pro S. WILIBALDO, Episc. Confess.

Lectio IX.

Wilibaldus sancto Richardo, Anglorum Rege parente procreatus, cum trium annorum puerulus foeda quadam macie pene consumeretur, ex voto

sanctae Cruci oblatus, miracolose sanitati restitutus est. Pueritiam vix egressus, Theodoreto tum temporis Viro Monasticae disciplinae peritissimo traditus est, ut artibus et pietate informaretur; brevique tempore in via spirituali et monastica amplissimos fecit progressus. Licentia dein a Superioribus impetrata Romam cogitat: ibique visitatis sacris liminibus, ad terram sanctam proficiscitur. Quo in itinere, cum lumine oculorum derepente privaretur, nihilominus tamen Hierosolymam ire satagens ad sanctam Crucem, ceu salutis suae fontem, iterum confugit, visumque recepit. Denique creatus Eystatensis Ecclesiae Episcopus, summa vitae sanctimonia eidem praefuit, multis in vita et morte miraculis clarus, Sanctorum Catalogo adscriptus est. Reliquiae sancti Episcopi in Eystadiana Ecclesia Cathedrali honorifice asservantur.

Te Deum laudamus.

In Laudibus fit Commemor. S. Wilibaldi.

Vesperae à Capitulo de S. Elisabeth Commemoratio Visitationis et SS. Kiliani et Soc. MM.

O R A T I O.

Praesta, quaesumus, omnipotens Deus, ut Beatorum Martyrum tuorum Kiliani, Colonati, et Tothnati solemnia recensentes, meritis ipsorum protegamur et precibus. Per Dominum nostrum etc.

Die VIII. Julii.

In Festo

S. ELISABETH, Reg. Portugall.

SEMIDUPLEX. *Omnia ut in Brev. Rom.*

Pro SS. KILIANO et Sociis MM.

Lectio IX.

Kilianus et genere, et pietate nobilis, zelo fidei christianae propagandae, patriam, et propinquos

relinquens, divino nutu Wirceburgum Metropolim Franciae Orientalis cum sociis appulit. Ejus sanctitate et divini Verbi praedicatione permotus Gozpertus, Francorum Dux, cum multis aliis sacrum Baptisma suscepit: unde tota illa regio, relicto daemonum cultu ad fidem christianam conversa est, et Kilianus nomen Apostoli Francorum, et pro Christi nomine Martyrium subire promeruit. Ejusdem reliquiae in nobilissima Wirceburgensi Basilica honorifice coluntur.

Te Deum laudamus.

In Laudibus fit Commemoratio Visitationis, et SS. Kiliani etc. MM.

Vesperae de Die Octavae Visitationis, ut in primis Vesperis Festi. Commemor. S. Elisabeth.

Die IX. Julii.

Octava Dies VISITATIONIS B. V.

D U P L E X.

In I. Nocturno. *Lectiones de scriptura occurr.*

In II. Noct. Lectio IV.

De Expositione S. Gregorii Papae in libros Regum.

In 1. Reg. c. 1.

Fuit vir unus de Ramathaim Sophim, de monte Ephraim. Potest hujus montis nomine beatissima semper Virgo Maria Dei Genitrix designari. Mous quippe fuit, quae omnem electae creaturae altitudinem, electionis suae dignitate transcendit. An non mous sublimis Maria, quae ut ad conceptionem aeterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros, usque ad solium Deitatis erexit? Hujus enim montis praecellentis-

simam dignitatem Isaias vaticinans, ait: Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariae supra omnes Sanctos refulsit.

R. Ecce iste *ut supra*.

Ex Epistola S. Leonis Papae ad Pulcheriam Augustam. *Epist. 13. ante medium.*

Lectio V.

Sacramentum reconciliationis nostrae ante tempora aeterna dispositum, nullae implebant figurae; quia nondum supervenerat Spiritus sanctus in Virginem, nec virtus Altissimi obumbraverat ei, ut et intra intemerata viscera, aedificante sibi sapientia domum, Verbum caro fieret, et forma Dei, ac forma servi in unam conveniente personam, Creator temporum nasceretur in tempore, et per quem facta sunt omnia, ipse inter omnia gigneretur. Nisi enim novus homo, factus in similitudinem carnis peccati, nostram susciperet vetustatem; et consubstantialis Patri, consubstantialis esse dignaretur et Matri, naturamque sibi nostram solus a peccato liber uniret; sub jugo diaboli generaliter teneretur humana captivitas.

R. Congratulamini *ut supra*.

De Expositione S. Basilii Episcopi in Isaiam Prophetam. *In Cap. 8. post initium.*

Lectio VI.

Accessi, inquit, ad Prophetissam, et peperit filium. Quod Maria Prophetissa fuerit, ad quam proxime accessit Isaias per praenotionem Spiritus, nemo contradixerit, qui sit memor verborum Mariae, quae prophetico afflata spiritu elocuta est. Quid enim ait? Magnificat anima mea Dominum: et exulta vit spiritus meus in Deo salutari meo:

quia respexit humilitatem ancillae suae: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quod si animum accomodaveris universis ejus verbis; non utique per dissidium negaveris eam fuisse Prophetissam, quod Domini Spiritus in eam supervenerit, et virtus Altissimi obumbraverit ei.

R. Beata quae *ut supra*.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. 1.

In illo tempore: Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione, iu civitatem Juda: et intravit in domum Zachariae, et salutavit Elisabeth. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis. *De verbis Apocalypsis, Cap. 12. circa finem.*

Mirabatur Elisabeth personam venientis, dicens: Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Commendabat et vocem salutantis, adjiciens: ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit in gaudio infans iu utero meo. Et beatificabat fidem credentis: Beata, inquit, quae credidisti. Magna quidem praeconia, sed et devota humilitas, nihil sibi passa retinere, in eum magis universa refudit, cujus in se beneficia laudabantur.

R. Beatam *ut supra*.

Lectio VIII.

Tu, inquit, magnificas Matrem Domini: sed magnificat anima mea Dominum. In voce mea filium perhibes exultasse in gaudio: sed exultavit spiritus meus, in Deo salutari meo, et ipse quoque tamquam amicus sponsi, gaudet ad vocem sponsi. Beatam me esse dicis, quae credidi: sed credulitatis, et beatitudinis causa, respectus est supernae pie-

tatis; ut ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes, quia ancillam humilem, et exiguum respexit Deus.

R. Felix namque *ut supra*.

Lectio IX.

Verumtamen numquid putamus fratres, Elisabeth sanctam in eo, quod per spiritum utique loquebatur, errasse? Absit. Beata plane, quam respexit Deus, et beata, quae credidit; hic enim magnus divinae respectiois extitit fructus; ineffabili siquidem artificio spiritus supervenientis tantae humilitati magnanimitas tanta, in secretario Virginei cordis accessit, ut quod videlicet nec humilitas tanta minuit magnanimitatem, nec magnanimitas tanta humilitatem. Sed cum in sua aestimatione tam humilis esset, nihilominus et in promissionis credulitate magnanimis: ut, quae nihil aliud quam exiguum sese reputaret ancillam, ad inscrutabile Sacramentum nollatenus se dubitaret electam, et veram Dei, et hominis Genitricem crederet mox futuram.

Te Deum laudamus.

Die XIII. Julii.

In Festo S. MARGARITAE,
Virginis et Martyris.

DUPLEX MAJUS. *Omnia de Communi Virginum, praeter sequentia.*

O R A T I O.

Deus, qui Beatam Margaritam Virginem, per Martyrii palmam hodierna die ad coelos venire fecisti: concede nobis, quaesumus; ut ejus exempla

sequentes, ad te pervenire mereamur. Per Dominum nostrum.

In I. Nocturno. *Lectioes de Communi Virg. Mart.* Confitebor tibi Domine Rex.

In II. Nocturno. Lectio IV.

Margarita, quae et Marina, Antiochiae Pisi-diae Patre Aedesio idolorum sacerdote uata, à teneris annis Christianae religioni addicta, baptizata est. Quae cum eximiae esset pulchritudinis, à Praefecto Olybrio adamatur. Cumque eam sibi sisti juberet, ita illam alloquitur: tuum nobis puella et nomeu et religionem edicito. Tum illa: Margarita, inquit, vocor, genere sum nobilis, religione Christiana.

R. Propter veritatem.

Lectio V.

At Praeses: duo prima convenientia sunt, tertium vero absurditas est. Nam quid stultius, quam ut Deum sibi quis faciat crucifixum? Ad haec Virgo: unde dic, oro, didicisti Dominum Jesum fuisse crucifixum? Tum Praeses: ex libris Christianorum. Cui Margarita: quatenam verecundia est, ut, cum in eisdem libris legatur et poena Christi, et gloria, alterum credatis, alterum respuatis.

R. Dilexisti justitiam.

Lectio VI.

His vehementer ira accensus Praefectus, varia tormentorum genera in sancto illo corpusculo consumpsit. Primum enim virgis caesam, deinde unguis fossam, in carcerem trudi jubet, ubi et spectro daemonis appetitur: sed ad signum crucis tota vis diaboli prosternitur. Producitur iterum Virgo, et cum in confessione fidei constantior persevera-

ret, ardentibus facibus latera ejus exuruntur. Denique multis superatis tormentis, truncato capite, Victorem per tot coronas spiritum coelum excepit.

R. Afferentur Regi.

In III. Nocturno. *Homilia S. Gregorii Papae in Evangelium: Simile est regnum coelorum thesauro etc. ex Communi non Virginum.*

R. De Virginibus.

Vesperae secundae de S. Margarita V. M. cum Commemoratione S. Bonaventurae.

Die XV. Julii.

Divisio SS. APOSTOLORUM.

DUPLEX MAJUS. *Omnia de Communi Apostolorum, praeter ea, quae hic assignantur.*

Ad Magnificat.

Antiphona. Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae, Alleluja. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit, Alleluja: Qui autem non crediderit, condemnabitur, Alleluja.

O R A T I O.

Deus, qui Ecclesiam tuam distributam per orbem terrarum, sanctorum Apostolorum praedicatione fundasti: concede propitius; ut quorum hodierna die sub una celebritate recolimus insignia, eorum in cunctis necessitatibus nostris experiamur suffragia. Per Dominum nostrum.

Commemoratio S. Bonaventurae.

In I. Nocturno. *Lectiones.* Sic uas existimet.

In II. Noct. Lectio IV.

Sermo S. Joann. Chrysostomi. 1. de Pentec.
Tom. 83.

Quae sunt tales stellae, sicut Apostoli? Stellae in coelo, Apostoli super coelos. Quae sursum sunt, inquit Apostolus, sapite, ubi Christus est in dextera Patris sedens. Stellae de igne sensibili; Apostoli de igne intelligibili. Stellae in nocte lucent, in die obscurantur: Apostoli in die, et in nocte suis radiis, hoc est, virtutibus, effulgent. Stellae orto sole obscurantur: Apostoli sole justitiae resplendente, sua claritate lucescunt. Stellae in resurrectione cadent sicut folia: Apostoli in resurrectione rapiuntur in aëra nubibus. Et in illis quidem sideribus alius antifer, alius lucifer appellatur: in Apostolis autem, nullus antifer est, omnes luciferi: et ideo stellis majores Apostoli. Et quicumque eos luminaria vocaverit mundi, non peccabit: non solum dum essent in corpore, sed etiam magis nunc, quando de hac vita migrarunt.

R. Vidi conjunctos viros.

Lectio V.

Peragrarunt piscatores orbem terrarum; et infirmum eum inveniētes, ad sanitatem reduxerunt: et in ruina positum ad stabilitatem revocarunt; non scuta moventes, non arcus tendentes, non sagittas mittentes, non pecunias largientes, non eloquentiae confidentes. Et erant nudi, quidem saeculo, sed induti Christum: pauperes, sed divites; pecunia indigentes, sed regnum coelorum possidentes. Non habentes humana solatia, habentes autem Dominum suum. Ego enim, inquit, vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Peragrarunt universum orbem terrarum oves simul cum lupis. Quis vidit? Quis audivit? Dicit: mit-

tam vos, ut oves in medio luporum. Quis unquam pastor oves mittit in medio luporum? sed magis, si viderit lupos, congregat oves. At vero Christus e contrario fecit: oves ad lupos direxit, et vulneratae a bestiis non sunt, sed magis lupi ad ovium mansuetudinem sunt conversi.

R. Beati estis.

Lectio VI.

Ubi sunt nunc, qui audeant Ecclesiae contraire? Quando novella erat, in nullo potuit laedi: et nunc quando usque ad coelum pervenit, existimas eam posse superari? Et tunc quidem, cum undecim essent Apostoli, nullos eos superare potuit, sed pauci homines totum ceperunt mundum: Et nunc quando terra et mare, et orbis terrarum, et inhabitabiles regiones, et civitates, et omnes fines terrae pietate repleti sunt, putas eam te posse laedere? Sed non poteris. Christus enim propter eam passus est, portae inferi non praevallebunt adversus eam. Facilius coelum exterminari potest, et terra perire, quam aliquid mali pati Ecclesia.

R. Isti sunt triumphatores.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. 9.

In illo tempore: Convocatis Jesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem et potestatem super omnia daemonia, et ut languores curarent. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedae Presbyteri.

Benignus et clemens Dominus ac Magister non invidet servis, atque discipulis virtutes suas. Et sicut ipse curaverat omnem languorem et omnem

infirmi-
tatem, Apostolis quoque suis tribuit potesta-
tem, ut curent omnem infirmitatem, omnemque lan-
guorem. Sed multa distantia est inter habere et
tribuere: donare, et accipere. Iste quodcunque
agit, potestate Domini agit: Illi, si quid faciunt,
imbecillitatem suam, et virtutem Domini confiten-
tur, dicentes: In nomine Jesu surge et ambula.

R. Isti sunt, qui viventes.

Lectio VIII.

Et misit illos praedicare regnum Dei et sanare
infirmos. Fortasse eum nemo crederet hominibus
illiteratis, promittentibus regna coelorum; ideo con-
cessit illis primum potestatem signorum, et tunc
misit praedicare regnum Dei, ut promissorum ma-
gnitudinem attestaretur etiam magnitudo factorum;
fidemque daret verbis virtus osteusa: et nova face-
rent, qui nova praedicarent.

R. Ite in orbem universum, et praedicate, di-
centes: * Qui crediderit, et baptizatus fuerit, sal-
vus erit. V. Euntes in mundum universum, prae-
dicare Evangelium omni creaturae. * Qui credide-
rit etc. Gloria Patri. Qui crediderit.

Lectio IX.

Verum signa, quae tunc per Apostolos corpo-
raliter fiebant, quotidie in sancta Ecclesia per san-
ctos Praedicatores spiritualiter fiunt. Cum in fide
quis infirmus, eorum praedicatione roboratur ad
fidem; cum mortuus quis in peccatis, gratia et mi-
sericordia Dei compunctus, per eorum eruditionem
resuscitatur ad poenitentiam et confessionem pec-
catorum suorum, dignaque emendatione vitam me-
rebitur sempiternam.

Te Deum laudamus.

Ad Benedictus.

Antiphona. Convocatis Jesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem et potestatem super omnia daemonia, et ut languores curarent.

Vesperae de Festo sequenti, commemoratio praecedentis. Si vero ob aliquam causam vesp. secundae dicendae essent integrae, omnia dicuntur ex comm. Apost. ad 2das vesp. praeter antiph. ad Magnificat, quae infra, et orationem.

Die XVI. Julii.

Officium

BEATAE MARIAE VIRGINIS

De Monte Carmelo.

DUPLEX 2. Classis.

Ad Vesperas.

Antiph. Dum esset Rex etc. cum reliq. de Laudibus.

Psalm. Dixit Dominus, cum reliq. ut in Offic. parvo B. M. Virginis.

Capitulum. Eccl. 24.

Ab initio, et ante saecula creata sum, et usque ad futurum saeculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi.

R. Deo gratias.

Hymnus.

Ave maris stella.

V. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

R. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Magnificat. *Antiph.*

Sancta Maria succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro

Clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam solemnnem Commemorationem.

O R A T I O.

Deus, qui beatissimae semper Virginis, et Genitricis tuae Mariae singulari titulo Carmeli Ordinem decorasti: concede propitius; ut cujus hodie Commemorationem solemni celebramus officio, ejus moniti praesidiis, ad gaudia sempiterna pervenire mereamur. Qui vivis.

Comm. de Divis. Apost. Antiph. **Egressi duodecim Apostoli circuibant per castella, evangelizantes et praedicantes ubique.**

Y. Annuntiaverunt opera Dei.

R. Et facta ejus intellexerunt.

ORATIO *ut supra.*

In fine Hymnorum Completorii, et Horarum dicatur. **Jesu tibi sit gloria, qui natus es de Virgine.**

Ad Matutinum. *Invit.*

Sancta Maria Dei Genitrix Virgo. * Intercede pro nobis. Psalm. Venite exultemus.

Hymnus.

Quem terra, pontus, sidera.

In I. Nocturno.

Antiph. **Benedicta tu.**

Psalm. **Domine Dominus noster, cum reliquis ut in Officio parvo B. Mariae V.**

Y. Specie tua et pulchritudine tua.

R. Intende, prospere procede, et regna.

In I. Nocturno.

De Parabolis Salomonis.

Lectio I. Cap. 8 et 9.

Ego sapientia habito in consilio, et eruditis intersum cogitationibus. Timor Domini odit malum: arrogantiam, et superbiam, et viam pravam, et os bilingue detestor. Meum est consilium, et aequitas, mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me Reges reguant, et legum conditores justa decernunt. Per me Principes imperant, et potentes decernunt justitiam. Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilaunt ad me, invenient me.

R. Sancta et immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio: * Quia quem coeli capere non poterant, tuo gremio contulisti. V. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia.

Lectio II.

Mecum sunt divitiae, et gloria, opes superbae, et justitia. Melior est enim fructus meus auro, et lapide pretioso, et gemina mea argento electo. In viis justitiae ambulo, in medio semitarum iudicii, ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam. Dominus possedit me in initio viarum suarum. Antequam quidquam faceret a principio. Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram, necdum fontes aquarum eruperant: necdum montes gravi mole constiterant: ante colles ego parturiebar.

R. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia, cum essem parvula, placui Altissimo: * Et de meis visceribus genui Deum et hominem. V. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Et de meis.

Lectio III.

Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei. Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino: qui autem in me peccaverit, laedet animam suam. Omnes, qui me oderunt, diligunt mortem. Sapientia aedificavit sibi domum, excidit columnas septem. Immolavit victimas suas, miscuit vinum, et proposuit mensam suam. Misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem, et ad moenia civitatis. Si quis est parvulus, veniat ad me. Et insipientibus locuta est: Venite, comedite panem meum, et bibite vinum, quod miscui vobis.

R. Beata es Virgo Maria, quae Dominum portasti creatorem mundi: * Genuisti, qui te fecit, et in aeternum permanes Virgo. V. Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum. Genuisti. Gloria patri. Genuisti.

In II. Nocturno.

Antiph. Specie tua, et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna.

Psalm. Eructavit ut in eod. *Offic. B. V.*

Antiph. Adjuvabit eam Deus vultu suo, Deus in medio ejus non commovebitur.

Psalm. Deus noster refugium.

Antiph. Sicut laetantium omnium nostram habitatio est in te, sancta Dei Genitrix.

Psalm. Fundamenta.

V. Adjuvabit eam Deus vultu suo.

R. Deus in medio ejus non commovebitur.

Lectio IV.

Cum sacra Pentecostes die Apostoli coelitus afflati, variis linguis loquerentur, et invocato augustissimo Jesu nomine, mira multa patrarent: viri

plurimi (ut fertur) qui vestigiis sanctorum Prophetarum Eliae, ac Elisei institerant, et Joannis Baptistae praeconio ad Christi adventum comparati fuerant, rerum veritate perspecta, atque probata, Evangelicam fidem confestim amplexati sunt, ac peculiari quodam affectu, beatissimam Virginem (cujus colloquiis, ac familiaritate feliciter frui potuere) adeo venerari coeperunt, ut primi omnium in eo Montis Carmeli loco, ubi Elias olim ascendentem nebulam, Virginis typo insignem, conspexerat, eidem purissimae Virgini Sacellum exstruxerint.

R. Sicut cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in Monte Sion: quasi myrrha electa,
* Dedi suavitatem odoris. Y. Et sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans. Dedi.

Lectio V.

Ad novum ergo Sacellum saepe quotidie convenientes, ritibus piis, precationibus, ac laudibus, beatissimam Virginem, velut singularem Ordinis tutelam colebant. Quamobrem Fratres Beatae Mariae de Monte Carmelo passim ab omnibus appellari coeperunt, eumque titulum Summi Pontifices non modo confirmarunt, sed et indulgentias peculiare iis, qui eo titulo, vel Ordinem, vel Fratres singulos nuncuparent, concessere. Nec vero nomenclaturam tantum magnificentissima Virgo tribuit, et tutelam: verum et insigne sacri Scapularis, quod Beato Simoni Anglico praebeuit, ut coelesti hac veste Ordo ille sacer dignosceretur, et a malis ingruentibus protegeretur. Ac demum, cum olim in Europa Ordo esset ignotus, et ob id apud Honorium Tertium non pauci pro illius extinctione instarent, astitit Honorio noctu piissima Virgo Maria, planeque jussit, ut institutum, et homines benigne complecteretur.

R. Quae est ista, quae processit sicut Sol, et formosa tamquam Jerusalem? * Viderunt eam filiae Sion, et beatam dixerunt, et Reginae laudaverunt eam. V. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Viderunt.

Lectio VI.

Non in hoc tantum saeculo Ordinem sibi tam acceptum multis praerogativis beatissima Virgo insignivit; verum et in alio (cum ubique et potentia et misericordia plurimum valeat) filios in Scapularis Societatem relatos, qui abstinenciam modicam, precesque paucas ei praescriptas frequentarunt, ac pro sui status ratione castitatem coluerunt; materno plane affectu, dum igne Purgatorii expiantur, solari, ac in coelestem patriam obtentu suo quanticus pie creditur efferre. Tot ergo, tantisque beneficiis Ordo cumulatus, solemnem Beatissimae Virginis commemorationem ritu perpetuo ad ejusdem Virginis gloriam quotannis celebrandam instituit.

R. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit: * Et videntes eam filiae Sion, beatissimam praedicaverunt, dicentes: * Unguentum effusum nomen tuum. V. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Et videntes. Gloria Patri. Unguentum.

In III. Nocturno.

Antiph. Gaude Maria Virgo, cunctas haereses sola interemisti in universo mundo.

Psalm. Cantate, ut ibidem.

Antiph. Dignare me laudare te, Virgo sacra, da mihi virtutem contra hostes tuos.

Psalm. Dominus regnavit, exultet.

Antiph. Post partum Virgo inviolata permansisti, Dei Genitrix intercede pro nobis.

Psalm. Cantate.

V. Elegit eam Dens, et praelegit eam.

R. In Tabernaculo suo habitare facit eam.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. 16 d.

In illo tempore: loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quaedam mulier de turba dixit illi: beatus venter, qui te portavit. Et reliqua.

Homilia Vener. Bedae Presbyteri.

Lib. 4. Cap. 49. in Luc. 11.

Magnae devotionis, et fidei haec mulier ostenditur, quae Scribis, et Pharisaeis Dominum tentantibus, simul et blasphemantibus, tanta ejus Incarnationem prae omnibus sinceritate cognoscit, tanta fiducia confitetur, ut et praesentium procerum calumniam, et futurorum confundat Haereticorum perfidiam. Nam sicut tunc Judaei, Sancti Spiritus opera blasphemando, verum, consubstantiallemque Patri Dei Filium negabant: sic Haeretici postea negando, Mariam semper Virginem, Sancti Spiritus operante virtute, nascituro cum humanis membris unigenito Dei carnis suae materiam ministrasse, verum, consubstantiallemque matri filium hominis fateri non debere, dixerunt.

*R. Felix namque es sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima: * Quia ex te ortus est Sol Justitiae, Christus Deus noster. V. Ora pro populo, interveni pro Clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam solemnem commemorationem. Quia. Ben. Cuj. Fest. col. ipsa Virgo Virg.*

Lectio VIII.

Sed si caro Verbi Dei secundum carnem nascentis, a carne Virginis Matris pronuntiatur ex-

tranea, sine causa venter, qui eam portasset, ubera quae lactassent, beatificantur. Dicit autem Apostolus: Quia misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege. Neque audiendi sunt, qui legendum putant: natum ex muliere, factum sub lege; sed, factum ex muliere: quia conceptus ex utero virginali, carnem non de nihilo, non aliunde, sed materna traxit ex carne: alioquin nec vere Filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine. Et nos igitur his contra Eutychen dictis extollamus vocem cum Ecclesia Catholica, cujus haec mulier typum gessit, extollamus et mentem de medio turbaram, dicamusque Salvatori: Beatus venter, qui te portavit, et ubera, quae suxisti. Vere enim Beata Parens, quae sicut quidam ait: Enixa est puerpera Regem, qui Coelum, Terramque tenet per saecula.

R. Beatam me dicent omnes generationes:
 * Quia fecit mihi Dominus magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. V. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Quia fecit. Gloria Patri. Quia.

Lectio IX.

Quin imo beati qui audiunt verbum Dei et custodiunt. Pulchre Salvator attestationi mulieris annuit, non eam tantummodo, quae Verbum Dei corporaliter generare meruerat, sed et omnes, qui idem Verbum spiritualiter auditu fidei concipere, et boni operis custodia, vel in suo, vel in proximorum corde parere, et quasi alere studuerint, asseverans esse beatos: quia et eadem Dei genitrix, et inde quidem beata, quia Verbi incarnandi ministra facta est temporalis: sed inde multo beatior, quia ejusdem semper amandi custos mauebat aeterna.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes, et per Horas.

Antiph. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliq. de Dominica.*

Antiph. Laeva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

Antiph. Nigra sum, sed formosa, filiae Jerusalem: ideo dilexit me Rex, et introduxit me in cubiculum suum.

Antiph. Jam hiems transiit, imber abiit, et recessit: surge amica mea, et veni.

Antiph. Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, sancta Dei Genitrix.

Capitulum.

Ab initio, *ut supra.*

Hymnus.

O Gloriosa Virginum.

V. Diffusa est gratia in labiis tuis.

R. Propterea benedixit te Deus in aeternum.

Ad Benedictus. *Antiph.*

Caput tuum ut Carmelus, et comae capitis tui, sicut purpura Regis vincta canalibus, Allel.

O R A T I O.

Deus, qui beatissimae semper Virginis, et Genitricis tuae Mariae singulari titulo Carmeli Ordinem decorasti: concede propitius; ut cujus hodie Commemorationem solemni celebramus officio, ejus muniti praesidiis, ad gaudia sempiterna pervenire mereamur. Qui vivis.

Ad Horas, Hymn. et Psalm. ut in Psalter. sed in fine Hymnorum dicitur, Jesu, tibi fit gloria, qui natus es de Virgine.

Ad Primam.

Antiph. Dum esset Rex.

Capitulum.

Regi saeculorum.

Ad R. br. V. Qui natus es de Maria Virgine,
*alia ut in Psalterio.**Ad Absolut. Capituli.* In plateis.

Ad Tertiam.

Antiph. Laeva ejus.

Capitulum.

Ab initio.

R. br. Specie tua. *Et pulchritudine tua. Spe-
cie tua.*V.* Intende, prospere procede, et regna. Et
pulchritudine tua. Gloria. Specie tua.*V.* Adjuvabit eam Deus vultu suo.*R.* Deus in medio ejus, non commovebitur.

Ad Sextam.

Antiph. Nigra sum.Capitulum. *Eccl. 24b.*

Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea: Et redicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei haereditas illius, et in plenitudine Sanctorum detentio mea.

R. br. Adjuvabit eam. * Deus vultu suo. Adjuvabit.*V.* Deus in medio ejus non commovebitur. Deus vultu suo. Gloria Patri. Adjuvabit.*V.* Elegit eam Deus, et praelegit eam.*R.* In tabernaculo suo habitare facit eam.

Ad Nonam.

Antiph. Speciosa.Capitulum. *Eccl.* 24 b.

In plateis, sicut ciunamomum, et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

R. br. Elegit eam Deus. * Et praelegit eam. Elegit.

V. In Tabernaculo suo, habitare facit eam. Et praelegit eam. Gloria. Elegit.

V. Diffusa est gratia in labiis tuis.

R. Propterea benedixit te Deus in aeternum.

In secundis Vesperis, Antiphonae, Psalmi, Capitulum, et Hymnus, ut in primis Vesperis, Commemoratio S. Alexii.

Ad Magnificat. *Antiph.*

Gloria Libani data est ei, decor Carmeli, et Saron. Alleluja.

Missa ut ad Nives 5. Aug. praet. Orat.

Dic XIX. Julii.

In Festo S. VINCENTII a Paulo,
Confessoris.

DUPLEX. *Omnia de Communi Confess. non Pontif. praeter sequentia.*

In Hymno. Iste Confess. mutat. tert. Versus.

O R A T I O.

Deus, qui ad evangelizandum pauperibus, et Ecclesiastici Ordinis decorem promovendum, beatum Vincentium Apostolica virtute roborasti: praesta quaesumus; ut, cujus pia merita veneramur,

virtutum quoque instruamur exemplis. Per Dominum nostrum etc.

In I. Nocturno. *Lectioes de Scriptura occurrente.*

In II. Nocturno. Lectio IV.

Vincentius a Paulo, natione Gallus, podii non procul ab Aquis Tarbellis in Aquitania natus, jam tum a puero eximiam in pauperes charitatem prae se tulit. A custodia paterni gregis ad literas evocatus, humanas Aquis, divinas cum Tolosae, tum Caesaraugustae didicit. Sacerdotio initiatus, ac Theologiae laurea insignitus, in Turcas incidit, qui captivum in Africam, abduxerunt, sed in captivitate positus herum ipsum Christo rursus lucrifecit. Cum eo igitur ex barbaris oris, opitulante Deipara, sese proripiens, ad Apostolica limina iter instituit. Unde in Galliam reversus Clipiaci primum, mox Castellionis Paroecias sanctissime rexit. Renunciatus a Rege primarius Sacrorum Minister in Galliae triremibus, mirum quo zelo et dum, et remigum saluti operam posuerit. Monialibus visitationis a sancto Francisco Salesio praepositus, tanta prudentia per annos circiter quadraginta eam curam sustinuit, ut maxime comprobaverit iudicium sanctissimi Praesulis, qui Sacerdotem Vincentio digniorem nullum se nosse fatebatur.

R. Honestum.

Lectio V.

Evangelizandis pauperibus, praesertim ruralibus, ad decrepitam usque aetatem indefessus incubuit, eique Apostolico operi tum se, tum Alumnos Congregationis, quam sub nomine Presbyterorum Saecularium Missionis instituit, perpetuo voto a sancta sede confirmato speciatim obstrinxit. Quantum autem augendae Cleri disciplinae allaborave-

rit, testantur erecta majorum Clericorum Seminaria, collationum de divinis inter Sacerdotes frequentia, et sacrae ordinationi praemittenda exercitia; ad quae, sicut et ad pios laicorum secessus, instituti sui domicilia libenter patere voluit; insuper ad amplificandam fidem et pietatem evangelicos misit operarios, non in solas Galliae provincias, sed et in Italiam, Poloniam, Scotiam, Hyberniam, atque ad Barbaros, et Indos. Ipse vero, vita functo Ludovico decimo tertio, cui morienti hortator adstitit, a Regina Anna Austriaca, Matre Ludovici decimi quarti, in sanctius consilium accitus, studiosissime egit, ut non nisi digniores Ecclesiis, ac Monasteriis praeficerentur; civiles discordiae, singularia certamina, serpentes errores, quos simul sensit, et exhorruit, amputarentur, debitaque iudicii Apostolicis obedientia praestaretur ab omnibus.

R. Amavit.

Lectio VI.

Nullum fuit calamitatum genus, cui paterne non occurrerit. Fideles sub Turcarum iugo gementes, infantes expositos, juvenes dyscolos, virgines periclitantes, moniales dispersas, mulieres lapsas, ad triremes damnatos, peregrinos infirmos, artifices invalidos, ipsosque mente captos, ac innumeros mendicos subsidiis, et hospitibus, etiamnum superstitibus, excepit, ac pie fovit. Lotharingiam, Campaniam, Picardiam, aliasque regiones peste, fame, belloque vastatas prolixè refecit. Plurima ad perquirendos, et sublevandos miseros Sodalitia fundavit; inter quae celebris matronarum coetus et late diffusa sub nomine Charitatis puellarum societas. Puellas quoque tum de cruce, tum de providentia, ac sanctae Genoservae ad sequioris sexus educationem erigendas curavit. Haec inter, et alia gravissima negotia Deo jugiter intentus, cun-

ctis affabilis, ac sibi semper constans, simplex, rectus, humilis, ab honoribus, divitiis, ac deliciis semper abhorruit; auditus dicere: rem nullam sibi placere, praeterquam in Christo Jesu, quem in omnibus studebat imitari. Corporis demum afflictatione, laboribus, senioque attritus, die vigesima septima Septembris, anno salutis supra millesimum sexcentesimo sexagesimo, aetatis suae octogesimo quinto, Parisiis in domo sancti Lazari, quae caput est Congregationis Missionis, placide obdormivit; quem virtutibus, meritis, ac miraculis clarum Clemens duodecimus inter Sanctos retulit, ipsius celebritati die decima nona mensis Julii quotannis assignata.

R. Iste homo.

In III. Nocturno. *Homilia in Evangelium: Designavit Dominus, ut in Communi Evangelistarum, cum Responsoriis de Communi Confessorum non Pontif.*

Vesp. a Cap. de sequenti; mer. supr.

Die XX. Julii.

In Festo Beati CESLAI,
Confessoris.

DUPLEX. *Omnia de Communi Confess. non Pontif. praeter ea, quae hic habentur propria.*

O R A T I O.

Deus, qui beatum Ceslaum, virgineo morum candore praeditum, et salutis animarum zelo succensum, in diversis nationum populis, operum sanctitate, et fidei propagatione mirabilem effecisti: praesta quaesumus; ut ejus intercessione simus semper in fide stabiles, et ad te, qui solus es aeter-

nae salutis auctor ac largitor, misericordiae tuae munere pervenire valeamus. Per Dominum nostrum etc.

Comm. praeced.

In I. Noct. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

In II. Nocturno. *Lectio IV.*

Beatus Ceslaus, sancti Hyacinthi Germanus frater, è nobilissima Odrovantiorum prosapia in provincia Oppoliensi Dioecesis Vratislaviensis ortus est. Ab ipso ineuntis aetatis principio plurima futurae sanctitatis indicia, et Christianarum virtutum specimina prodidit. Ingenua, qua pollebat, indoles, eximius morum candor, ac pietas, illum omnibus non minus amabilem reddiderunt. Humanioribus literis apprime in pueritia excultus, in Italiam, cum jam adolevisset, ab Ivone, Episcopo Cracoviensi, patruo suo, missus est, ut ibi Theologiae, et jurisprudentiae operam navaret. Post emensum in Italia studiorum curriculum, Cracoviam reversus, et ab eodem Ivone Canonicus et Custos Sandomiriae in Ecclesia sanctae Mariae factus, nihil secundum Deum prius et antiquius habebat, quam ut vitam non tantum a criminibus, sed etiam a suspitione criminum undequaque puram et inculpatai duceret, quo aliis praeiret exemplo, omnesque Christianas in se exprimeret virtutes, quarum amorem cordibus omnium inserere summopere exoptabat.

R. Honestum.

Lectio V.

Dum autem omnibus perfecti Canonici officiis jugi sollicitudine fungeretur, contigit, ut Ivo Episcopus Romam profecturus, eum sibi itiuveris comitem adseiverit. Romam appulsus Ceslaus, fama sanctinoniae, et miraculorum viri Dei Dominici, Ordinis Praedicatorum Fundatoris, audita, nil cun-

ctatus, impulsu Spiritus sancti mundo nuntium remisit, et ab eodem sanctissimo Patriarcha habitum Religionis suscepit, in qua, tamquam in fertili agro, viri doctrinae magnitudine et vitae sanctitate praestantes, numquam alii ex aliis continenter propagari et proseminari desierunt. In Ordinem Praedicatorum cooptatus, ita sub disciplina sancti Patris Dominici profecit, ut tamquam exemplum continentiae, frugalitatis, et obedientiae omnibus proponeretur. In vigiliis, jeconiis, carnis maceratione, orationibus aliisque id genus legum sui Ordinis observationibus, ita assidue erat exercitatus, ut verus, et omnibus suis numeris absolutus beatissimi Patris Dominici filius videretur.

R. Amavit.

Lectio VI.

Post exactum tyrocinium zelo flagrans salutis animarum, a sancto Patriarcha obnixè postulavit, ut ad oras septentrionales, quas in tenebris, et in umbra mortis detinebat infidelitatis error et ignorantia, mitteretur. Voti compos factus, primum Pragae Bohemorum Metropolim se contulit, ibique cum uberrimo animarum lucro verbum Dei praedicavit, et totam illam urbem in sui admirationem rapuit. Dein, totam Silesiam praedicationis causa, pedibus circumcursans, relicto ubique suavissimo virtutum odore, errantes veritatem edocuit, carnales affectus dissipavit, peccatores ad poenitentiam pellexit, frigida hominum pectora divino amore inflammavit, copiosumque fructum in horrea Domini, ad cuius gloriam jugiter, et nuice anhelabat, convexit. Dum Tartari Poloniam et Silesiam ferro flammaque devastarent, pie creditum est, Ceslaum, qui saeviente hostium furore, in Castrum Vratislaviense una cum aliis Christi fidelibus, confugerat, precibus suis ac lacrymis ad Deum effusis, hanc

urbem defendisse. Tandem plenus meritis obiit Vratislaviae in Monasterio sui Ordinis anno millesimo, ducentesimo, quadragésimo secundo. Ad ejus sepulchrum populus, venerationis ergo, certatim confluere, eique coepit exhibere cultum, quem in sacra Rituum Congregatione maturo examine perpensum, Clemens undecimus Pontifex Maximus approbavit, et, ut Officium de Beato Ceslao celebraretur concessit.

R. Iste homo.

In III. Nocturno. *Homilia in Evang. Designavit Dominus, ut in Communi Evangel. cum Respons. de Comm. Confess. non Pont.*

Vesp. a Cap. de seq. (mer. supr.)

Die XXI. Julii.

In Festo

S. HIERONYMI AEMILIANI,
Confessoris.

DUPLEX. *Omnia de Communi Confess. non Pontif. praeter ea, quae sequuntur.*

O R A T I O.

Deus misericordiarum Pater, per merita, et intercessionem Beati Hieronymi, quem Orphanis adiutorem, et patrem esse voluisti: concede, ut spiritum adoptionis, quo filii tui nominamur et sumus, fideliter custodiamus. Per Dominum nostrum etc.

Comm. praec.

In I. Nocturno. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

In II. Nocturno. *Lectio IV.*

Hieronymus e gente Patricia Aemiliana Venerabilis ortus, a prima adolescentia militiae addictus,

difficillimis Reipublicae temporibus Castro novo ad Quorum in montibus Tarvisinis praeficitur. Arce ab hostibus capta, ipse in teterrimum carcerem detruditur, manibus, ac pedibus vinctus; cui omni humana ope destituto Beatissima Virgo ejus precibus exorata, clemens adest, vincula solvit, et per medios hostes, qui vias omnes obsederant, in Tarvisii conspectum incolumem ducit. Urbem ingressus, ad Deiparae aram, cui se voverat, manicas, compedes, catenas, quas secum detulerat, in accepti beneficii testimonium suspendit. Reversus Venetias coepit pietatis studia impensius colere, in pauperes mire effusus, sed puerorum praesertim misertus, qui parentibus orbiati, egeni, et sordidi per urbem vagabantur, quos in aedes a se conductas recepit de suo alendos, et Christianis moribus imbuendos.

R. Honestum fecit etc.

Lectio V.

Per eos dies Venetias appulerant B. Cajetanus, et Petrus Carafa postmodum Paulus Quartus, qui Hieronymi spiritu, novoque instituto colligendi Orphanos probato, illum in incurrabiliu Hospitale adduxerunt, in quo Orphanos simul educaret, atque aegrotis pari charitate inserviret. Mox eorundem hortatu in proximam continentem profectus, Brixiae primum, deinde Bergomi, atque Novocomi Orphanotrophia erexit, Bergomi praesertim, ubi praeter duo, pro pueris unum, et pro puellis alterum, domum excipiendis, novo in illis regionibus exemplo, mulieribus a turpi vita ad poenitentiam conversis, aperuit. Somaschae demum subsistens, in humili pago agri Bergomensis ad Venetae ditioris fines, sibi, ac suis ibi sedem constituit, formamque induxit Congregationis, cui propterea a Somacha nomen factum, quam subinde auctam, et

propagatam, nedum Orphanorum regimini, et Ecclesiarum cultui, sed ad maiorem Christianae Republicae utilitatem adolescentium in literis, et bonis moribus institutioni, in Collegiis, Academiis, Seminariis, addictam sanctus Pius Quintus inter Religiosos ordines adscripsit, ceterique Pontifices privilegiis ornarunt.

R. Amavit eum etc.

Lectio VI.

Orphanis colligendis intentus Mediolanum proficiscitur, atque Ticinum, et utrobique collectis agminibus puerorum tectum, victum, vestem, Magistros, nobilibus viris faventibus, provide constituit. Inde Somascham redux, omnibus omnia factus a nullo abhorrebat opere, quod in proximi bonum cedere pervideret. Agricolis immixtus per agros sparsis, dum se illis adiutorem in metendis frugibus praebet, mysteria fidei explicabat, puerorum capita porrigine foeda abstergens, et patienter tractans curabat, putridis rusticorum vulneribus medebatur eo successu, ut gratia curationum donatus censeretur. In monte, qui Somaschae imminet, reperta specu in illam se abdidit, ubi se flagellis caedens, dies integros jejunos transigens, oratione in plurimam noctem protracta, super nudo saxo brevem somnum carpeus sui, aliorumque noxarum poenas luebat. In hujus specus interiori recessu ex arido silice exstillat aqua precibus servi Dei, ut constans traditio est, impetrata, quae usque in hodiernam diem jugiter manans, et in varias regiones delata aegris sanitatem plerumque conciliat. Tandem ex contagione, quae per omnem vallem serpebat, dum aegrotantibus inservit, et vita functos propriis humeris ad sepulturam defert, contracto morbo annos natus sex, et quinquaginta, quam paulo ante praedixerat, pretiosam mortem obiit anno mil-

lesimo quingentesimo trigesimo septimo; quem pluribus in vita, et post mortem miraculis illustrem Benedictus decimus quartus Beatorum, Clemens vero decimus tertius Sanctorum fastis solemniter adscripsit.

R. Iste homo etc.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum. Cap. 19. v. 13.

Lectio VII.

In illo tempore: oblatis sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, et oraret. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi. *Homil. in Matthaeum.*

Cur Discipuli pueros abigebant? Dignitatis causa. Quid ergo ille? ut doceat illos modeste sapere, fastumque mundanum conculcare, et suscipit, et ulnis complectitur, talibusque regnum coelorum pollicetur, id quod etiam dixit superius. Et nos igitur, si volumus haeredes esse coelorum, hanc virtutem cum diligentia magna sectemur. Hoc est enim Philosophiae culmen, simplicem esse cum prudentia. Haec vita est angelica. Anima enim pueruli omnibus animi morbis vacua est: non memoriam retinet injuriarum, sed eas inferentes adit, ut amicos, ac si nihil factum esset. Et quamvis a matre verberibus caedatur, eam semper quaerit, et omnibus anteposit.

R. Iste est, qui etc.

Lectio VIII.

Si Reginam ipsi ostendas diademate ornatam, non praefert eam matri paupis detritis vestitae, malletque illam incultam videre, quam Regiam mirifice amictam. Nam quod suum, quod alienum est, non ex paupertate, vel divitiis, sed ex amore existimare solet, et nihil plus requirit, quam ne-

cessaria, atque ut lacte repletus est, statim a mamma abscedit. Non eisdem, quibus nos, aerumnis premitur, nec pecuniarum jactura, rebusque similibus nec iisdem, quibus uos, fluxis rebus laetatur, neque corporum pulchritudinem miratur. Ideo dicebat: Talium est enim regnum Coelorum, ut ex proposito voluntatis illa operemur, quae uatura sua pueri faciunt.

R. Siut lumbi vestri etc.

Lectio IX.

Quia enim Pharisei non aliunde, quam a nequitia, et arrogantia ad agendum ferebantur, ubique Discipulos suos simplices esse jubet, illosque subinducat, dum hos instituit. Nihil enim ita superbiam parit, ut principatus, et primi consessus. Quoniam igitur Discipuli per totum terrarum orbem multum honoris consecuturi erant, ipsorum animos praevenit, nec sinit eos humanum quid pati, nec honorem a vulgo expetere, vel ante alios sese efferre. Nam etiamsi haec parva videntur esse, at malis ingentibus causam praebent. Sic enim instituti Pharisei in malorum culmen ascenderunt; salutationes, primos consessus, et medios requirentes, hinc in ardentem gloriae cupiditatem, inde vero in impietatem lapsi sunt.

Die XXIV. Julii.

In Festo

S. CAMILLI de LELLIS,

Confess. non Pont.

Fundatoris Clericorum Regularium Ministrantium infirmis.

D U P L E X.

In hymno Iste Confessor mut. tertius vers.

O R A T I O.

Deus, qui beatum Camillum, ad animarum in extremo agone luctantium subsidium singulari charitatis praerogativa decorasti: ejus quaesumus, meritis, spiritum nobis tuae dilectionis infunde; ut in hora exitus nostri hostem vincere, et ad coelestem mereamur coronam pervenire. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus etc.

In I. Nocturno. *Lectiones de scriptura occurr.*

In II. Nocturno. *Lectio IV.*

Camillus Bicolanici, Theatinae Dioecesis oppido, ex nobili Lelliorum familia natus est Matre Sexagenaria, cui gravidae visum est per quietem parvulum crucis signo in pectore munitum, et agmini puerorum idem signum gestantium praeerantem se peperisse. Adolescens rem militarem sequutus, saeculi vitiis aliquamdiu indulgit; donec vigesimum quintum agens aetatis annum, tanto supernae gratiae lumine, divinaeque offensae dolore correptus fuit, ut uberrimo lacrymarum imbre illico perfusus, aut actae vitae sordes indesinenter abstergere, novumque induere hominem firmiter decreverit. Quare ipso, quo id contigit, Purificationis Beatissimae Virginis festo die, ad Fratres Minores, quos Capuciuos vocant, convolans, ut eorum numero adscriberetur, summis precibus exoravit. Voti semel atque iterum compos factus est; foedo ulcere, quo aliquando laboraverat in ejus tibia iterato recrudescente, divinae providentiae majora de eo disponentis consilio humiliter se subiecit, suique Victor, illius Religionis bis expetitur, et susceptum habitum bis dimisit.

R. Honestum fecit etc.

Lectio V.

Romam profectus in nosocomium, quod insana-
bilitum dicitur, receptus est; cujus etiam admini-
strationem ob perspectas ejus virtutes sibi deman-
datam, summa integritate, ac sollicitudine vere pa-
terna peregit. Omnium aegrorum servum se repu-
tans, eorum sternere lectulos, sordes tergere, ul-
ceribus mederi, agonique extremo piis precibus et
cohortationibus opem ferre solenne habuit. Quib-
us in numeribus praeclara praebeuit admirabilis pa-
tientiae, invictae fortitudinis, et heroicae charita-
tis exempla. Verum cum animarum in extremis pe-
riclitantium, quod unice intendebat levamini, sub-
sidium litterarum plurimum conferre intelligeret,
triginta duos annos natus in primis Grammaticae
elementis tyrocinium inter pueros iterum subire non
erubuit. Sacerdotio postea rite initiatus, nonnul-
lis sibi ad junctis sociis, prima jecit Congregatio-
nis Clericorum Regularium infirmis Ministrantium
fundamenta; irrito conatu obnitente humani gene-
ris hoste: Nam Camillus coelesti voce e Christi
crucifixi, manus etiam de ligno avulsas admirando
prodigio protendentis, simulacro emissa, mirabili-
ter confirmatus ordinem suum a Sede Apostolica
approbari obtinuit, sodalibus quarto obstrictis ma-
xime arduo voto, infirmis, quos etiam pestis infe-
cerit, ministrandi. Quod institutum quam foret Deo
acceptum et animarum saluti proficuum, sanctus
Philippus Neri, qui Camillo a sacris confесси-
onibus erat, comprobavit; dum ejus Alumnis dece-
dentium agoni opem ferentibus, angelos suggeren-
tes verba saepius se vidisse testatus est.

R. Amavit eum etc.

Lectio VI.

Arctioribus hisce vinculis aegrotantium ministe-
rio mancipatus, mirum est, qua alacritate nullis

fractus laboribus, vitae periculis, die noctuque ad supremum usque spiritum, eorum commodis vigilaverit. Omnibus omnia factus, vilissima quaeque officia demississimo obsequio, flexisque plerumque genibus, veluti Christum ipsum cerneret in infirmis, hilari, promptoque animo arripiebat; utque omnium indigentis praesto esset, generalem Ordinis Praefecturam, coelique delicias, quibus in contemplatione defixus affluerebat, sponte dimisit. Paternus vero illius erga miseros amor tum maxime effulsit, cum et urbs contagioso morbo primum, deinde extrema annonae laboraret inopia, et Nolae in Campania dira pestis grassaretur. Tanta denique in Deum et proximum charitate exarsit, ut Angelus nuncupari, et Angelorum opem in vario itinerum discrimine experiri promereretur. Prophetiae dono et gratia sanitarum praeditus, arcana quoque cordium inspexit; ejusque precibus nunc cibaria multiplicata sunt, nunc aqua in vinum conversa. Tandem vigiliis, jejuniis, et assiduis attritis laboribus cum pelle tantum et ossibus constare videretur, quinque molestis aequae ac diutinis morbis, quos misericordias Domini appellabat, fortiter tolleratis, Sacramentis munitus, Romae inter suavissima Jesu et Mariae nomina ad ea verba: Mitis atque festivus Christi Jesu tibi aspectus appareat, qua praedixerat hora obdormivit in Domino pride Idus Julii, anno salutis millesimo sexcentesimo decimo quarto; aetatis suae sexagesimo quinto, quem pluribus illustrem miraculis Benedictus Papa XIV. Beatis adscripsit, novisque indies corruscantem signis sexto sui Pontificatus anno tandem, Sanctorum fastis adlegit.

R. Iste homo etc.

In III. Nocturno. *Lactiones de Homilia in Evangelium. Sint lumbi etc. de Communi Confess. non Pont. primo loco, Missa: Os Justi etc.*

Die XXVII. Julii.

In Festo S. CHRISTOPHORI,
Martyris.

SEMIDUPLEX. *Omnia de Communi unius Martyris, praeter sequentia.*

ORATIO *alias in dioecesi usitata, quae et in missali reperitur.*

Deus, cujus virtute Beatus Martyr Christophorus diversa superavit tormenta: fac quaesumus, ejus nos intervenientibus meritis universas insidias inimici superare. Per Dominum nostrum etc.

Alia ORATIO, quae nunc in usu est, in missali tumen non reperitur.

Deus, qui beatum Christophorum Martyrem tuum in certamine liberum, et inter tormenta securum gratiae tuae ubertate fecisti: quaesumus clementiam tuam, ut ejus merita recolentes, apud tuam misericordiam sanitatem animae et corporis celerius impetremus. Per Dominum.

In I. Nocturno. *Lectiones de scriptura occurr.*

In II. Noct. *Lectio IV.*

Christophorus in terra Chanaan gentilibus parentibus natus, a pueritia idolorum cultum edoctus, in virili aetate a Deo mirabiliter illuminatus, ad agnitionem verae fidei in Deum verum et unigenitum ejus Filium Jesum Christum pervenit, cujus et amore adeo exarsit; ut ejusdem fidei in alias Regiones dilatandae studio, patria relicta, in Lyciam se contulerit; ubi magna libertate et ingenti zelo Jesum Christum crucifixum cen verum Deum, mundi Conditorem, et Salvatorem depraedicavit. Ad-

junxit praedicationi suae varia rigida poenitentiae opera, ferventesque die, noctuque preces ad coelum clamando pro impetranda in suo proposito divina benedictione, qua praeventus suavitate sermonis, efficacia doctrinae, ac denique miraculis infidelium corda ad fidem convertit, inter quae illud memorabile, quod baculus, quem manu gestabat, durante praedicatione de divinitate Jesu Christi in terra defixus subito virere, et florescere sit visus.

R. Honestum etc.

Lectio V.

Quo tempore durante durissima in Christianos persecutione Decii Imperatoris, vir Dei in civitate Samos Christi fidem confluentibus magno cum fructu praedicans, jussu Praesidis Dagui Regni Administratoris captus judicio sistitur, de nomine requisitus dignum memoria reddidit responsum: In patria vocatus Adocimus, id est abjectus seu reprobus, nunc a tempore, quo Christum confiteor ore et corde, Christifer, sive Christophorus appellor. Hoc responsum admirans Praeses primum blanditiis, deinde minis eum a proposito dimovere conatur, sed frustra. Quare conjectus in carcerem morti paulo post tradendus asservatur. Interim duae pellices Aniceta, et Aquiliua ad labefactandam ejus pudicitiam intromittuntur, quae vix animo lascivo ingressae splendore de vultu sancti viri promicante attonitae, et mox compuncto corde ad pedes ejus provolutae in fide Christi erudiri supplicarunt: quo facto iratus Praeses eas conversas una cum quadraginta aliis ab eodem conversis decollari jussit.

R. Desiderium animae.

Lectio VI.

His peractis Christophorus denuo coram iudice variis modis ad negandum Christum, et ido-

lis sacrificandum pellicitur, dum autem immobilis persisteret, variis gravissimis tormentis excruciator, et virgis dirissime caeditur, quae omnia fortiter hilari vultu tolerat: unde et multi patientiam intueutes conversi sunt. Videns autem Tyrannus se tormentis hisce nihil proficere, candentem Cassidem ejus vertigi per ludibrium imponi, mox ferreo scamno supposito igne dire adstrictum in toto corpore ferventi oleo perfundi jubet, ubi Tyrannum his verbis interpellans: In nomine Jesu Christi non sentio tormenta tua, divina virtute illaesus servatus interea omnipotentiam Salvatoris populo praedicans multos ad eundem adduxit. Inde solutus, extra civitatem ductus, palo alligatus sagittis exponitur, sed prohibente virtute superna, nulla ad ejus corpus pertingente, praedicatione interim sua denuo multa millia convertens, tandem jussu Praesidis decollatus ad coelestem gloriam Martyr evolavit.

R. Stola jucunditatis.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 10.

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi. *Homil. 36. in Matth. initio.*

Nou veni pacem in terram mittere. Quomodo igitur praecipit, cum ad suscipientium domos ingrederentur, pacem omnibus dicere? Aut quomodo Angeli clamabant: Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis? Quomodo et omnes Prophetae pacem tempore ipsius fu-

turam praenuntiarunt? Quia videlicet praecipua, singularisque pax tunc praestatur, quando quod tabe, vel sanie corruptum est, abscinditur, atque projicitur: quando factiosa et improba pars repellitur, aut omnino destruitur; sic certe coelis terra conjungi potest.

R. Corona aurea.

Lectio VIII.

Nam et Medicus hoc modo reliquum corpus conservat facile, si quod reduci ad sanitatem non potest, inciderit, atque abjecerit: et militiae Dux ad solvendam militum conspiracyem alterum in alterum concitat. Sic in turre factum videmus, quando perniciose illa pax per discrepantiam dissoluta, tranquillam atque laudabilem pacem reddit. Sic etiam Paulus eos, qui adversus se conspirabant, dividebat, atque dissipabat. Nec enim semper concordia laudanda, cum etiam latrones magna inter se concordia conspirare sciamus. Non igitur ex proposito Christi, sed ex mente, animoque hominum vitioso bellum erumpit.

R. Hic est vere Martyr.

Lectio IX.

De S. PANTALEONE Mart. ut in *Breviario Romano*.

Vel si Festum S. Christophori transferatur, erit sequens.

Lectio IX.

Nam ipse certe vellet, ut omnes uno consensu veritatem amplecterentur, verum quoniam resistunt atque reluctantur, bellum prorumpit. Quid igitur ait: non veni mittere pacem. Nolite, ait, existimare harum rerum causam vos futuros, ego sum, qui quoniam homines ad vitia infidelitatemque pro-

clives sunt, haec praeparo. Non ergo quasi praeter expectationem vestram quicquam acciderit,urbatione aliqua moveamini, cum ideo venerim, ut bellum committam. Haec voluntas mea est, nulla vos invadat turbatio quasi bello, atque insidiis orbi terrarum ferocius exagitato.

In Laudibus ex prim. Vesp. unius Martyr. fit Commemoratio S. Pantaleonis. Antiph. Iste Sanctus.

Y. Gloria.

FESTA AUGUSTI.

Die VII. Augusti.

In Festo S. CAJETANI,
Confessoris.

In secundis Vesperis fit Commemoratio SS. Cyriaci etc. MM. ut in Breviario, et S. Afrae, Sociarumque MM. Antiph. Simile. Y. Specie tua.

O R A T I O.

Familiam tuam, quaesumus, Domine supplican-tem propitius respice: ut quae, te inspirante, deposcit, Martyris [tuae Afrae, Sociarumque ejus patrocinii assequatur. Per Dominum nostrum.

Die VIII. Augusti.

In Festo SS. CYRLACI etc.,
Martyris.

SEMIDUPLEX. *Omnia ut in Breviario et Missali Romano.*

P r o S A F R A .**Lectio IX.**

Afra idolis serviens, ac in flagitiis demersa, cum Narcissum Episcopum Augustam Viindelicorum profugientem hospitio recepisset, ac in precibus pernoctantem cum Diacono vidisset, mox impudicitiae renuntiavit et ab eodem baptizata est. Deinde Hilariam Matrem, ancillas Dignam, Eunomiam, et Eutropiam ad eandem fidem, et morum correctionem adduxit. Tandem jussu Caji Praefecti cum in templum Veneris rapta Diis sacrificare nollet, una cum Matre atque ancillis ad Insulam fluminis, quod Lycum appellant,educta, et ad palum alligata lento igne crematur. Earum corpora Augustae Viindelicorum honorifice sepulta sunt.

Te Deum laudamus.

In laudibus fit Commemoratio S. Afrae et Sociarum. Antiph. Date ei. V. Diffusa. Oratio ut in Vesperis.

Die XIX. Augusti.**In Festo S. LUDOVICI,**

Tolosani Episcopi et Confessoris.

SEMIDUPLEX. *Omnia de Comm. Confess. Pontif. praeter ea, quae sequuntur. In utrisq. Vesperis.*

V. Ora pro nobis beate Ludovice.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

O R A T I O .

Deus qui Ecclesiam tuam dispositione mirabili novis semper illustras Sanctorum splendoribus: tribue, quaesumus: ut, qui Beati Ludovici Confessoris tui atque Pontificis solemniis gratulamur, ad ejus consortium feliciter perducamur. Per Dominum nostrum.

In I. Noct. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

In II. Nocturno. *Lectio IV.*

Ludovicus ex regali prosapia, Patre videlicet clarae memoriae Carolo Rege Siciliae, Matre vero Maria Siciliae Regina, ex Ungaria originem suam trabente, alta sui generis recusavit sapere, humilia semper diligens, et amplectens. Sciebat namque, quod excelsus Dominus alta de longinquo prospiciens, humilia respicit e vicino. Quamquam autem singula praeclara opera lucidae vitae suae verbis paucis enarrari non possint, aliqua tamen de quam plurimis ad utilitatem legentium referamus; ut ex his Deum Patrem glorificent, et in his reperiant vivendi regulam, quam sequantur. Sanctus iste (sicut probatum est testimoniis fide dignis) in aetate existens tenera sub Magistri religiosa diligentia cum suis fratribus tenebatur. Ipse tamen maturis incedendo moribus sub tenello pectore gestare se senilem animum ostendebat.

R. Juveni.

Lectio V.

Ductus autem in Cataloniam cum duobus suis fratribus, datus obses pro liberatione dicti Regis, tam ferventer dedicavit se studio, quod intra septennium, quo inibi obses fuit, instructione Fratrum Minorum, quos secum habebat in socios, in primis scientiis, et sacra pagina sic profecit, quod vir Dei pollens ingenio, de praedictis scientiis non solum publice, ac private subtiliter disputare valeret, sed etiam solemniter Clero, ac populo proponeret Verbum Dei: ut putaretur scientia haec infusa magis divinitus, quam humanitus acquisita. In orationibus autem sedulus et devotus, mentem ad Deum elevatam tenuit, profecto sciens, quod oratio humilientis se nubes penetrans, pro exauditionis suffra-

gio Deum adit. In tempore namque dicto sacramentali Confessione praemissa, Missam audiebat devote, in magnis vero festivitatibus cum praeparatione multa, corpus sumebat Dominicum. Factus autem Sacerdos, diebus quasi singulis celebrabat.

R. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Audientiae verbi Dei insistebat attente, pro pastu vero animae scripturis devotis studens, habebat ad hoc pro solatio sanctos libros: castitatis autem amor a pueritia affecerat ejus mentem adeo, quod ob ipsius fidam custodiam mulierum consortia vitabat, omnia in tantum, quod (nisi forsitan cum matre vel sororibus) solus cum sola nullo unquam tempore loquebatur. Mulierem namque amariorem noverat esse morte. Verba autem inhonesta abhorrebat audire, loquentes talia graviter arguebat, attendens prudenter, quod corrumpunt bonos mores colloquia mala. Fratres nihilominus duo, et interdum quatuor, in sua jacebant camera, in suae testimonium nitidae puritatis. Cum Apostolo Paulo, sobrietate cibi et potus corpus suum castigabat assidue, seque frequenter manu sua, aliquando autem alienjus fratris consocii cum catenis ferreis disciplinans. Vestiendo pro camisia rudem stamineam, et deferendo ad nudam carnem pro cingulo chordam grossam, ipsam in servitutem spiritus redigebat. Obiit Ludovicus juvenis aetate, sed senex moribus, cujus vitae decursus fuit, viginti trium annorum, et sex mensium, transivit autem ex hoc mundo ad coelum in vico qui Brincola dicitur, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo nono, quarto decimo Kalendas Septembris, sepultus in Regia civitate Massiliae in Ecclesia Fratrum Minorum, multis in vita et post obitum mira-

culis clarus, quibus rite probatis, a Papa Joanne vigesimo secundo in Sanctorum numerum est relatus.

R. Iste est, qui ante etc.

In III. Nocturno. *Legitur Homilia in Evangelium: Vigilate etc. de Communi Confess. Pontif. 2do loco.*

Die XXI. Augusti.

In Festo

S. JOHANNAE FRANCISCAE FREMIOT de CHANTAL.

Ordinis Sauctimonialium Visitationis sanctae Mariae
Fundatricis.

DUPLEX. *Omnia de Communi nec Virginum, nec Martyrum, praeter ea, quae sequuntur.*

O R A T I O.

Omnipotens, et misericors Deus, qui Beatam Johannam Franciscam tuo amore succensam admirabili spiritus fortitudine per omnes vitae semitas in via perfectionis donasti, quique per illam illustrare Ecclesiam tuam nova prole voluisti: ejus meritis, et precibus concede, ut qui infirmitatis nostrae conscii de tua virtute confidimus, coelestis gratiae auxilio, cuncta nobis adversantia vincamus. Per Dominum nostrum etc.

In I. Nocturno. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

In II. Nocturno. *Lectio IV.*

Johanna Francisca Fremiot a Chantal Divione in Burgundia clarissimis orta natalibus ab ineunte aetate eximiae sanctitatis non obscuras edidit significationes. Eam enim vix quinquennem uobilem quendam Calvinistam solida supra aetatem argu-

mentatione perstrinxisse ferunt, collatumque ab eo munusculum flammis illico tradidisse in haec verba: **Eu** quomodo haeretici apud inferos comburentur, qui loquenti Christo fidem detrectant. Matre orbata Deiparae Virginis tutelae se commendavit, et famulam, quae ad mundi amorem eam alliciebat, ab se rejecit. Nihil puerile in moribus exprimens a saeculi deliciis abhorrens, martyriumque anhelans, religioni ac pietati impense studebat. Baroni de Chantal nuptui a Patre tradita virtutibus omnibus excolendis operam dedit, liberos, famulos, aliosque sibi subjectos in fidei doctrina, bonisque moribus imbuere satagens. Profusa liberalitate pauperum inopiam sublevabat, annona divinitus non raro multiplicata: quo factum est, ut nemini se unquam Christi nomine roganti stipem abnegaturam spoponderit.

R. Propter veritatem etc.

Lectio V.

Viro in venatione interempto perfectionis vitae consilium iniens, continentiae voto se obstrinxit, viri necem non solum aequo animo tulit, sed in publicum indultae veniae testimonium occisoris filium è sacro fonte suscipere sui victrix elegit. Modica familia, tenui victu, atque vestitu contenta, pretiosas vestes in pios usus convertit. Quicquid a domesticis curis supererat temporis, precibus, piis lectionibus, laborique impendebat. Nunquam adduci potuit, ut alteras nuptias, quamvis utiles, et honorificas iniret. Ne autem a proposito castimoniae observandae in posterum dimoveretur, illius voto innovato, sanctissimum Jesu Christi nomen candenti ferro pectori insculpsit. Ardentius in dies charitate fervescens pauperes, derelictos, aegros, teterrimisque morbis infectos ad se adducendos curabat: eosque non hospicio tantum excipiebat, so-

labatur, fovebat, verum etiam sordidas eorundem vestes depurgabat, laceras reficiebat, et manantibus foetido pute ulceribus labia admoveere non exhorrebat.

R. Dilexisti justitiam etc.

Lectio VI.

A sancto Francisco Salesio, quo spiritus moderatore usa fuit, divinam voluntatem edocta, proprium Parentem, Socerum, Filium denique ipsum, quem etiam vocationi obsistentem sua e domo egrediens pedibus calcare non dubitavit, invicta constantia deseruit, et sacri instituti Visitationis S. Mariae fundamenta jecit. Ejus instituti leges integerrime custodivit; et adeo paupertatis fuit amans, ut vel necessaria sibi deesse ganderet. Christianae vero animi demissionis et obedientiae, virtutum denique omnium perfectissimum exemplar se praebeuit. Altiores in corde suo ascensiones disponens arduissimo efficiendi semper id, quod perfectius esse intelligeret, voto se obstrinxit. Denique Sacro Visitationis instituto ejus potissimum opera longe, lateque diffuso, verbo, exemplo, et scriptis etiam divina sapientia refertis ad pietatem, et charitatem sororibus excitatis, meritis referta, et Sacramentis rite susceptis Molini anno millesimo sexcentesimo quadragésimo primo, die decima tertia Decembris migravit ad Dominum, ejusque animam occurrente S. Francisco Salesio in coelos deferri S. Vincentius a Paulo procul distans aspexit. Ejus corpus postea Annecium translatum fuit; eamque miraculis ante, et post obitum claram Benedictus XIV. Beatorum, Clemens XIII. albo Sanctorum adjecit. Festum autem ejusdem diem duodecimo Kalendas Septembris ab universa Ecclesia Clemens XIV. Pontifex Maximus celebrari praecepit.

R. Fallax gratia etc.

In III. Noct. *Homilia S. Gregorii Papae in Evangelium: Simile est regnum coelorum thesauro abscondito. Ex Communi nec Virginum, nec Martyrum.*

Dic XXV. Augusti.

Translatio S. HEDWIGIS,

Ducis et Patronae Silesiae, Viduae.

D U P L E X.

Omnia de Communi non Virginum praeter sequentia.

In secundis Vesperis S. Bartholomaei fit Commemoratio S. Hedwigis.

Antiph. Simile est regnum coelorum homini negotiatori quaerenti bonas margaritas, inventa autem una pretiosa, dedit omnia sua, et comparavit eam.

V. Specie tua et pulchritudine tua.

R. Intende prospere, procede et regna.

O R A T I O.

Da nobis, quaesumus omnipotens Deus in te semper gloriari: et concede propitius; ut, qui Beatae Hedwigis Translationis diem annua devotione veneramur, ipsius adjuti suffragio, tuam gratiam consequamur. Per Dominum nostrum.

In I. Nocturno. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

In II. Nocturno. *Lectio IV.*

Hedwigis Regiis clara natalibus innocentia tamen vitae longe clarior sanctae Elisabethae filiae Regis Hungariae matertera, Bertholdi, et Agnetis Meraniae Marchionum filia, animi ab ineunte aetate moderationem protulit; adhuc enim puellula

puerilibus abstinuit; et duodennis Henrico Silesiae Duci a parentibus nuptui tradita thalami fide sancte servata prolem inde susceptam in Dei timore erudit. Ut autem commodius Deo vacaret, ex pari voto, et consensu unanimi ad separationem thori virum induxit; quo defuncto, ipsa in Monasterio Trebnicensi Deum assiduis precibus exoraverat, in eoque contemplationi intenta, divinis officiis, et Missarum solemniis a solis ortu ad meridiem usque assidua assistens, antiquum humani generis hostem fortis contempsit.

R. Propter veritatem.

Lectio V.

Saeculi autem commercia, ni divina, vel animarum salutem attingerent, audire vel loqui non sustinuit; prudentia in agendis sic emicuit, ut neque excessus esset in modo, nec error in ordine, comis alioqui, et mansueta in proximum. Grandem autem de se triumphum jejuniis et vigiliis, vestiumque asperitate austera carnem macerans, reportavit: hinc sublimioribus florens virtutibus Christianis, consiliorum gravitate, animique candore, et quiete in eximium pietatis evasit exemplar: omnibus se ultro subicere, atque viliora Monasterii alacriter munia subire; pauperibus etiam flexo genu ministrare, leprosorum pedes abluere, et osculari ipsi familiare erat, neque illorum ulcera sanie manantia sui victrix abhorruit.

R. Dilexisti justitiam.

Lectio VI.

Mira fuit ejus patientia, animique constantia: praecipue vero in morte Henrici Ducis Silesiae, sui, quem materno diligebat, filii in bello a Tartaris caesi enituit, potius enim gratias Deo, quam filio lacrymas reddidit. Miraculorum denique glo-

ria percrebuit; puerum enim demersum, et molen-
dini rotis allisum, et prorsus attritum, invocata, vi-
tae restituit, aliaque praestitit, ut rite iis Clemens
quartus probatis Sanctorum numero eam adscripse-
rit, ejusque Festum in Silesia, ubi praecipua ve-
neratione uti Patrona colitur, die decima quinta
Octobris celebrari concesserit; quod deinde ut de-
cima septima in tota Ecclesia fieret, Innocentius
undecimus ampliavit. Ejus sacra ossa, hac die
anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo
octavo, e tumulo reverentissime elevata, in eodem
templo monasterii Trebnicensis, quod illa fundave-
rat, honorificentius reposita, debita coluntur vene-
ratione.

R. Fallax gratiae.

In III. Nocturno. *Homilia S. Gregorii Papae
in Evangel.* Simile est regnum coelorum thesauro,
ut in Communi non Virginum.

*In secundis Vesp. fit Commemoratio sequentis,
et S. Zephyrini Papae Martyris, pro quo Antiph.*
Qui odit. V. Justus.

Die XXXI. Augusti.

Translatio S. ADALBERTI,

Episcopi et Martyris.

SEMIDUPLEX. *Omnia de Communi unius
Martyris praeter sequentia.*

O R A T I O.

Deus, qui nos hodie Beati Adalberti Martyris
tui, atque Pontificis, translationis facis celebritate
gaudere: tribue, quaesumus, ejus nos piis semper
defensionibus muniri, et orationibus adjuvari. Per
Dominum nostrum etc.

In I. Nocturno. *Lectiones de scriptura occurrente.*

In II. Noct. Lectio IV.

Adalbertus Gneznae, ubi cum triennio commoratus fuisset, viso nocturno divinitus admonitus, jam inde ab initio susceptam ad Prussos peregrinationem, aegre dimittentibus eum Polonis, persequitur, relicto pro se Gaudentio sive Radzino Archi-Episcopo. Ibi dum Religionem Christianam magna cum difficultate et patientia disseminat, a gente barbara et inhumana, daemonum et idolorum sacrificulis cum Antitiste instigantibus, veneranda mysteria peragens, prope oppidum sinus Venedici, quod Fishausum postea Germani dixere, confossus interficitur, ac a fera plebe in partes dissecatur, capite illius ludibrii causa in palo sublato, die vigesima tertia Aprilis, anno Christi nongentesimo nonagesimo septimo.

R. Honestum fecit etc.

Lectio V.

Cujus corpus postea Boleslaus Dux, dilata in aliud tempus ultione, a Prussis redemit, et minimo quidem, propterea quod appensum in statera corpus perexiguum ponderaret, divina, ut creditum est, virtute efficiente. Tantum enim argenti, sive auri (ut alii volunt), barbari pacti erant, quantum corporis pondus adaequaret. Deductum soleui pompa, primum in Tremesnensi monasterio collocavit, nec multo post ad Gnezneusem Basilicam transtulit.

R. Desiderium animae.

Lectio VI.

Nec mora, coepit locus et monumentum inclyti Martyris Chrysti plurimis et salutaribus humano

generi clarere miraculis. Hac igitur fama motus Otto Rufus, tertius ejus nominis Imperator Romanus, cum permagno et splendido Comitatu pacatus in Poloniam, ad sepulchrum novi Martyris (quem vivus amabat, et cum quo aliquando conversatus fuerat) exsolvendi voti causa quod gravi morbo implicatus voverat, venit. Principi Boleslao pro munere hospitali lanceam Divi Mauritii et coronam regiam donat, Regemque fieri jubet. Vicissim brachium Divi Adalberti a novo Rege accepit, quod Romae in Insula ad Divi Bartholomaei aedem ab eo depositum hactenus conspicitur.

R. Stola jucunditatis etc.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. Cap. 10.

In illo tempore: dixit Jesus Phariseis: Ego sum Pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papae. Homilia 14.

Sunt nonnulli, qui, dum plus terrenam substantiam, quam oves diligunt, merito nomen pastoris perdunt: de quibus profecto subditur: Mercenarius autem, et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriae, videt lupum venientem, et dimittit oves, et fugit. Non pastor, sed mercenarius vocatur, qui non pro amore intimo oves Dominicas, sed ob temporales mercedes pascit. Mercenarius quippe est, qui locum quidem pastoris tenet, sed lucra animarum non quaerit; terrenis commodis inhiat: honore praelationis gaudet, temporalibus lucris pascitur: impensa sibi ab hominibus reverentia laetatur. Istae sunt etenim mercedes mercenarii, ut pro eo ipso, quod in regimine laborat, hic quod

quaerit, inveniatur, et ab haereditate Regis imposteorum alienus existat.

R. Corona aurea etc.

Lectio VIII.

Idem Homil. 17.

Ad messem multam operarii pauci sunt: quod sine gravi moerore loqui non possumus. Quia etsi sunt, qui bona audiant: desunt tamen, qui dicant. Ecce mundus Sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde invenitur operator: quia officium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officii non implemus. Fructus quippe sanctae Ecclesiae in stipendio quotidiano percipimus, sed tamen pro aeterna Ecclesia minime in praedicatione laboramus. Pensemus ergo, cujus damnationis sit, siue labore hic percipere mercedem laboris. Pensemus, cujus sit apud Deum criminis, peccatorum pretium manducare, et nihil contra peccata praedicando agere.

R. Hic est vere Martyr.

Lectio IX.

De S. ZEPHYRINO, *ut in Breviario, si vero Festum Translationis S. Adalberti transferatur, sequens erit.*

Lectio IX.

Pensemus ergo: qui unquam per linguam nostram conversi, qui de perverso suo opere nostra increpatione correpti, poenitentiam egerunt? quis luxuriam ex nostra eruditione deseruit? quis avaritiam, quis superbiam declinavit? Pensemus, quod lucrum Deo fecimus nos, qui accepto talento ab eo ad negotium missi sumus? Etenim dicit: negotiaini, dum venio. Ecce jam venit, ecce de nostro negotio lucrum requirit. Quale ei animarum

lucrum de uostra negotiatione monstrabimus? Quot ejus conspectui animarum manipulos de praedicationis nostrae segete illaturi sumus? Ponamus ante oculos nostros illum tantae districtionis diem, quo judex veniet, et rationem cum servis suis, quibus talenta credidit, ponet. Ecce in Majestate terribili inter angelorum choros videbitur. In illo tanto examiue electorum omnium et reproborum multitudo deducetur, et unusquisque quid sit operatus, ostendetur.

Te Deum laudamus.

Commemoratio S. Zephyrini in Laudibus. Antiph. Iste Sanctus. V. Gloria.

Vesperae sequentis, comm. praec.

Die XXVII. Augusti.

In Festo

S. JOSEPHI CALASANCTII,
Confessoris.

DUPLEX. *Omnia de Communi Confess. non Pontif. praeter ea, quae sequuntur.*

In Hymn. Iste Confessor, mutatur tertius versus.

O R A T I O.

Deus, qui per S. Josephum Confessorem tuum ad erudiendam spiritu intelligentiae ac pietatis juventutem, novum Ecclesiae tuae subsidium providere dignatus es: praesta quaesumus, nos ejus exemplo, et intercessionem ita facere, et docere, ut praemia consequamur aeterna. Per Dominum nostrum etc.

In I. Nocturno. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

In II. Nocturno. Lectio IV.

Josephus Calas Sanctius a Matre Dei Petraltae in Aragonia nobili genere natus, a teneris annis, futurae in pueros charitatis, et eorum institutionis indicia praebuit. Nam adhuc parvulus eos ad se convocatos in mysteriis fidei, et sacris precibus erudiebat. Humanis, divinisque litteris egregie doctus, cum studiis Theologicis Valentiae operam daret, nobilis potentisque feminae illecebris fortiter superatis, virginitatem, quam Deo voverat, inoffensam, iusignii victoria servavit. Sacerdos ex voto factus, a compluribus Episcopis in Castellae Novae, Aragoniae, et Catalauniae regnis in partem laboris adscitus, expectationem omnium vicit, pravis ubique moribus emendatis, ecclesiastica disciplina restituta, inimicitias cruentisque factionibus mirifice extinctis. At coelesti visione, et Dei voce frequenter admonitus Romam profectus est. Tu autem Domine etc.

R. Honestum fecit illum etc.

Lectio V.

In urbe summa vitae asperitate, vigiliis et jejuniis corpus affligens in orationibus, et coelestium rerum contemplatione dies noctesque versabatur, septem ejusdem urbis Ecclesias singulis fere noctibus obire solitus: quem iude morem complures annos servavit. Dato piis sodalitatibus nomine, mirum, quanto ardore pauperes, infirmos potissimum aut carceribus detentos eleemosynis, omnique pietatis officio sublevaret. Lue urbem depopulante, una cum sancto Camillo, tanto fuit actus impetu charitatis, ut praeter subsidia aegrotis pauperibus large collata, ipsa etiam defunctorum cadavera suis humeris tumulanda transferret. Verum cum divinitus accepisset, se ad informandos intelligentiae, ac pietatis spiritu adolescentulos, praecipue pau-

peres, destinari, Ordinem Clericorum Regularium Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum fundavit, qui peculiarem curam circa puerorum eruditionem ex proprio instituto profiterentur: ipsumque Ordinem Clementi VIII. Paulo V. aliisque Summis Pontificibus magnopere probatum, brevi tempore per plurimas Europae provincias, et regna mirabiliter propagavit. In hoc autem tot labores perpessus est, ac tot aerumnas invicto animo toleravit, ut omnium voce miraculum fortitudinis, et S. Jobi exemplum diceretur. Tu autem etc.

R. Amavit eum etc.

Lectio VI.

Quamvis Ordini universo praeesset, totisque viribus ad animarum salutem incumberet, nunquam tamen intermisit pueros, praesertim pauperiores, erudire, quorum scholas verrere, eosque domum comitari consuevit. In eo summae patientiae, et humilitatis munere, valetudine etiam infirma, duos et quinquaginta annos perseveravit: dignus propterea, quem crebris Deus miraculis coram discipulis illustraret, et cui Beatissima Virgo cum puero Jesu, illis orantibus benedicente, appareret. Amplissimis interim dignitatibus repudiatis, prophetia, abdita cordium et absentia cognoscendi donis, et miraculis clarus, Deiparae Virginis, quam singulari pietate et ipse ab infantia coluit, et suis maxime commendavit, aliorumque coelitem frequenti apparatione dignatus, cum obitus sui diem, et Ordinis tunc prope eversi restitutionem, atque incrementum praeuuntiasset, secundum et nonagesimum annum agens, Romae obdormivit in Domino octavo Kaleudas Septembris anno millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo. Ejus cor, et lingua post saeculum integra, et incorrupta reperta sunt. Ipse vero multis post obitum quoque signis a Deo illu-

stratus, primum a Benedicto XIV. Beatorum cultu decoratus fuit, ac deinde a Clemente XIII. inter Sanctos solemniter est relatus. Tu autem Domine etc.

R. Iste homo etc.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 18.

In illo tempore accesserunt Discipuli ad Jesum dicentes: Quis putas, major est in regno coelorum? Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi. *In Capit. 18.*
Matth. Homil. 60.

Videte, ne aliquem istorum contempseritis parvulorum, quia eorum Angeli Patris mei faciem semper aspiciunt, et quia ego propter eos veni, et haec Patris mei voluntas est. Ad tueudos, conservandosque pusillos diligentiores nos reddit. Perspicias quam ingentia in tutelam tenuium maenia erexit, et quantum studium, curamque habeat, ne perdantur, tum quia supremas decipientibus eos poenas statuit, tum quia summam pollicetur mercedem his, qui curam eorum suscipiunt, idque tam suo, quam patris exemplo corroborat. Tu autem etc.

R. Iste est etc.

Lectio VIII.

Dominiunum igitur etiam nos imitemur, et nihil pro fratribus omittamus, etiam eorum, quae humilia, vilisque nimium videntur: sed si administratione nostra etiam opus fuerit, quamvis tenuis, atque abjectus quidem, cui administrandum sit, fuerit, quamvis ardua nobis res, atque laboris plena esse videatur, omnia haec pro fratris salute tolerabiliora, facilioraque, oro, videantur: Tanto enim studio,

tantaque cura Deus dignam esse animam ostendit, ut neque Filio suo pepercerit. Tu autem etc.

R. Siut lumbi vestri etc.

Lectio IX.

Si non est nobis satis ad salutem, quod vir-
tuose ipsi vivamus, sed oportet aliorum salutem re
ipsa desiderare; cum neque nos recte vivamus, ne-
que alios hortemur, quid respondebimus? quae vo-
bis spes salutis reliqua erit? Quid majus, quam
animis moderari, quam adolescentulorum fingere
mores? Omui certe pictore, omni certe statu-
ario, ceterisque hujusmodi omnibus excellentiorem hunc
duco, qui juvenum animos fugere non iguoret. Tu
autem etc.

Te Deum laudamus.

Missa propria Venite Filii etc.

Dic XXIX. Augusti.

In Festo Decollationis **S. JOANNIS BAPTISTAE,**

DUPLEX 1. Classis.

*Omnia ut in Breviario et Missali Romano,
omissis Commemorationibus omnibus in primis ve-
speris et laudibus. Antiphonae ex Laudibus. Ni-
hil de S. Sabina.*

Lectio IX.

Et Rex ille, qui sanctum virum habebat Joan-
nem, qui eum propter Dominum timebat, etsi ei non
obediebat, posteaquam ab illo petatum est caput
Joannis in disco, contristatus est. Sed propter
jurationem, et propter conrecumbentes, misit spi-
culatorem, et implevit, quod juravit. Videtis mi-
serum istum Herodem, Joannem sanctum virum, et

Dei hominem dilexisse. Sed quoniam temere juravit, ebrius laetitia et delectatione saltantis, daturum se promisit, quicquid illa puella, quae saltando placuerat, poposcisset. At ubi poscit rem crudelem, et nefariam, contristatus est quidem: videbat enim tantum scelus fieri: sed positus inter jurationem suam, et puellae petitionem, ubi videbat cruentum facinus, ibi rursus timebat reatum perjurii. Ne Deum offenderet perjurando, Deum offendit saeviendo.

Te Deum laudamus.

FESTA SEPTEMBRIS.

Die I. Septembris.

In Festo S. AEGIDII,

Abbatis.

DUPLEX. *Omnia de Communi Confess. non Pontif. praeter sequentia.*

O R A T I O.

Praetende nobis Domine misericordiam tuam, et tribue; ut beatus Aegidius Abbas, cujus nos dedisti patrociniis adjuvari, tuam pro nobis Majestatem exoret. Per Dominum nostrum Jesum Christum etc.

Deinde fit Commemoratio SS. 12. Fratr. MM. ut in Romano.

In I. Noct. *Lectiones de scriptura occurrente.*

In II. Nocturno. *Lectio IV.*

Aegidius Atheniensis, nobilissimo genere ortus, a prima aetate divinis literis operam dedit,

et sanctis Christianae charitatis officiis ita deditus fuit, ut nihil praeterea cogitare, seu curare videretur. Itaque parentibus mortuis, totum patrimonium vendidit, et pecuniam inde acceptam in pauperes liberali manu erogavit; quin etiam, ut nudus Christum sequeretur, tunicam exuit, et ea aegrotum egentem textit, qua ille indutus, statim convaluit.

R. Honestum.

Lectio V.

Multis deinde miraculis clarus, timens sui nominis celebritatem, conscensa navi in Provinciam Narbonensem descendit, et Arelatem ad beatum Caesarium, praedictae civitatis Episcopum se contulit, ibique tectus, et incognitus integro biennio remansit. Sed cum charitatis impulsu aegrum curasset, ut auram et concursum populi fugeret, inde clam discedens, in eremum secessit.

R. Amavit.

Lectio VI.

Ibi diu herbarum radicibus, et cervae lacte, quae statis ad eum horis veniebat, admirabili sanctitate vixit. Quae cerva insequentibus aliquando canibus regiis, cum in antrum Aegidii se recepisset, hac occasione vir Dei a Rege Galliae inventus est, qui summis precibus ab eo petiit, tandemque obtinuit, ut in loco speluncae monasterium extrui pateretur; cujus administrationem, flagitante Rege, invitus suscepit, eoque munere aliquot annis prudenter pieque gesto, migravit in coelum.

R. Iste homo.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 19.

In illo tempore: dixit Petrus ad Jesum: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi. *Homil. 7. in Cap. 3. ad Com. circa finem.*

Si centuplum hic non recipimus, nos ipsi in causa sumus, qui mutuum non damus illi, qui tantum reddere potest. Dic enim, quaeso, quid magni dedit Petrus? nonne rete scissum tantum, et calamum et hamum? Verum vicissim illi Deus universi orbis domos aperuit, terramque simul et mare patefecit, deditque, ut omnes illum in sua vocarent. Imo, quae sua erant, venderent, et ad illius pedes afferent, ne in manus quidem tradentes pecuniam, neque eum id audebat. Tantum illi honorem una cum munificentia tribuebant.

R. Iste est, qui ante etc.

Lectio VIII.

Dices: At ille Petrus erat. Quid tam, o bone? Non ista Petro tantum promissa sunt; neque enim dixit: Tu vero, o Petre, centuplum accipies solus: sed quisquis reliquerit domos, aut fratres, centuplum accipiet: personarum siquidem differentiam non cognoscit, sed recte facta magis pensat. Gratiam enim habet Deus, et cum nobis debet, et cum solvit: aspicit autem creditores suos libentius, quam eos, qui nihil mutuo dederunt: quibus vero plura debet, eos et plus diligit. Quamobrem, si perpetuam cum illo amicitiam iure vis, vide, ut multum tibi debeat.

R. Sint lumbi.

Lectio IX.

Neque enim perinde delectabitur suis debitoribus creditor, atque Christus creditoribus: fugit enim, quibus nihil debet; quibus vero debet, ad hos potissimum accurrit: omnem igitur lapidem moventes, curemus Christum debitorem habere. Hoc enim praesens tempus, foenerandi tempus est. Nunc scilicet in indigentia Christus constitutus est. Si jam illi nihil das mutuo, tuorum certe, cum hinc discesseris, nihil opus habebit: hic enim sitit; hic esurit. Cave igitur, illum ne despicias.

Te Deum laudamus.

Die VI. Septembris.

In Festo S. ROSAE de Viterbio.

DUPLEX. *Fit Commemoratio S. Magni Abbatis in primis Vesp. et laud.*

O R A T I O.

Deus, qui beatam Rosam sanctarum tuarum Virginum collegio aggregare dignatus es: tribue nobis, quaesumus; ut ejus precibus et meritis a culpis omnibus expiemur, et tuae Majestatis consortio perfruamur aeterno. Per Dominum nostrum etc.

Commemoratio S. Magni Abbatis.

O R A T I O.

Beati Magni Abbatis, Domine quaesumus supplicatione plebs tua benedictionem percipiat, ut de ejus precibus feliciter gloriatur, et aeternae societatis laetitia gratuletur. Per Dominum etc.

In I. Nocturno. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

In II. Nocturno. Lectio IV.

Rosa Viterbii piis parentibus nata, ab ipsa infantia omni virtute enituit, facta perfectionis magistra, cum vix loqui didicisset. Mundi exosa vanitates, rudi amictu pedum nuditate, cilicio, jeuniis, aliisque austeritatibus corpusculum affligens, divinae contemplationi jugiter vacabat. Hanc vero eximiam sanctitatem insigni miraculo Deus testatam voluit, nam adhuc puella avunculam defunctam ad vitam revocavit. Ad Virginitatem, quam perpetuo coluit, solo aspectu iuventium animos excitabat. Charitatis erga pauperes studiosissima cum aliquando hiberno tempore subtractum sibi panem clam illis deferret, patre imperante, ut proderet, quid gremio absconditum ferret, panis in rosas conversus est.

R. Propter veritatem.

Lectio V.

Cum septimum explesset annum, solitudinis desiderio flagrans, domus suae angustam cellulam elegit, cui se tamquam voluntario carceri inclusit, et orationi, corporisque castigationi ardentem incumbens, Dei clementiam deprecabatur pro sanctae Ecclesiae tranquillitate, quam Friderici Imperatoris impietas acerrime divexabat. Ex diutina autem maceratione in morbum lethalem incidit, in quo Beatae Virginis visitatione recreata habitum Tertii Ordinis S. Francisci induere iussa est. Decennis a Deo inspirata piis adhortationibus, validisque argumentis multos haereticos ad fidem, et obedientiam Romani Pontificis reduxit. Qua de causa cum tota cognatione sua in exilium ejecta, ad vicina oppida venit, ubi Friderici mortem, et Ecclesiae pacem prophetico spiritu praedixit. Mulierem caecam a nativitate illuminavit, et ad fidei veritatem

astruendam succensum rogum ingressa, ac tribus horis in eo illaesa permanens cujusdam haereticae mulieris pervicaciam vicit, eamque cum aliis ad fidem convertit.

R. Dilexisti justitiam etc.

Lectio VI.

Tandem Viterbium summa civium gratulatione reversa, in consortium Sanctimonialium Sanctae Mariae de Rosis admitti petiit, sed illis ingressum ob puellae inopiam denegantibus, se mortuam in eo coenobio commoraturam praedixit. Mox ad pristinum domus suae carcerem regressa, cum in ea duobus annis permansisset, morbo correpta, et ad beatam patriam suspirans meritis plena migravit ad Sponsum decimo octavo suae vitae anno nondum exacto. Corpus ejus miro splendore illustratum, suavique odore perfusum, in templo sanctae Mariae de Podio effossa humo, ac desuper iugesta tumulatum fuit; donec post triginta circiter menses ab Alexandro Quarto tunc Viterbii sedente, et in somnis ter ab ea admonito refossum, et incorruptum repertum, pridie Nonas Septembris ad praefatum Monasterium, quod postea sanctae Rosae nuncupatum est, solemniiter translatum fuit, ubi usque ad hodiernam diem integrum, et flexibile summa totius orbis admiratione asservatur, et novis semper miraculis corruscat.

R. Afferentur.

In III. Nocturno. *Homil. S. Gregorii Papae in Evangel.* Simile erit Regnum Coelorum decem Virginitibus.

Lectio IX.

Magnus, parentibus Scotis apud Hibernos natus, dum Columbano et Gallo adjutoribus, Brigantii incolas a daemonum cultu ad orthodoxam fidem

traducere laborat, gentilium invidiam commovet. Itaque Columbanus in Italiam, Magnus et Gallus in eam eremi partem secessere, quae est inter lacum Brigantinum, et alpes Rheticas. Porro Magnus divertit Campodunum, olim populosum, tuuc propter serpentum colluviem, et daemonum infestationes tam hominibus, quam feris impervium. Progressus terribilem draconem signo crucis extinxit, et spectra fugavit. Eo miraculo vicinae gentes in Christum crediderunt. Exaedificato ad fauces Julias Divi Augustini Regularibus Coenobio, Fissen dicto, sub Religiosa disciplina coecos visu, surdos auditu, claudos gressu, aegros atque daemoniacos incolumitate donavit. Acta in terris vita Angelica, ad Dominum, quem tantopere desiderabat, emigravit octavo Idus Septembris.

Te Deum laudamus.

Missa: Dilexisti.

Die X. Septembris.

In Festo S. NICOLAI de Tolent.,
Confessoris.

DUPLEX. *Omnia ut in Breviario Romano.*

Post Commemorationem Octavae Nativit. B. V. fit Commemor. S. Corbiniani Episc. et Confess. in primis Vesp. et Laudibus.

O R A T I O.

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos depositione S. Corbiniani Confessoris tui atque Pontificis annua recursione laetificas: concede; ut ejus suffragantibus meritis, ab imminentibus peccatorum periculis liberemur, et aeternis gaudiis perfrui mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum

Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Lectio IX.

Corbinianus in Gallia natus, in Monasterio ad sancti Germani Ecclesiam a se extracto per annos quatuordecim integerrime vixit. Romae a Gregorio Pontifice in Episcopum ordinatus, rediit in Gallias. Verum sanctitatis fama crescente, Romam iter clam aggreditur, Bojosque invisit. Inde per Alpes ad Breonum sylvam contendenti, ursus equum clitellarium dilaniat, quem in poenam reliquo itinere vectorem sarcinae adhibuit. Grimoaldi, Theodouis filii, precibus invitatus, primum ad Majas, dein Frisingae sedem Episcopalem constituit. Miraculis clarus cessit e vita, cujus sacris Reliquiis Basilica Frisingensis honorifice applaudit.

Te Deum laudamus.

Die XVIII. Septembris.

In Festo

S. JOSEPHI a CUPERTINO,

Confess., Ordinis Min. S. Francisci Conv.

DUPLEX. *Omnia de Communi Confess. non Pontif. praeter ea, quae sequuntur.*

In primis Vesperis.

V. Ora pro nobis sancte Joseph.

R. Ut digui efficiamur promissionibus Christi.

Ad Magnificat.

Antiphona. Mortuus sum, et vita mea est abscondita cum Christo in Deo.

O R A T I O.

Deus, qui ad Unigenitum Filium tuum exaltatum a terra, omnia trahere disposuisti: perfice propitius; ut meritis et exemplo Seraphici Confessoris tui Josephi, supra terrenas omnes cupiditates elevati, ad eum pervenire mereamur, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus etc.

In I. Nocturno. Lectio I.

De Epist. b. Pauli Ap. ad Corinth. *cap. 4.*

Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiae claritatis Dei, in facie Christi Jesu. Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus: ut sublimitas sit virtutis Dei, et non ex nobis. In omni tribulationem patimur, sed non angustiamur: aporiamur, sed non destituimur: persecutionem patimur, sed non derelinquimur: deicimur, sed non perimus: semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Jesu manifestetur in corporibus nostris. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jesum: ut et vita Jesu manifestetur in carne nostra mortali.

R. Euge serve bone.

Lectio II. *Cap. 5.*

Scimus enim, quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in coelis. Nam et in hoc ingemiscimus, habitationem nostram, quae de coelo est, superindui cupientes: si tamen vestiti, non nudi inveniamur. Nam, et qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus gravati: eo quod volumus exspoliari, sed supervestiri; ut absorbeatur quod mortale est, a

vita. Qui autem efficit nos in hoc ipsum, Deus, qui dedit nobis pignus Spiritus. Audentes igitur semper, scientes, quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino (per fidem enim ambulamus, et non per speciem). Audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum.

R. Justus germinabit.

Lectio III. Cap. 12.

Si gloriari oportet (non expedit quidem) veniam autem ad visiones, et revelationes Domini. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit) raptum hujusmodi usque ad tertium coelum. Et scio hujusmodi hominem (sive in corpore, sive extra corpus, nescio, Deus scit) quoniam raptus est in Paradisum; et audivit arcana verba, quae non licet homini loqui. Pro hujusmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis. Nam, et si voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem autem dicam: parco autem, ne quis me existimet supra id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me. Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meae angelus satae, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me: et dixit mihi: sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.

R. Iste cognovit.

In II. Noct. Lectio IV.

Josephus a Cupertino, oppido in salentinis Dioecesis Noritensis, anno reparatae salutis millesimo

sexcentesimo tertio, piis ibidem parentibus ortus, Deique amore praeventus, pneritiam, atque adolescentiam summa cum simplicitate, morumque innocentia transegit. A diuturno, molestoque morbo patientissime tolerato, Deiparae Virginis ope liberatus, se totum pietatis operibus, ac excolendis virtutibus dedit: utque Deo, ad majora vocanti se intimius conjungeret, Ordini Seraphico nomen dare constituit. Post varios eventus voti tandem compos factus, apud Minores Conventuales in Coenobio Cryptulae, inter Laicos primum ob litterarum imperitiam deinde inter Clericos divina dispositione, connumeratus est. Sacerdotio post solemnia vota initiatus, perfectius sibi vitae institutum proposuit. Quamobrem mundanis quibuscunque affectibus, terrenisque rebus pene ad vitam necessariis illico a se abdicatis, ciliciis, flagellis, catenis, omni demum asperitatum ac poenarum genere corpus afflixit, Spiritum vero sanctae orationis, altissimaeque contemplationis assiduitate dulciter enutrivit. Hinc factum est, ut charitas Dei, quae jam erat in ejus corde a prima aetate diffusa, miro, planeque singulari modo indies corruscaverit.

B. Honestum fecit.

Lectio V.

Eluxit praecipue ardentissima ejus charitas in extasibus ad Deum suavissimis, stupendisque raptibus, quibus frequenter afficiebatur. Mirum autem, quod alienato a sensibus animo statim ab extasi enim revocabat sola obedientia. Hanc quippe virtutem eximio studio prosequabatur, dicere solitus: se ab ea veluti caecum circumduci, et mori potius velle, quam non obedire. Paupertatem vero Seraphici Patriarchae ita aemulatus est, ut morti proximus praelato suo asserere vere potuerit, se nihil habere, quod more Religiosorum resiguaret. Ita-

que mundo, sibi que mortuus, vitam Jesu manifestabat in carne sua, quae, dum in aliquibus ex turpitudine obscenum flagitium sentiebat, prodigiosum de se efflabat odorem, indicium nitidissimae illius puritatis, quam, immundo Spiritu vehementissimis tentationibus frustra obnubilare diu conante, servavit illaesam, tum arcta sensuum custodia, tum jugi corporis maceratione, tum denique speciali protectione purissimae Virginis Mariae, quam Matrem suam appellare consuevit, ac veluti Matrem dulcissimam intimo cordis affectu venerabatur, eamque ab aliis venerari exoptabat, ut cum ejusdem patricinio, sicut ipse agebat, omnia bona consequerentur.

R. Amavit eum Dominus.

Lectio VI.

Haec beati Josephi sollicitudo a sua erga proximos charitate prodibat; tanto enim animarum zelo exardebat, ut omnium salutem modis omnibus instantissime procuraret. Extendens pariter charitatem suam in proximum sive pauperem, sive infirmum, sive quacunque tribulatione alia vexatum, quantum in ipso erat, illum recreabat. Nec alieni erant ab ejus charitate, qui objurgationibus, probris, omnisque generis injuriis ipsum appetere; nam eadem patientia, mansuetudine, vultusque hilaritate talia excipiebat, qua tot inter ac tantas vicissitudines resplenduit, dum vel Moderatorum Ordinis, vel sacrae Inquisitionis jussu hac illac errare, versarique coactus est. Quamquam vero populi non solum, sed Viri Principes eximiam ejus saucitatem, et superna charismata admirarentur; ea nihilominus erat humilitate, ut magnum se peccatorem reputans, Deum enixe deprecaretur, ut sua ab eo illustria dona removeret, homines vero exoraret, ut in eum locum mortuum ejus corpus in-

jicerent, ubi memoria sui esset prorsus oblitterata. At Dens, qui ponit humiles in sublime, quique servum suum, dum viveret, coelesti sapientia, prophetia, cordium perscrutatione, curationum gratia, ceterisque donis cumulatissime exornaverat, ejus quoque mortem iis, quibus ipse ante praedixerat, loco, ac tempore, anno aetatis suae sexagesimo primo, Auximi in Piceno pretiosam reddidit, sepulchrumque gloriosum. Illum denique etiam post obitum miraculis coruscantem, Benedictus quartus decimus Beatorum, Clemens vero tertius decimus sanctorum fastis adscripsit.

R. Iste homo perfecit omnia.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 22.

In illo tempore loquebatur Jesus Principibus Sacerdotum, et Pharisaeis in parabolis, dicens: Simile factum est Regnum Coelorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papae.

Quia jam, largiente Domino, nuptiarum domum, id est sanctam Ecclesiam, intratis; solerter, fratres, aspiciate, ne aliquid de mentis vestrae habitu Rex ingrediens reprehendat. Cum maguo enim cordis timore pensandum est, quod protinus subditur: Intravit autem Rex, ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Quid, fratres charissimi, exprimi per nuptialem vestem putamus? Si enim vestem nuptialem Baptisma vel Fidem dicimus, quis sine baptismo, et fide has nuptias intravit? eo enim ipso foris est, qui necdum credidit. Quid ergo debemus intelligere nuptialem vestem, nisi charitatem? Intrat enim ad nuptias; sed cum nuptiali veste non intrat, qui in

sancta Ecclesia assistens fidem habet, sed charitatem non habet. Recte enim charitas nuptialis vestis vocatur, quia hanc in se conditor noster habuit, dum ad sociandae sibi Ecclesiae nuptias venit.

R. Iste est qui ante Deum.

Lectio VIII.

Sola quippe dilectione Dei actum est, ut ejus Unigenitus mentes sibi electorum hominum uniret. Unde et Joannes dicit: sic enim dilexit Deus mundum, ut Filium suum Unigenitum daret pro nobis. Qui ergo per charitatem venit ad homines, eandem charitatem innotuit vestem esse nuptialem. Omnis ergo vestrum, qui in Ecclesia positus Deo credit, jam ad nuptias intravit: sed cum nuptiali veste non venit, si charitatis gratiam non custodit. Et certe, fratres, si quis ad carnales nuptias esset invitatus, vestem mutaret, congaudere se sponso et sponsae ex ipso sui habitus decore ostenderet, inter gaudentes et festa celebrantes despectis vestibus apparere erubesceret. Nos ad Dei nuptias venimus, et cordis vestem mutare dissimulamus. Congaudent Angeli, cum ad coelum assumuntur electi. Qua ergo mente haec spiritualia festa conspiciamus, qui nuptialem vestem, id est charitatem, quae sola nos speciosos exhibet, non habemus?

R. Sint lumbi vestri.

Lectio IX.

Sciendum vero est, quia sicut in duobus lignis, superiore videlicet, et inferiore vestis textitur, ita in duobus praeceptis charitas habetur, in dilectione scilicet Dei et proximi. Scriptum quippe est: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota virtute tua, et proximum sicut te ipsum. Qua in re notandum est, quia in dilectione proximi mensura amoris ponitur, cum

dicatur: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Dei autem dilectio nulla mensura constringitur, cum dicitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota virtute tua. Non enim jubetur quisque quantum diligat, sed ex quanto, cum dicitur: ex toto. Quia ille veraciter Deum diligit, qui sibi de se nihil relinquit. Duo ergo necesse est ut charitatis praecepta custodiat, quisquis habere in nuptiis vestem nuptialem curat.

Te Deum laudamus.

Ad Benedictus.

Y. Ora pro nobis sancte Joseph.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Antiphona. Ostendit mihi Dominus fluvium aquae vivae, splendidum tanquam crystallum, procedentem de sede Dei, et Agni.

In II. Vesperis.

Y. Ora pro nobis sancte Joseph.

R. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Antiphona. Existimo omnia detrimentum esse, propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei.

Die XXII. Septembris.

**In Festo SS. MAURITII et Soc.,
Martyrum.**

DUPLEX. *Omnia de Communi plurimorum Martyrum praeter ea, quae sequuntur.*

ORATIO *ut in Breviario.*

Annue quaesumus omnipotens Deus: ut sanctorum Martyrum tuorum Mauriti et Sociorum ejus nos laetificet festiva solemnitas; ut quorum suffragiis nitimur, eorum natalitiis gloriemur. Per Dominum nostrum etc.

In I. Noctarno. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

Si autem hoc festum venerit in quatuor temporibus, Lectiones primi Noct. erunt: Fratres debitores etc. ut in communi plurim. Martyrum et Lectio 9. de Homil. et commem. fer. ad Laud.

In II. Nocturno. *Lectio IV.*

Ex Sermone S. Eucherii Episcopi.

Sub Maximiano, qui Romanae Reipublicae cum Diocletiano Collega imperium tenuit, per diversas fere Provincias laniati, ac interfecti sunt Martyrum populi. Erat in exercitu legio militum, qui Thebaei appellabantur, viri in rebus bellicis strenui, et virtute nobiles, sed nobiliores fide; erga Imperatorem fortitudine, erga Christum devotione certabant; et Evangelici praecepti etiam sub armis non immemores; reddebant, quae Dei erant, Deo, et quae Caesaris, Caesari restituebant. Itaque cum ii, sicut et ceteri militum ad pertrahendam Christianorum multitudinem destinarentur, soli crudelitatis ministerium detrectare ausi sunt, atque ejusmodi praeceptis se obtemperaturos negant.

R. Sancti tui Domine.

Lectio V.

Igitur Maximianus cognito Thebaeorum responso, decimus quemque ex eadem legione gladio feriri jubet, quo facilius ceteri regis praeceptis territi metu cederent. Ubi vero ad Thebaeos denuntiatio iterata pervenit, cognitumque ab iis est, injungi sibi rursum executiones profanas, vociferatio passim, ac tumultus in castris exoritur affirmantium: nunquam se ulli in haec tam sacrilega ministeria cessuros; extrema experiri satius esse, quam adversus Christianam fidem venire. His

deinde compertis Maximianus omni bellua cruentior imperat, ut iterum decimus eorum morti detur, et ceteri nihilominus ad haec, quae spreverant, compellerentur. Quibus jussis denuo in castra perlatis segregatus est, atque percussus, qui decimus forte obvenerat. Reliqua vero se militum multitudo mutuo sermone instigabat, ut in tam praeclaro opere persisterent.

R. Verbera carnicum.

Lectio VI.

Incitamentum tamen maximum fidei in illo tempore penes S. Mauritium fuit, Primicerium tunc, sicut traditur, legionis ejus, qui cum Exuperio Campiductore et Candido senatore militum accendebat exhortando singulos, et monendo fidem, secuturosque admonebat socios illos, et contubernales suos, qui jam in coelum praecesserant. His itaque Primoribus et Auctoribus animati, Maximiano insania adhuc aestuanti, mandata mittunt sicut pia, ita et fortia. Quibus ille auditis desperans gloriosam eorum constantiam posse revocari, una sententia interfici omnes decrevit, et rem confici, circumfusus militum agminibus, jubet. Qui cum missi ad beatissimam legionem venissent, stringunt iu sauctos impii ferrum mori non recusantes. Caedebantur itaque passim gladiis non reclamantes, sed depositis armis cervices persecutoribus praebentes. Sic interfecta est illa plane angelica legio, quae, ut credimus, cum illis Angelorum legionibus jam colaudat semper iu coelis Dominum Deum Sabaoth.

R. Tanquam aurum.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Cum audieritis praelia, cum *Homil. S. Gregorii Papae. Dominus ac Redemptor noster etc. ut in comm. plurim. Murt.*

Die XXIV. Septembris.

In Festo

B. V. MARIAE de MERCEDE.

DUPLEX MAJUS.

*In primis Vesperis fit Commemoratio sancti
Ruperti Episcopi et Confessoris, et de Eodem nona
Lectio et Commem. in Laud.*

Antiph. Sacerdos. V. Amavit.

O R A T I O.

Ecclesiam tuam quaesumus, Domine pia miseratione custodi: et quam beatissimus Confessor tuus, et Episcopus Rupertus te praesidiaute purgavit ab haeresibus, ipsius orationibus non desinas mementis omnibus adjuvare. Per Dominum nostrum etc.

R. VIII. primum in Festo B. V. Mariae de Mercede.

Beata es Maria Dei genitrix, patrona et auxiliatrix nostra. * Cujus nutu haec tua ad fidelium redemptionem instituta est religio. V. Tua sancta intercessione adjuva nos Virgo immaculata. Cujus. Gloria Patri. Cujus.

Lectio IX.

Rupertus Vangionensis Episcopus, sub Childeberto secundo Francorum Rege, genus suum ab iisdem ducens hoc suum existinabat, quod egenis contulisset. Ejus ope tam vicinae, quam longinquae Regiones in salutis viam traductae sunt. Ac Theodo Bavariae Dux miraculorum fama audita rogavit, ut suas ditiones invisere vellet. At ille, licet persecutionibus fatigatus Theodoneum una cum praecipuis proceribus, ac magna hominum multitudine baptizavit. Cum Episcopalem sedem ad lacum Walersee constituisset, templumque in honorem beati Petri,

ac Juvavium in loco qui nunc Salisburgum dicitur, Clericorum ministeriis primus erexisset, animum statim ad reliquam gentem Bavariae imbuendam convertit. Quare Bavarorum Apostolus appellatus est. Cum denique Episcopatum pluribus annis, summa cum laude rexisset, sacrosancto Missae Sacrificio ipso Dominico Resurrectionis die peracto, ac discipulorum animis paterna hortatione confirmatis, coelesti vita perpetuo fruiturus migravit ad Dominum, et hac die Salisburgi ejus soleunis translatio celebratur.

Te Deum laudamus.

Dic XXV. Septembris.

In Festo S. Lamberti,
Episcopi et Martyris.

SEMIDUPLEX. *Omnia de Communi unius Martyris, exceptis quae sequuntur.*

O R A T I O.

Intercessio quaesumus Domine, Beati Lamberti Martyris tui atque Pontificis tuam vobis non desinat placare justitiam, et nostrum tibi devotum efficere famulatum. Per Dominum nostrum.

In I. Nocturno. *Lectiones de scriptura occurrente.*

In II. Noct. Lectio IV.

Gloriosus Episcopus et Martyr Lambertus natus Trajecti in Belgio, a pueritia aetatem suam Christo consecravit. Usus praeceptoribus a vitae sanctitate celebribus, ita profecit, ut Magistro suo sancto Martyri Theodardo in Episcopatum Trajectensem successerit, urgentibus, Rege Clodoveo, et electione Cleri, et omnis populi acclamatione.

Clodovens in Decreto eum vocabat Patrem suum, et virum Apostolicum: Childericus autem Rex, pectus ejus dicebat esse domicilium Spiritus sancti, et linguam organum veritatis. Sed hoc Rege occiso, Ebroinus sanctum Lambertum justitiae defensorem, Episcopatu expulit.

R. Honestum.

Lectio V.

Lambertus videns se oppressioni Ecclesiae non posse resistere, septem annis Angelicam vitam duxit in Monasterio stabuleto usque ad Ebroini intersectionem. Taxandriae populum qui idololatriae deditus, non in civitatibus, sed sparsis vicis continebatur usque ad Tungros, ipse multa patientia et praedicatione ad fidem convertit; unde et Taxandriae Apostolus nominatus est. Dum autem Pipinum Principem, primi Pipini nepotem, a publico cum Alpaide adulterio revocare conatur, obsistente sibi pellice, cum Joanne Baptista meruit Martyrii coronam.

R. Desiderium.

Lectio VI.

Dodo enim pellicis frater, sorore postulante, collegit turmam impiorum Satellitum, et sanctum Lambertum in villa Legia habitantem, noctu circumdedit, et fores effringere nitebatur. Quod cum Pontifex ex puero Gondonero audivisset, et arripuisset gladium quasi pugnaturus, mox se ipsum increpans dixit: Melius est mihi in Christo mori, quoniam sic pugnando victoriam non amitto. Expansis igitur brachiis, ante altare sanctorum Martyrum Cosmae et Damiani orantem impii ictu lanceae vulnerarunt, et una cum Petro et Andoletio, Martyris consanguineis occiderunt anno salutis sexcentesimo nonagesimo. Sepultus est apud Trajectenses in Ec-

clesia sancti Petri, unde post annos duodecim translatus est in villam Legiam, Martyrio et miraculis sancti Lamberti nobilem, et deinde in amplam urbem Leodium, ac sedem Episcopalem commutatam.

R. Stola jucunditatis.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. 14.

In illo tempore: dixit Jesus turbis: Si quis venit ad me, et non odit Patrem suum et matrem, et uxorem, et filios, et fratres et sorores: adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papae. *Ex Homilia 37. in Evangelia.*

Scimus autem: quia cum de terra Philistiim Arca Domini ad terram Israelitarum rediret, plauastro superimposita est, et vaccae plauastro subjunctae sunt; duae foetae fuisse memorantur, quarum vitulos clauserunt domi. Et scriptum est: Ibant autem in directum vaccae per viam quae ducit Bethsames: uno itinere gradiebantur, pergentes et mugientes, et non declinabant neque ad dexteram, neque ad sinistram. Quid igitur vaccae, nisi fideles quosque in Ecclesia designant? qui dum sacri eloqui praecepta considerant, quasi superimpositam sibi Domini Arcam portant.

R. Corona aurea.

Lectio VIII.

De quibus hoc etiam est notandum, quod fuisse foetae memorantur: quia sunt plerique, qui in via Dei intrinsecus positi, foris carnalibus affectibus ligantur, sed non declinant a recto itinere, quia Arcam Dei portant in mente. Ecce enim vaccae

Bethsames pergunt. Bethsames quippe domus solis dicitur; et Propheta ait: Vobis autem, qui time-
tis Dominum orietur sol justitiae. Si ergo ad aet-
erni solis habitationem tendimus, dignum profecto
est, ut de Dei itinere pro carnalibus affectibus non
declinemus; tota enim virtute pensandum est, quod
vaccae Dei plaustro suppositae pergunt et genuunt.
Dant ab intimitus mugitus, et tamen ab itinere non
deflectunt gressus. Sic nimirum Praedicatores Dei,
sic fideles quique esse intra sanctam Ecclesiam
debent, ut compatiantur proximis per charitatem, et
tamen de via Dei non exorbitent per compassionem.

R. Hic est vere.

Lectio IX.

Hoc ipsum vero odium animae qualiter exhiberi
debeat, veritas subdendo manifestat, dicens: Et
qui non bajulat crucem suam, et cetera. Crux
quippe a cruciatu dicitur: Et duobus modis crucem
Domini bajulamur, cum aut per abstinentiam car-
nem afficimus, aut per compassionem proximi ne-
cessitatem illius nostram putamus. Qui enim dolo-
rem exhibet in aliena necessitate, crucem portat in
mente. Sciendum vero est, quod sint nonnulli, qui
caruis abstinentiam non pro Deo sed pro inani glo-
ria exhibent. Et sunt plerique, qui compassionem
proximo non spiritualiter, sed carnaliter impendunt,
ut ei non ad virtutem, sed quasi miserando ad cul-
pas saveant. Hi itaque crucem quidem videntur
ferre, sed Dominum non sequuntur. Unde recte
haec eadem veritas dicit: Qui non bajulat crucem
suam, et venit post me, non potest meus esse di-
scipulus.

Te Deum laudamus.

Die XXVII. Septembris.

In Festo

Translationis S. STANISLAI,

Episcopi et Martyris.

DUPLEX. *Omnia de Communi unius Martyris, praeter sequentia.*

O R A T I O.

Deus, pro cujus honore gloriosus Pontifex Stanislaus gladiis impiorum occubuit: praesta, quae sumus, ut omnes, qui ejus diem translationis celebrantes implorant auxilium, petitionis suae salutarem consequantur effectum. **Per Dominum nostrum.**

In I. Nocturno. *Lectiones de scriptura occurr.*

In II. Nocturno. Lectio IV.

Ecce Stanislaus computatus est inter filios Dei, et inter Sanctos sors illius est. Honorificavit eum Pater aeternus, qui in coelis est: centuplum accepit in hac vita, et vitam aeternam possedit. Nam qui vivus coecis viam demonstrabat, mortuus coecos illuminat: qui vivus unum solum mortuum, magna nostri orbis admiratione, a mortuis excitavit, mortuus plures de sorte mortis sustulit: qui vivus ferro Boleslai cessit, mortuus universos exercitus, atque acies integras piorum Regum Patronus et adiutor, gentisque suae armator, fugat. Itaque cum locus ille, ubi depositus fuit populi frequentiam, qui illuc opis causa confugiebat, continere non posset, Lambertus hujus nominis tertius, successor ejus, et Princeps Vladislaus, divinis visionibus admoniti, ossa Sancti, odorem suavissimum spirantia, sancte et reverenter in primum templum Cracoviense, sancti Wenceslai tum dictum, transferunt. Sic suo Altari Pontifex, Cathedrae Doctor, tem-

plo Episcopus, populo Pastor, post deceunium restituitur.

R. Honestum.

Lectio V.

Post centum tandem et septuaginta annos, excitat Dominus spiritum Prandotae, Episcopi Cracoviensis, viri sancti, Boleslai item Ducis, cum sua conjuge Cunigunda femina castissima. Qui miraculis sancti Episcopi collectis, et fide publica, tamquam igni probatis, Legatos ad Innocentium quartum, summum Pontificem mittant: atque ut tantum virum in numerum sanctorum referre velit, diligenter precantur. Fit Consulatio Assisi, ubi tum forte erat summus Pontifex. Inter alios tam unus adversabatur causae Divi Stanislai, Rheinholdus Cardinalis Ostiensis, vir primae auctoritatis. Incidit hic in gravem et lethalem morbum: cui in somnis apparet Divus Stanislaus, indigne illum facere docet, qui Dei resistat voluntati. Excitatur Senex, Divo se commendat, convalescit, causam antea oppugnatam tuetur. Fit summus consensus omnium: Episcopus sanctus inter Matyres refertur.

R. Desiderium animae.

Lectio VI.

Contigerat, Deo ita ordinante, inter ipsam rem sacram, ut mortuus adolescens a matre in illud templum divi Francisci dictum deduceretur. Pontifex Deum supplex precatur, ut novo miraculo factum suum confirmet: erigit se subito adolescens: fit ingens laetitia omnium. Summus Pontifex pro suggestu gratias Deo agit: Martyrem luculentissima oratione celebrat: diem octavam Idus Maji memoriae ejus solemnem assignat. Redeunt Legati cum ingenti laetitia, annuunciantes, quanta Deus fecit cum Martyre suo. Prandota Episcopus ossa

Sancti ex pulvere terrae sublevat, eaque pro more solito in altari condit, Boleslao Rege pudico, ac Regina pudicissima, ceterisque Episcopis, ac Ducibus Regni et vicinarum Provinciarum assistentibus. Et factum est in die illa gaudium magnum: benedixitque Dominus novissimis Stanislai magis, quam principio ejus.

R. Stola jucunditatis.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. Cap. 10.

In illo tempore: dixit Jesus Phariseis: Ego sum Pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Et reliqua.

Homilia S. Basilii Episcopi.

Quomodo, cum magna dicit: Ego manu mea firmavi terram, ego produxi coelos solus: quomodo cum alia dicit, quae digna sunt dici de Deo, sic dicit: Ego sum Pastor bonus. Arcet degeneres, et veritatem sibi ipsi vindicat: Ego sum Pastor ille bonus. Disce, quis sit Pastor, et quis sit bonus ille. Ipse hoc interpretatur: Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus suis: Mercenarius vero et qui non est pastor, cujus non sunt oves propriae, illi nihil est curae, quando lupum venientem videt. Hic quaerit Ecclesia: Si Dominus Pastor est, quis sit mercenarius Pastor? Num diabolus? Et, si diabolus mercenarius Pastor est, quis sit lupus? At lupus diabolus est, bestia immanis, rapax, insidiosa, communis omnium hostis. Habeat itaque propriam appellationem mercenarius pastor.

R. Corona aurea.

Lectio VIII.

Tunc quidem mercenarios Pastores Dominus vocavit, ad eos conversus, qui tunc erant: sunt

vero et nunc (quod minime vellem), qui non ut prosint ovibus, Pastores agunt: quibus proprie mercenariorum appellatio convenit. Tunc Principes Sacerdotum notabantur, et Pharisei, et tota illa secta Judaica: illos dixit mercenarios esse pastores, qui non veritatis, sed quaestus sui gratia pascendi potestatem usurpabant; qui vano praetextu precationibus instabant, ut panem comederent viduarum et orphanorum. Mercenarii sunt, qui proprium compendium curant; qui praesentia sectantes, ad futura non aspiciunt, mercenarii sunt, non Pastores.

R. Hic est vere Martyr.

Lectio IX.

Et cognosco oves meas, et cognoscunt me meae. Quid vocat cognoscere? Oves meae, inquit, vocem meam audiunt. Ecce quomodo cognoscatur Deus, ex eo, quod praecepta illius audimus: ex eo, quod illa audientes opere adimplemus. Haec demum est cognitio Dei, observantia videlicet praeceptorum Dei, non inanis illa curiositas, non essentiae Dei, et supramundanorum investigatio, non rerum invisibilium consideratio. Satis tibi sit scire, Pastorem esse bonum, animam suam posuisse pro ovibus. Quantus vero sit Deus, et quae illius mensura, et qualis essentia; talia sciscitanti sunt periculosa; ei autem, qui rogatur, perplexa: et talium medicina est silentium. Qui vero nostram hanc panegyrim congregavit, nos custodiat indemnes, illaesos et a lupi rapacitate securos, Ecclesiam hanc immotam, ac magis Martyrum turribus munitam, conservet: omnes furentium haereticorum insidias et incursus in tranquillitate ac silentio avertat: nobis vero donet, ut divina oracula discamus et doceamus, subministrata a spiritu sancto gratia: cui cum

Patre et Filio, sit gloria et imperium nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Te Deum laudamus.

FESTA OCTOBRIS.

Die I. Octobris.

In Festo S. REMIGII,

Episcopi et Confessoris.

SEMID. *ad libitum.* **SIMPLEX** *de praecepto omnia de Comm. Confess. Pontificis, exceptis Lectionibus secundi Nocturni.*

In Hymno mutatur tert. vers.

ORATIO, *ut in Breviario.*

Da, quaesumus omnipotens Deus: ut beati Remigii etc.

In I. Nocturno. *Lectiones de scriptura occurr.*

In II. Nocturno. **Lectio IV.**

Remigius Aemilio et Cilinia nobilibus parentibus natus, et a Deo precibus ipsorum impetratus fuit. Adhuc puer, cum materno lacte coeci oculos perunxisset, ei lumen restituit. Adolescens spreto mundi illecebris vigiliis et orationibus assiduus, rerum divinarum contemplationi totus vacabat. Duos et viginti annos natus, ob morum gravitatem et vitae sanctitatem, defuncto Bennadio, summo omnium consensu, Rhemensis Pontifex, licet invitus, eligitur, coelo ejus electionem confirmante, novi luminis splendoribus.

R. Inveni David.

Lectio V.

Factus Episcopus regendo gregi totus incumbens, verbo et exemplo omnibus praeluxit. Primus omnium doctrina et miraculis, Francos ad Christi Domini fidem, et Clodoveum ipsorum Regem Christianis rudimentis primum imbuat, et tandem post victoriam de Alemannis, ab eo reportatam ac continuas Clotildis uxoris ejus exhortationes, et preces, ut baptismum susciperet, baptizavit. Qui cum baptizaretur, ampulla chrismatis, columbae ore, coelitus allata est, qua fons, more solito, et ipse Rex Clodoveus, sacraretur.

R. Posui adjutorium.

Lectio VI.

Multa sunt, et varia miracula, quae Deus, ejus intercessione, operari dignatus est. Inter quae illud insigne narratur, quod Rhemis nobilem puellam, quam parentes cum Beati Benedicti literis commendatitiis Rhemos perduxerant, a furente daemone liberarit, eandemque postea mortuam ad vitam revocarit. Praeterea urbe Rhemorum, fraude daemonum, magna ex parte inceusa, invocato Christi nomine incendium extinxit, ac daemones, qui se flammarum globis immiscuerant, siguo crucis fugavit. A Clodoveo Rege obtinuit, ut ad mores Ecclesiasticorum componendos, in Aurelianensi urbe Concilium indiceretur: ad quod vir sauctus cum venisset, Ariannum Episcopum arrogantius disputantem, sola sui corporis umbra mutum reddidit: eidemque postea siguis et nutibus erroris veniam poscenti, vocem restituit, et ad Ecclesiae Catholicae unionem suaviter fortiterque adduxit. Tandem Clodoveo omnibusque Francia populis gratissimus, cum multos interpretatus esset divinae scripturae libros, et amplius septuaginta annos, summa cum

laude Rhemensem Ecclesiam administrasset, migravit in coelum: cujus vitae ac mortis sanctitatem, multa, quae secuta sunt miracula, comprobant.

R. Iste est qui ante Deum.

In III. Nocturno.

Homilia S. Gregorii Papae in Evangelium: Homo peregre proficiscens, ut in Communi Confessoris Pontificis.

Si hoc festum venerit die Dominica, non transfertur, sed de eo, ut de simplici, fit commemoratio in primis vesp. et laud.

Die X. Octobris.

In Festo

S. FRANCISCI BORGLAE,
Confessoris.

SEMIDUPLEX.

In primis Vesperis fit Commemoratio SS. Gereonis et sociorum ejus Martyrum, cum nona Lectione et Commem. in Laudib.

Antiph. Istorum est enim. V. Laetamini.

O R A T I O.

Tribue quaesumus, omnipotens Deus Beatorum Martyrum tuorum Gereonis et Sociorum ejus sacrarum precum ubique uos muniri suffragiis; ut eorum intervenientibus meritis, famulatus nostri tibi placere possint obsequia. Per Dominum nostrum etc.

Pro SS. GEREONE et Sociis Martyr.

Lectio IX.

Beatus Gereon, ejusque Socii, trecenti decem et octo, passi sunt Diocletiano, et Maximiano Im-

peratoribus, quos in campis Agrippinae Civitatis assecuti carnifices, universos eadem Christi fide armatos obtruncarunt in loco, qui ab incolis, ad Martyres dicitur; ubi in praealtum puteum conjecerunt occisorum corpora. Interea cohors illa trecentorum ac triginta Christianorum, quae beatum Victorem comitabatur, pervenerat ad Francorum oppidum, quod ex Majorum sedibus Trojam nuncupabant, ubi fixis per prata castris, obruti sunt a supervenientibus Thebaeorum Tyrannis, qui occisis universis, corpora eorum in locis palustribus submerserunt. Eodem tempore trecenti quinquaginta Christiani milites, qui ex Mauritania Africae regione ad eosdem Gallicos tumultus sedandos evocati, navigio descenderunt pro fide trucidati, eandem cum Beato Gereone, ejusque Sociis corporum quietem et venerationem reppererunt Coloniae. Helena autem Constantini Mater, accepta a filio potestate sublimandi sepulturas Martyrum ipsorum honori magnificam, et divitem Basilicam exaedificavit.

Te Deum laudamus.

In Laudibus fit Commemoratio SS. Gereonis et Socior. Mart.

Die XV. Octobris.

In Festo S. HEDWIGIS,

Ducis et Patronae Silesiae.

DUPLEX 1. Classis cum Octava.

Vesperae primae de S. Hedwige sine Commemoratione praecedentis.

Omnia de Communi nec Virginum nec Martyrum exceptis hic propriis.

O R A T I O.

Deus, qui beatam Hedwigem a saeculi pompa, ad humilem tuae crucis sequelam toto corde tran-

sire docuisti, concede, ut ejus meritis et exemplo discamus perituras mundi calcare delicias, et in amplexu tuae crucis omnia nobis adversantia superare. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus saucti Deus etc.

Lectiones I. Nocturni. Mulierem sortem, *de Communi nec Virginum nec Martyrum.*

In II. Nocturno. Lectio IV.

Crescente Religione Christiana in partibus septentrionalibus Poloniae et Silesiae ab anno nonagesimo sexagesimo quinto, ut eo gloriosius lucerna fidei illucesceret, et Petri navicula inter mundanas illecebras et insidias firmiore navigio remigaret et per sanctitatem hominum firmaretur, velut stella matutina a regalibus emissa sedibus, Henrici Longobarbati Silesiae Ducis et Poloniae Principis, conjux Hedwigis prae ceteris terris Silesiam illustravit.

R. Propter veritatem.

Lectio V.

Fulsit claritate natalium ab his qui sceptrum gestarunt Regnorum, et quos insignes effecit imperii celsitudo: descendens siquidem ex Caroli Magni Imperatoris prosapia. Cujus Pater Bertholdus Marchio Meraniae, Comes Tyrolensis, Mater Agnes Marchionum Orientalium et Comitum Rochlitz filia: S. Elisabethae, Filiae Regis Hungariae et conjugis Ludovici, Landgravii Hassiae et Thuringiae, matertera.

R. Dilexisti.

Lectio VI.

Et quamvis aetas puellaris tenera et prona in vitium praesertim inter aulae tumultus, Hedwigis tamen semper virtutibus cardinalibus subnixa, tan-

quam columnis fortissimis probata est cursum suae pueritiae cucurrisse. Duodennis in Matrimonium Henrico primo Duci Silesiae data, illud semper honorabile et immaculatum custodivit, dies ab Ecclesia tum pro festis, tum pro jejunio assignatos non bene transegisse reputans, quos castitatis merito non condidisset, persuadendo conjugem a thalamo conjugali pro illis diebus abstinendum.

R. Fallax gratia.

In III. Nocturno. *Homil. in Evangelium*: Simile est regnum coelorum thesauro abscondito. *Ex Communi nec Virginum nec Martyrum.*

In secundis Vesperis Commemoratio S. Theresiae tantum.

Die XVI. Octobris.

In Festo S. THERESIAE,
Virginis.

DUPLEX. *Omnia ut in Breviario Romano*
15. Octobris cum nona Lectione et Comm. in Laud.
de S. Gallo Abbate.

Pro S. Gallo Abbate.

Lectio IX.

Gallus nobilis Scotus, sub sancto Columbano Religiosae vitae institutum coluit, cum eodem ad Gallos et Helvetios profectus, multos Christianae fidei praeceptis erudivit, nonnullos ad pauperis Christi sectanda vestigia perduxit. Ad lacum Duriennium, et alibi daemonum simulacra succendit, in abstrusa solitudinis loca se abdedit. Ubi quanto mitius etiam ferae immanes ei morem gerebant, tanto ferocius daemones foedissimis spectris adorientes, ferventissimis precibus cum triduo jeju-

uio et corporis verberatione fugavit. Tandem Ducis Gunzonis filiam a daemone vexatam sanat, et spretis Ducis muneribus cum Constauiensi Episcopatu, ad solitudinem revertitur: in qua severiori disciplina multis informatis et monasteriis pluribus exstructis plenus dierum quievit in Domino.

Te Deum laudamus.

In Laudibus fit Commemoratio S. Hedwigis.
V. Specie et S. Galli Abbat. Antiph. Euge serve.
V. Justum.

ORATIO, *ut in Breviario.*

Deus, qui nos beati Galli Abbatis annua solennitate laetificas: concede propitius, ut cujus natalitia colimus, ejus actiones imitemur. Per Dominum nostrum.

Die XVII. Octobris.

Tertia die infra Octava S. HEDWIGIS.

SEMIDUPLEX. *Omnia ut in die Festo prae-
 ter Lectiones.*

In I. Noct. Lectiones de scriptura occurrente.

In II. Noct. Lectio IV.

In hac admirabili castitate et continentia conjugali nihilominus facta est vitis abundans iu lateribus domus suae, et filii ejus sicut novellae olivarum in circuitu mensae: filios namque tres filiasque totidem viro suo protulit, ex quibus Henricus secundus Patris haeres et successor in Ducatu Silesiae fortia pro Religione Christiana aggressus, et tanquam alius Judas Machabaeus castra Dei contra Tartaros protegens, gloriosa victima occubuit.

R. Propter veritatem.

Lectio V.

Andistis itaque exordium bonae vitae, videatis in hac femina pietatis et devotionis augmenta et progressus; fructus Matrimonii Hedwigis ad laudem Dei protulit, deinceps vero ut juri suo conjugali maritus renuntiet fortiter persuadet, quo impetrato in manum Episcopi Wratislaviensis solemnis promissio continentiae celebratur. Vivitur inter hos Conjuges Angelica vita per annos viginti octo, et non solum coram hominibus, sed vel maxime coram Deo et Angelis ejus.

R. Dilexisti justitiam.

Lectio VI.

Parat deinceps Hedwigis sedem aptam conservandae castitati, amplissimum nempe monasterium Monialium in Trebnitz; cum ab ejus Conjuge Henrico, tum ex mente Hedwigis exstruendo magnos greges Virginum sanctarum collegit, filiam Gertrudem, ut altissimo jugiter ibidem in perpetua castitate digne famuletur, praemittit, et ipsa demum ad inhabitandum illud consequitur. In oratione diurna atque nocturna, nudis etiam media hyeme pedibus incedebat, assidua in jejuniis multis per totos quadraginta annos perseveravit, ita ut die Dominico tertia et quinta feria piscibus et lactariis tantum, Sabatho et feria secunda aridis leguminiibus, quarto et sexto die aqua et pane solo duntaxat vesceretur.

R. Fallax gratia.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 13.

In illo tempore: Dixit Jesus Discipulis suis parabolam hanc: Simile est Regnum Coelorum thesauro abscondito in agro. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorii Papae. *Homilia 11. in Evangelia.*

Rursum coeleste regnum negotiatori homini simile dicitur, qui bonas margaritas quaerit, sed unam pretiosam invenit, quam videlicet inventam, omnia vendens emit: quia qui coelestis vitae dulcedinem in quantum possibilitas admittit, perfecte cognoverit; ea quae in terrenis amaverat, libenter cuncta derelinquit: in comparatione ejus vilescent omnia, deserit habita, congregata disperdit, inardescit in coelestibus animus, nihil in terrenis libet: deforme conspicitur, quidquid de terrenae rei placebat specie: quia sola pretiosae margaritae claritas fulget in mente.

R. Os suum aperuit.

Lectio VIII.

Rursus simile esse regnum coelorum sagenae in mare missae dicitur, ex omni genere piscium congreganti, quae impleta ad littus educitur, et in vasis boni pisces eliguntur; mali autem projiciuntur foras. Sancta Ecclesia sagenae comparatur; quia et piscatoribus est commissa, et per eam quisque ad aeternum regnum a praesentis saeculi fluctibus trahitur, ne in aeternae mortis profunda mergatur. Quae ex omni genere piscium congregat: quia ad peccatorum veniam sapientes et fatuos, liberos et servos, divites et pauperes, fortes et infirmos vocat.

R. Regnum mundi.

Lectio IX.

Quae sagena, scilicet Ecclesia tunc universaliter repletur, cum in fine suo humani generis summa concluditur. Quam educunt, et secus littus sedent; quia sicut mare saeculum, ita saeculi finem

significat littus maris. In quo scilicet fine boni pisces in vasis eliguntur, mali autem projiciuntur foras; quia et electi quique in tabernacula aeterna recipiuntur, et interni regni luce perdita, ad exteriores tenebras reprobi pertrahuntur.

Te Deum laudamus.

Die XX. Octobris.

In Festo S. JOANNIS CANTII,
Confessoris.

DUPLEX. *Omnia de Communi Confess. non Pontif. praeter sequentia.*

Hymnus.

Ad I. Vesperas.

Gentis Polonae gloria,
Clerique splendor nobilis,
Decus Lycaeï, et Patriae
Pater, Joannes inclyte;

Legem superni Numinis
Doces Magister, et facis:
Nil scire prodest; sedulo
Legem nitamur exequi.

Apostolorum limina
Pedes viator visitas;
Ad Patriam, quam tendimus,
Gressus, viamque dirige.

Urbem petis Jerusalem;
Signata sacro sanguine
Christi colis vestigia,
Rigasque fuis sletibus.

Acerba Christi vulnera
Haerete nostris cordibus,
Ut cogitemus consequi
Redemptionis pretium.

Te prona mundi machina
 Clemens adoret Trinitas,
 Et nos novi per gratiam
 Novum canamus canticum. Amen.

O R A T I O.

Da quaesumus omnipotens Deus, ut sancti Joannis Confessoris exemplo in scientia Sanctorum proficientes, atque aliis misericordiam exhibentes, ejus meritis indulgentiam apud te consequamur. Per Dominum nostrum.

Ad Matutinum.

H y m n u s.

Corpus domas jejuniiis,
 Caedis cruento verbere;
 Ut castra poenitentium
 Miles sequaris innocens.

Sequamur et nos sedulo
 Gressus Parentis optimi;
 Sequamur, ut licentiam
 Carnis refrenet spiritus.

Rigente bruma providum
 Prebes amictum pauperi,
 Sitim, famemque egentium
 Esca, potuque sublevas.

Amor petentis populi
 Gelu resolvat pectorum;
 Plorant egeni? provocent
 Stipem gementum lacrymac.

O qui negasti nemini
 Opem roganti, patrium
 Regnum tuere, postulant
 Cives Poloni, et exteri.

Sit laus Patri, sit Filio,
 Tibique sancte Spiritus,
 Preces Joannis impetrent
 Beata nobis gaudia. Amen.

In I. Noct. *Lectiones de scriptura occurrente.*

In II. Nocturno. Lectio IV.

Joannes in Oppido Canti Cracoviensis Dioecesis, a quo Cantii cognomen duxit; Stanislao, et Anna piis, et honestis parentibus natus, morum suavitate, innocentiae gravitate, ab ipsa infantia spem fecit maximae virtutis. In Universitate Cracoviensi Philosophiae, ac Theologiae primum auditor, tum per omnes Academiae gradus ascendendo Professor, ac Doctor Sacra, quam annis multis tradidit, doctrina mentes audientium non illustrabat modo, sed et ad omnem pietatem inflammabat, simul docens scilicet, et faciens. Sacerdos factus nihil de literarum studio remittens, studium auxit christianae perfectionis. Utque passim offendi Deum maxime dolebat, sic eum sibi, et populo placare, oblato quotidie, non sine multis lacrimis incruento sacrificio satagebat. Ilcusiensem Parochiam annis aliquot egregie administravit, sed animarum periculo commotus postea dimisit: ac postulante Academia ad pristinum docendi officium rediit. Tu autem Domine etc.

Lectio V.

Quidquid temporis a studio supererat, partim saluti proximorum Sacris praesertim concionibus procurandae, partim orationi dabat, in qua coelestibus quandoque visionibus, et colloquiis dignatus fertur. Christi vero passione sic afficiebatur, ut in ea contemplanda totas interdum noctes duceret insomnes, ejusque causa melius recolendae Hierosolymam peregrinatus sit. Ubi et Martyrii desiderio flagrans, Turcis ipsis Christum crucifixum praedicare non dubitavit. Quater etiam ad Apostolorum limina, pedes, atque viaria onustus sarcina Romam venit: tum ut sedem Apostolicam, cui maxime addictus fuit, honoraret: tum ut sui (sic enim

ajebat) purgatorii poenas exposita illic quotidie peccatorum venia redimeret. Quo in itinere a latronibus olim spoliatus, et, num quid haberet, praeterea interrogatus cum negasset, aureos deinde aliquot suo insutos pallio recordatus, fugientibus hos etiam clamans obtulit latronibus, qui viri sancti candorem simul et largitatem admirati, etiam ablatos ultro reddidere. Alienae famae ne quis detraxeret, de scriptis beati Augustini exemplo, in parietate versiculis; se, atque alios perpetuo voluit admonitos. Famelicos de suo etiam obsonio satiabat. Nudos autem uou emptis modo, sed retractis quoque sibi vestibus, et calceis operiebat, demisso ipse interim usque ad terram pallio, ne domum nudipes redire videretur. Tu autem Domine etc.

Lectio VI.

Brevis illi somnus, atque humi, vestis, quae nuditatem, cibus qui mortem duntaxat arceret; Virginalem pudicitiam velut lilium inter spinas, aspero cilicio, flagellis, atque jejuniis custodivit. Quin et per annos ante obitum triginta circiter et quinque ab esu carnum perpetuo abstinuit. Tandem dierum juxta, ac meritorum plenus, cum vicinae, quam praesensit, morti se diu, diligenterque praeparasset, ne qua re amplius teneretur, si quid domi supererat, id omne pauperibus distribuit. Tum Ecclesiae Sacramentis rite monitus, dissolvi jam cupiens et esse cum Christo pridie nativitatis ejus in coelum evolavit: miraculis ante, et post mortem clarus. Mortuus ad proximam Academiae Ecclesiam sanctae Annae delatus est, ibique honorifice sepultus. Auctaque indies populi veneratione, ac frequentia inter primarios Poloniae, et Lithuaniae Patronos religiosissime colitur. Novisque coruscans miraculis a Clemente XIII. Pont. M. —

decimo septimo Kalendas Augusti anni millesimi septingentesimi sexagesimi septimi solemni ritu Sanctorum fastis adscriptus est. Tu autem Domine etc.

In III. Nocturno. *Lectiones de Homilia S. Gregorii Papae in Evangelium: Sint lumbi vestri. De Communi Confessoris non Pontificis.*

Missa propria.

Vesperae a cap. de seq. comm. praec. et Octavae et S. Hilarionis Conf. Si vero contigerit dici integras vespas de S. Joanne Cantio, hymnus secundarum vesp. erit sequens.

Hymnus.

Te deprecante corporum
Lues recedit, improbi
Morbi fungantur, pristina
Redeunt salutis munera.

Phŭsi, febrique, et ulcere
Diram redactos ad necem,
Sacratas morti victimas,
Ejus rapis e faucibus.

Te deprecante tumido
Merces abactae flumine,
Tractae Dei potentia
Sursum fluunt retrogradae.

Quum tanta possis, sedibus
Coeli locatus, poscimus,
Responde votis supplicum
Et invocatus subveni.

O una semper Trinitas!
O Trina semper Unitas!
Da supplicante Cantio
Aeterna nobis praemia. Amen.

Die XXI. Octobris.

In Festo

SS. URSULAE et Soc.,

Virginum et Martyrum.

DUPLEX. *Omnia de Communi Virginum et Martyrum.*

Y. Adducentur. Ant. Prudentes Virgines, in utrisque Vesp. et Laud.

ORATIO, *ut in Breviario hodie.*

In I. Nocturno. *Lectiones de scriptura occurr.*

In II. Nocturno. Lectio IV.

Gratiano Imperatore Flavius Clemens Maximus Romani exercitus in Britannia Dux, arrepta tyrannide, Imperator a militibus acclamatur. Inde copias in Gallias transmittens, ab infensis Gratiano legionibus exceptus, Imperium sibi corroborat. Cumque Armoricorum uberem regionem ejectis antiquis habitatoribus, Britannicis militibus, quos secum duxerat, divisisset, quo novas colonias propagaret in posteros: Conuani Britannici Reguli, quem Britannorum Ducem habebat in exercitu, consilio missa legatione in Britanniam, singulis militibus novis colonis, singulas Virgines conjugio foederandas postulat.

R. Propter veritatem.

Lectio V.

Haud visa Britanniae Regulis absurda petitio: unde in gratiam novi Imperatoris, et quod filias suas non nisi gentilibus suis, iisque donatis nova provincia praedivitis honestissime collocandas scirent: pro numero militum, totidem delectae sunt Virgines, omnes numero undecim mille, quarum

Princeps erat Ursula Dionoci Cornubiae Regis filia desponsata Connauo Duci Britannorum militum in exercitu Maximi. Cunctae igitur Loudini collectae impositae sunt invitae navigiis. Solventes nautae, dum Armoricorum Regionem cogitant, a saeva procella in Germanicum littus dejiciuntur.

R. Dilexisti justitiam.

Lectio VI.

Contigit adesse tunc ibi Hunnorum copias, quas a Gratiano Imperatore adversus Maximum evocatas ferunt. Nacti igitur Barbari praeclarum illud Virginum agmen, impotenti libidinis aestu furentes, in eas irruunt. Sed cum hortante Ursula, mortem potius oppetere, quam virginei pudoris jacturam pati, invicto animi vigore decrevissent: Hunni, in rabiem immanitatis conversi, ad unam omnes trucidant. Sicque Ursula super comitum suarum, velut coelestium margaritarum pretiosum acervum gloriosa victima procumbens, purpura pro Christo fusi sanguinis decorata, triumphatorem tot Virginum exercitum, geminis, nempe virginitatis et Martyrii laureis, insignem ducens coelum victrix intravit. Quorum corpora colonienses summo honore condiderunt: earumque illustrem agouem Christianus orbis florenti semper memoria celebrat.

R. Afferentur Regi Virgines.

In III. Nocturno.

Lectio VII. et VIII.

Homil. in Evangel. Simile est Regnum decem Virginibus, *de comm. Virgin.*

Lectio IX.

Hilarion ortus Tabathae etc. *ex duabus fit una, ut in Breviario.*

In Laud. Versus, Antiph. ut supra in Vesperis. Dein fit Commem. Octavae et S. Hilarionis Abbatis.

Vesper. a Capitulo de Octava die S. Hedwigis, ut infra.

Die XXII. Octobris.

Octava S. HEDWIGIS.

DUPLEX.

O R A T I O.

Dens, gratiae dator et gloriae, tuae nobis propitius finum pietatis aperi et praesta: ut qui manentem civitatem hic non habemus, ad futuram, quam quaerimus, beatae Hedwigis interveniente suffragio, perducamur. Per Dominum nostrum etc.

Dein fit Commem. Ursulae et Soc. ut in prim. Vesp. et S. Severi Episc. et Conf.

O R A T I O.

Deus, qui aeternae gloriae B. Severum Confessorem tuum, atque Pontificem participem fieri concessisti: concede nobis propitius; ipso intercedente, aditum regni coelestis, cujus ad bene vivendum informamur exemplis. Per Dominum nostrum etc.

In I. Nocturno. Lectiones de scriptura occurrente.

In II. Noct. Lectio IV.

Pedes pauperum, quos tredecim semper ubique secum circumduxit, lavit: ulcera eorum ligavit, captivos redemit, subditos oppressos tutata est. Irata a nemine umquam visa est, contenta ea objurgatione: Deus tibi parcat. Non caruit Diva

Hedwigis miraculorum ac prophetiae spiritu, et gratia; duabus Sanctimonialibus visum restituit, et duos trecenter suspensos, magna omnium admiratione ad vitam revocavit.

R. Propter veritatem.

Lectio V.

Mortis item mariti sui tempus et rationem longe ante praedixit; et filii eodem modo, cujus caedem eo ipso die, quo caesus est, in remotissimis partibus cognovit, et ipsa diem sui obitus multo prius praesensit, et praedixit. Accidit quoque, ut quadam Moniali in Ecclesia remanente, cum sancta Hedwigis de more sedilia, et scabella pedum Monialium deoscularetur, signum Crucifixi in majori Altari existens dextram manum extenderet, dicens: Hedwigis, exaudita est oratio tua.

R. Dilexisti justitiam.

Lectio VI.

Priusquam morbo gravi correpta fuisset, mortem tamen praevidens sacramentum Unctionis sibi impertiri petivit: Sanctimoniales se aegram siue permissione superiorum invisentes pepulit, nil sanctum esse docens, quod sine obedientia superiorum non ageretur. Antequam moreretur magna hilaritate sanctos cum splendida luce ad se venientes salutavit. Mortua est die Idus Octobris hora vespertina, qua jejunia sua solo pane reficere solebat. Anno salutis humanae millesimo ducentesimo quadragesimo tertio quae multis editis miraculis in numerum Sanctorum a Clemente quarto Anno millesimo ducentesimo sexagesimo septimo Viterbii die Idus Octobris relata est. In cujus Canonizatione mulier caeca visui restituta est.

R. Fallax gratia.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 13.

In illo tempore: dixit Jesus Discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum Coelorum thesauro abscondito in agro. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi. *Quaest.* 16.

Ideo omnis scriba doctus in regno coelorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera. Utrum ista conclusione exponere voluit, quem dixerit thesaurum in agro absconditum. Quoniam sanctae scripturae intelliguntur, quae nomine duorum Testamentorum, novi, et veteris concluduntur. Quamadmodum apud alium Evangelistam, gladium bis acutum, tali conclusione videtur exponere.

R. Os suum apernit.

Lectio VIII.

An quia in parabolis ista locutus est? Et cum quaesivisset ab eis, utrum intellexissent, responderunt se intellexisse. Fortasse ista similitudine ultima, Patrifamilias proferentis de thesauro suo nova, et vetera, ostendere voluit, eum doctum habendum esse in Ecclesia, qui etiam scripturas veteres parabolis explicatas intellexit, ab istis novis accipiens regulas; quia et ista, Dominus per parabolas evuntiavit, quamvis ipse Christus esset finis illorum, id est, ut in eo illa vetera complerentur. §. Ut si ipse, in quo illa complentur, et manifestantur, per parabolas adhuc loquitur, donec ejus passio velum discindat, ut nihil sit occultum, quod non reveletur, multo magis illa, quae ad commendandam tantam ejus salutem tam longe de illo scripta sunt, parabolis operta esse noverimus: quae

cum Judaei ad literam acciperent, noluerunt esse docti in regno coelorum, neque transire ad Christum, ut auferretur velamen, quod supra cor eorum positum est.

R. Regnum mundi.

Pro S. SEVERO Episc. Conf.

Lectio IX.

Severus Ravennae in Italia ortus, pauperem cum uxore et filia vitam duxit. Mortuo ibidem Praesule, Electionem novi Episcopi praestolatur post ostium latitans. Verum niveae columbae, capiti ejus tertio insidentis indicio proditus, in Episcopum (quod illi per jocum dictum fuerat) invitus constituitur. In spiritu raptus, Geminiano Mutinensium Praesuli moribundo adfuit. Mortuae filiae corpusculo (dum id in cryptam Matris jam pridem sepultae inferri jubet) prohibente loci angustia, spatium precibus evincit. Ipse obitus sui praescius, populo in fide, et charitate confirmato, idemque sepulchrum ingressus, efflavit animam Kalendis Februarii, cujus sacra ossa hac die Erfordiam translata sunt.

Te Deum laudamus.

Vesp. de S. Hedwige, comm. sequentis et S. Severini Episcopi et Confessoris.

V. Justum deduxit.

O R A T I O.

Deus, qui beatum Severinum Confessorem tuum atque Pontificem, hodierna die suscepisti, atque remunerasti: concede propitius; ut qui ejus gaudemus meritis, provocemur exemplis, et ejus intercessionem veniam, et vitam mereamur aeternam. Per Dominum nostrum.

Die XXIII. Octobris.

**In Festo
S. JOANNIS CAPISTRANI,
Confessoris.**

SEMIDUPLEX. *Omnia de Communi Confess.
non Pontif.*

ORATIO. Deus, qui nos B. Joannis, *ut in
Breviario.*

In I. Nocturno. *Lectiones de scriptura oc-
currente.*

In II. Nocturno. Lectio IV. V. et VI.

Sermo sancti Joannis Chrysostomi.

**Beati Joannis Capistrani dies etc. ut in Com-
muni Confess. non Pontif. 1. loco.**

In III. Nocturno.

Lectio VII. et VIII.

**Homilia S. Gregorii Papae in Evangelium:
Sint lumbi, ibidem.**

Pro S. SEVERINO.

Lectio IX.

Severinus sub sancto Athanasio Ecclesiam contra haeresim in Germania tutatus, confluentibus totius Galliae, aliarumque Provinciarum ad Synodum Coloniensem Doctoribus, amoto Ephrata Ariano, Ecclesiae Agrippinensi praeficitur, beati Materni dignissimus successor. Audita coelesti melodia eductus est, beatum Martinum Turonensem Episcopum vita decessisse. Erat tum quis e Principum familia, qui prima nuptiarum nocte, intacta sponsa unico

ligneo poculo asportato, eremo se addixerat; hic beatum Severinum parisi esse meriti divinitus cognovit. Senex Burdegala profectus, a beato Amando exceptus est. Ubi post multa virtutum insignia, obdormivit in Domino, et in Ecclesia Burdegalensi primum sepultus, deinde a Coloniensibus trienniali siccitate afflictis, quod Pastorem suum non repetissent, in propria translatus est.

Te Deum laudamus.

In laud. comm. S. Severini. N. Amavit.

Die XXIX. Octobris.

In Festo

SS. CRISPINI et CRISPINIANI,

Martyrum.

S I M P L E X.

*In secundis Vesp. de SS. Simone et Juda, fit
Commemor. SS. Crispini etc. Martyrum.*

O R A T I O.

Deus, sincerum lumen mentium luxque perfecta Beatorum: da cordibus nostris et dignam tibi orationem persolvere, et in Sanctorum tuorum Crispini et Crispiniani gloriosa te semper victoria collaudare. Per Dominum etc.

Lectio III.

Crispinus et Crispinianus clari natalibus, Diocletiano, et Maximiano Imperatoribus, Christum in Gallia praedicaturi Suessionem veniunt. Inde rejecti, et artem sutrinam mirifice edocti, reficiendis pauperum calceis occupantur. Ad quos multi non tam artis, quam fidei perdiscendae gratia accurrunt. Comprehensi, Rictiovaro excrucianti tra-

dantur. Quare ad trochleam extensos fustibus caedi, tum e dorso corrigias exscindi, et iuter digitorum ungues defigi sudes imperat. Dein alligatis ad colla molaribus ex flumine Axoua incolumes, in plumbum liquefactum coniecti, in medio ignis Deum magnificant. Rictiovarum autem ferventis plumbi gutta excoecat. Denuo adipe, pice, et oleo saevitum in Martyres. Unde ab Angelo ereptis, Rictiovarus furibundus in flammam se praecipitat. Quo audito, Maximianus utrumque gladio feriri jubet.

Te Deum laudamus.

FESTA NOVEMBRIS.

Die VI. Novembris.

Sexta die infra Octavam
OMNIUM SANCTORUM.
 SEMIDUPLEX.

In primis Vesp. et Laud. Commem. S. Leonardi Abbatis.

O R A T I O.

Majestati tuae, quaesumus, Domine, sancti Leonardi Abbatis pia jugiter nos commendet oratio: ut, quem devoto veneramur obsequio, ipsius suffragio sublevemur optato. Per Dominum nostrum etc.

Lectio IX.

Leonardus, Regio genere ortus, a beato Remigio Episcopo Rhemensi sanctis moribus, doctrinaque salutari imbutus, recusatis, quos illi Clo-

doveus offerebat, honoribus, ut monus Episcopale suscipere cogeretur, Aquitaniam petiit: ubi plurimis ad Christi fidem conversis, in solitudinem se recepit. In ea fratribus aquam desiderantibus, perennem suis precibus fontem impetravit. Idem coecos, claudos, energumenos, et quolibet morbo laborantes, incolumitati restituit. Captivis demum Viri sancti opem implorantibus repente soluta vincula, effracti carceres, libertas reddita, atque alia multa miracula viri sauctitatem declararunt.

Te Deum laudamus.

Die X. Novembris.

In Festo S. Lazari,

Episcopi et Martyris.

DUPLEX. *Omnia de Communi unius Martyris, praeter sequentia.*

O R A T I O.

Deus, qui per unigenitum Filium tuum, beatum Lazarum, quatrIduanum mortuum suscitasti a monumento: erige nos de tumulis peccatorum; ut mereamur adipisci consortium Electorum tuorum. Per eundem Dominum.

Et fit Commemoratio SS. Tryphonis etc. MM. ut in Breviario.

In I. Nocturno. *Lectiones de Scriptura occurrente.*

In II. Nocturno. Lectio IV.

Lazarus nobilibus et copiosis parentibus natus, post Christi Domini ascensum in coelum, cum Maria et Martha sororibus, et Marcella pedissequa, ac Maximino, uno ex septuaginta duobus discipu-

lis Christi Domini, qui totam illam domum baptizaverat, multisque aliis Christianis, comprehensus a Judaeis in navem sine velo, ac remigio imponitur, vastissimoque mari ad certum naufragium committitur. Sed navis, Deo gubernante, salvis omnibus Massiliam appulsa est. Eo miraculo, et horum praedicatione primum Massilienses, mox Aquenses, ac finitimae gentes in Christum crediderunt; Lazarusque Massiliensium, et Maximinus Aquensium Episcopus creatur.

R. Honestum.

De Sermone S. Joannis Chrysostomi. *De S. Ignatio Tom. 5. circa medium.*

Lectio V.

Tempus animadvertite, fratres, quo dignitatem Episcopalem beatus Lazarus est assecutus: neque enim est eadem nunc, quae tunc erat, Ecclesiam gubernandi conditio: non aequalis est labor, viam tritam, et plane paratam post multos ingredi viatores, atque eam, quae nunc primo secunda est, quaeque praerupta et saxosa serisque plena, nec ullum adhuc viatorem admisit. Tunc autem, quocumque quis oculos verteret, ubique praecipitia, barathra, et bella, et pugnae, et pericula: Imperatores et Reges, et populi, et civitates, et gentes, et domestici, et alieni, credentibus insidias tendebant.

R. Desiderium.

Lectio VI.

Quaemadmodum igitur gubernatorem admiramur, non quod vectores possit in portum incolumes ducere, cum mare tranquillum est, cumque navis fertur ventis secundis: sed cum insaniente pelago, ventisque saevientibus, qui in navi sunt, inter se dissentiunt, magna tempestate intus, et foris navi-

gantes exagitante, navim tamen potest dirigere et conservare: Sic eos, qui tunc Ecclesiam regebant, multo magis, quam illos, qui eam in praesentia gubernant, suspicere debemus, et admirari, quando multa bella intus, et foris: quando fidei planta imbecillior erat adhuc, et diligentia magis indigebat, quando veluti modo genitus infans Ecclesiae populus, magnam providentiam, atque sapientiam animae, a qua nutriendus esset, postulabat.

R. Stola jucunditatis.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. Cap. 11.

In illo tempore: Erat quidem languens Lazarus a Bethania, de Castello Mariae, et Marthae sororis ejus. Et reliqua.

De Homilia S. Augustini Episcopi. *Tract. 49. in Joann. post initium.*

Maria erat, quae unxit Dominum unguento, et extersit pedes ejus capillis suis, cujus frater Lazarus infirmabatur. Miserunt ergo sorores ejus ad eum. Jam intelligimus, quo miserunt, ubi erat Jesus: quoniam absens erat, trans Jordanem scilicet. Miserunt ad Dominum nuntiantes, quod aegrotaret frater earum, ut, si dignaretur, veniret, et eum ab aegritudine liberaret. Ille distulit sanare, ut posset resuscitare.

R. Corona aurea.

Lectio VIII.

Quid ergo nuntiaverunt sorores ejus? Domine, ecce, quem amas, infirmatur. Non dixerunt, veni: amanti enim tantummodo nuntiandum fuit. Non ausae sunt dicere, veni, et sana: non ausae sunt dicere: Ibi jube, et hic fiet. Cur enim non

istae, si fides istius Centurionis iude laudatur? Ait enim: Non sum dignus, ut intres sub lectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. Nihil horum istae, sed tantummodo: Domine, ecce, quem amas, infirmatur. Sufficit, ut noveris: non enim amas, et deseris.

R. Hic est vere Martyr.

Lectio IX. et Comm. in Laud. SS. Tryphonis etc. MM. ut in Breviario.

Die XIII. Novembris.

In Festo S. DIDACI,

Conf. nou Pont.

Fit Commem. S. Briccii Episc. et Confess. in primis Vesp. et laud. mutatis versiculis. V. Eliget eum, ex 2do Noct.

O R A T I O.

Beatus Briccius Confessor tuus et Pontifex Domine, quaesumus, pia nos intercessione tibi commendet, ut ejus placito fulti suffragio, quam non meremur, indulgentiam consequamur. Per Dominum nostrum.

Pro S. BRICCIO Episc. Confessore.

Lectio IX.

Briccius sancti Martini Discipulus Diaconus, et (ut praedixit) ejusdem in Episcopatu Throneusi Successor, sede pulsus septem annos exulavit, ultro aemper confessus, juste se haec pati, ob injurias sanctissimo Magistro illatas. Quem cum mulier impudicitiae arguisset, adjuratus per Deum triginta dierum ex ea natus infans, innocentiam Viri inusitata loquela declaravit. Id cum magicis arti-

bus tribueretur prunas ardentes in byrrhom solum posuit, et usque ad sepulchrum S. Martini portavit; ubi projectis in terram prunis, vestimentum illaesus apparuit. Ecclesiam quadraginta septem annis in magna rerum varietate gubernans, miraculis clarus obdormivit Idibus Novembris.

Te Deum laudamus.

In Laud. fit Commem. S. Martini Episc. Confess. et S. Briccii Episc. et Confess. V. Tu es Sacerdos, ex 3. Noct.

Die XIV. Novembris.

In Festo

S. ANDREAE AVELLINI,

Confessoris.

SEMIDUPLEX. *Omnia de Communi Confess. non Pontif. praeter sequentia.*

O R A T I O.

Deus, qui in corde beati Andreae Confessoris tui, per arduum quotidie in virtutibus proficiendi votum admirabiles ad te ascensiones disposuisti: concede nobis ipsius meritis, et intercessione, ita ejusdem gratiae participes fieri; ut perfectiora semper exequentes; ad gloriae tuae fastigium feliciter perducamur. Per Dominum nostrum etc.

Comm. Oct. S. Martini.

In I. Nocturno. *Lectiones de scriptura occurr.*

In II. Nocturno. Lectio IV.

Andreas Avellinus, dictus antea Laucellotus, apud Castrum Novum Lucaniae pagum natus, inter ipsa infantiae primordia futurae sanctitatis non obscura praebuit indicia. Adolescens ad literas addiscendas paterna e domo egressus lubricam il-

lius aetatis semitam inter bonarum artium studia ita peregit, ut sapientiae initium, quod est timor Domini, ob oculos potissimum habere numquam praetermiserit. Cum egregia proinde forma eximium castitatis studium conjunxit, quo impudicas saepe mulierum insidias elusit, interdum etiam apertam vim propulsavit. Clericali militiae jam pridem adscriptus, Neapolim se contulit, ut legalibus disciplinis vacaret; ibique jurisprudentiae lauream adeptus, atque interea ad sacerdotalem dignitatem electus, causarum patrocinia in foro duntaxat Ecclesiastico, quoque privatis quibusdam personis juxta sacrorum Canonum sanctiones agere coepit: verum cum aliquando inter causam agendam leve ei mendacium excidisset, mox vero fortuita sacrarum scripturarum lectione in illa verba incidisset: *Os, quod mentitur, occidit animam*, tanto ejus culpa dolore, ac poenitentia correptus est, ut statim ab ejusmodi vitae instituto sibi recedendum esse duxerit. Itaque abdicatis forensibus curis se totum divino cultui sacrisque ministeriis mancipavit: cumque Ecclesiasticae virtutis exemplis emereret, sanctimonialium regimini a tunc existente Archi-Episcopo Neapolitano praefectus fuit. Quo in munere cum pravorum hominum odia subiisset, primo quidem intentatae sibi necis periculum declinavit; mox vero per sicarium tribus in facie acceptis vulneribus, injuriae atrocitatem aequo animo pertulit. Tunc perfectioris vitae desiderio flagrans, ut inter Clericos Regulares adscriberetur, suppliciter postulavit, votique compos factus, ob ingentem, quo aestuabat, crucis amorem, ut sibi Andreae nomen imponeretur, precibus impetravit.

R. Honestum.

Lectio V.

Arctioris itaque vitae curriculum alacri studio ingressus, in eas maxime virtutis exercitationes

incubuit, ad quas sese arduis etiam emissis votis obstrinxit, altero scilicet suae ipsius voluntati jugiter obsistendi, altero vero iu via christianae perfectionis semper ulterius progrediendi. Regularis disciplinae cultor assiduus, et in ea promovenda, cum aliis praeesset, studiosissimus fuit. Quidquid ab instituti sui officii, et regulae praescripto supererat temporis, orationi et animarum saluti tribuebat. In confessionibus excipiendis mira ejus pietas, et prudentia enituit, vicos et oppida Neapoli finitima Evangelicis ministeriis magno cum animarum lucro frequens lustrabat. Quam ardentem erga proximos sancti viri charitatem siguis etiam Dominus illustravit. Cum enim intempesta nocte, ab audita aegri confessione domum rediret, ac pluviae ventorumque vis praelucentem facem extinxisset, non solum ipse cum sociis inter effusissimos imbres, nihil madefactus est, verum etiam inusitato splendore, e suo corpore mirabiliter, emicante, sociis inter densissimas tenebras iter monstravit. Abstinencia et patientia nec non abjectione atque odio sui summopere praestitit. Necem fratris filio illatam imperturbato animo tulit, ac suos ab omni ulciscendi cupiditate compescuit, imo etiam pro interfectoribus opem et misericordiam judicum imploravit.

R. Amavit.

Lectio VI.

Pluribus in locis Clericorum Regularium Ordinem propagavit, eorumque Domicilia Mediolani, et Placentiae instituit, illius operam S. Carolus Borromaeus, et Paulus de Aretio Clericus Regularis, Cardinales, quibus erat acceptissimus, in Pastoralis muneris curis adhibuerunt. Deiparam Virginem singulari amore et cultu prosequabatur. Angelorum colloquio perfrui meruit, quos, cum divi-

nas laudes persolveret, e regione concinentes se audiisse testatus est. Denique post heroica virtutum exempla, Prophetiae quoque dono illustris, quo et secreta cordium, et absentia, et futura prospexit, annis gravis et laboribus fractus, ad Aram celebraturus in verbis illis tertio repetitis: *Introibo ad Altare Dei*, repentino apoplexiae morbo correptus est, mox Sacramentis rite munitus, placidissime inter suos animam efflavit. Ejus corpus Neapoli in Ecclesia S. Pauli ad haec usque tempora eo frequentissimo populi concursu colitur, pro fuit elatum. Illum denique insignibus in vita et post mortem miraculis clarum Clemens undecimus Pontifex Maximus solemni ritu Sanctorum Catalogo adscripsit.

R. Iste homo.

In III. Nocturno. *Homilia in Evangel.: Sint lumbi. In laud. comm. oct. S. Martini. Y. Amavit ut I mis vesp. Vesperae de S. Gertrude comm. praec. et octavae. Y. Elegit eum, ex 2do Nocturno.*

Die XV. Novembris.

In Festo S. GERTRUDIS,
Virginis et Abbatissae. Ordinis S. Benedicti.

DUPLEX. *Omnia de Communi Virginum praeter sequentia.*

O R A T I O.

Deus, qui in corde beatæ Gertrudis Virginis, jucundam tibi mansionem praeparasti; ipsius meritis et intercessionem cordis nostri maculas clementer absterge, et ejusdem tribue gaudere consortio. Per Dominum nostrum.

In I. Noct. *Lectiones de scriptura occurrente.*

In II. Nocturno. Lectio IV.

Gertrudis Islebii in Saxonia nobili genere nata quinquennis in Monasterio Rodardensi, Ordinis sancti Benedicti, virginitatem suam, ac seipsam Jesu Christu obtulit. Quo ex tempore a mundanis rebus prorsus aliena, virtutique sedulo intenta, coelestis vitae genus instituit. Ad humaniorum literarum notitiam rerum divinarum cognitionem adjunxit. Quarum meditatione vehementius ad virtutem incensa brevi Christianam perfectionem adepti est. De Christo, ejusque vitae mysteriis saepenumero pio cum animi sensu loquebatur: unamque Dei gloriam cogitans, ad illam vota sua omnia et actiones referebat. Quamvis autem multis eximiiis naturae, et gratiae donis a Deo aucta esset, ita tamen sibi ipsa vilescebat, ut inter praecipua divinae bonitatis miracula hoc item memoraret, quod se indignissimam misericorditer sustineret.

R. Propter veritatem.

Lectio V.

Tricesimum aetatis annum agens, primum Rodardensis Monasterii, ubi religiosam vitam est professa, deinde Espediani Praeses electa, quadraginta annorum spatio ea charitate, prudentia, et regularis disciplinae studio munus obivit, ut Coenobium Religiosae perfectionis domicilium videretur. Utroque vero, licet esset omnium Mater et Magistra, omnium tamen minima haberi volebat, ac demissione pari ministram se exhibebat. Quo liberior Deo vacaret, vigiliis, abstinentia, aliisque cruciatibus corpus afflixit: semperque sui similis, morum innocentiam, mansuetudinem, ac patientiam praetulit singularem; proximorum saluti omni ope studuit, piaque curae copiosum fructum retulit. Divini amoris vi frequentes patiebatur extases: altis-

simaeque contemplationis, et divinae unionis donum obtinuit.

R. Dilexisti.

Lectio VI.

Ut meritum acceptissimae sibi sponsae Christus ostenderet, in corde Gertrudis jucundam sibi esse mansionem testatus est. Deiparam, Virginem veluti Matrem, et Curatricem a Jesu acceptam pietate praecipua prosequabatur; ab eaque multa accepit beneficia. Erga divinissimum Euchariae Sacramentum, et Passionem Domini tanto amore cum grati animi sensu afficiebatur, ut interdum uberius lacrimis perfunderetur. Justorum animas piacularibus flammis addictas quotidianis subsidiis, et precibus juvabat. Multa ad confovendam pietatem scripsit. Divinarum etiam revelationum, et Prophetiae dono claruit. Denique flagrantissimo Dei amore potius, quam morbo languescens, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo vita decessit. Miraculis vivens et post mortem a Deo illustrata est.

R. Afferentur.

In III. Nocturno.

Homilia S. Gregorii Papae in Evang. Simile erit regnum coelorum decem Virginibus, ut in communi Virginum.

Die XV. Novembris.

In Vesp. fit Commem. S. Othmari Abbatis.

O R A T I O.

Sancti Othmari Abbatis, Domine, tribue nos foveri supplicationibus; ut cujus venerabilem solemnitatem celebramus obsequiis, ejus intercessio-

nibus commendemur et meritis. Per Dominum nostrum etc.

Die XVI. Novembris.

**Sexta die infra Octava
S. MARTINI.**

S E M I D U P L E X.

In I. Noct. Lectiones de scriptura occurrente.

In II. Noct. Lectio IV.

Sermo S. Joannis Chrysostomi. In Capit. 15.

Epist. ad Rom. Serm. 29. circa finem.

Et homines quidem, qui populis praesunt, si quando de rebus fortuitis consultaturi sunt, diebus non contenti, noctes etiam vigilando adhibent; vos vero, qui pro ipso coelo certamen habemus, ipso quoque die dormimus? Quis, quaeso, ab eo nos supplicio eripiet, quod istis debetur? Si enim corpus trucidandum exponere, si innumeras mortes ferre oportebat, numquid ad hoc munus, tamquam ad nundinas currendum erat? Haec autem non solum pastores, sed et oves audiant; ut alacriores faciant pastores, aliud quidem nihil, verum omnem obedientiam animumque, cui persuaderi queat, exhibentes.

R. Oculis ac manibus.

Lectio V.

Ita Paulus praecepit, dicens: Obedite ducibus vestris, et subditi estote: nam ipsi vigilant pro animabus vestris, tamquam rationem daturi. Quando vero dicit: Nam ipsi vigilant; innumeros labores, curas, et pericula complectitur. Bonus enim pastor, et talis, qualem Christus vult, cum innume-

ris comparatur Martyribus. Propter Christum quippe Martyr semel quidem est mortuus, hic vero millies propter gregem; siquidem talis sit Pastor qualem esse oportet. Talis enim pastor singulis diebus mori potest. Propterea et vos, cognito isto labore, et precibus et diligentia, et animi alacritate, et dilectione nos juvate, ut et nos vestra, et nos vicissim nostra gloriatio sitis.

R. Beatus Martinus.

Lectio VI.

Nam ideo Christus istud Apostolorum Summati, et plus ipsum, quam reliqui diligenti commendans, et injungens, primum rogabat, an ab ipso diligeretur, ut discas, quod istud sit ante omnia reliqua dilectionis in Christum positum signum: strenuo siquidem animo hic opus est. Haec vero mihi de optimis pastoribus dicuntur, non de me ipso, et mei similibus: sed, si quis talis sit, qualis erat Paulus, qualis Petrus, qualis S. Martinus. Istos itaque imitemur, et superiores, et subditi: licet enim et subdito pro parte pastorem agere, nempe domus suae, amicorum, domesticorum uxoris, liberorum.

R. Dixerunt Discipuli.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. 11.

In illo tempore: dixit Jesus Discipulis suis: nemo lucernam accendit: et in abscondito ponit, neque sub modio: sed supra candelabrum, ut, qui ingrediuntur, lumen videant. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis. *Ex Tract. de praecept. et dispens. longe post med.*

Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Ut interior oculus vere simplex

sit, duo illi esse arbitror necessaria; charitatem in intentione, et in electione veritatem: nam si bonum quidem diligit, sed verum non eligit, habet quidem zelum Dei, sed non secundum scientiam. Nescio quemadmodum iudicio veritatis vera esse possit cum falsitate simplicitas. Volens denique ad veram discipulos instruere simplicitatem magistra veritas: Estote, inquit, prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae. Praemisit prudentiam, sine qua neminem satis esse posse simplicem sciret.

R. O beatum Virum.

Lectio VIII.

Quomodo denique vere simplex erit oculus cum ignorantia veritatis? aut vero vera potest dici simplicitas, quam simplex ignorat veritas? Scriptum est enim, ignorans ignorabitur. Caeterum, sicut oculum simplicem duo ista faciunt bona, amor boni, et cognitio veri; sic nequam oculum duo e regione mala constituunt; coecitas, qua sit, ut veritatem non agnoscat, perversitas, qua sit, ut diligit iniquitatem. Secundum hoc duplex malum et illud item geminum, quadrifariam dividamus oculum cordis, in bonum et meliorem, in malum, et pejorem.

R. Martinus Abrahae.

Pro sancto Othmaro.

Lectio IX.

Othmarus Alemannus Cellulae, in Eremo a sancto Gallo extructae, a Valdramo sylvae Domino praefectus, et Abbas constitutus, leprosis et aliis mirifice deservivit; nudum etiam ut tegeret, pallio se spoliavit, et septuaginta argenti libras sibi a Pipino Rege donatas, erogavit pauperibus. Cum vero Uvarinus, et Ruadhardus per Germaniam potentes sancti Galli possessiones in suum peculium

transtulissent, et beatum Othmarum, criminatore Lamberto, stupri accusassent, vir sanctissimus diu conticuit: tandem secreti sui inspectorem Deum invocat testem: et accusator quidem poenas dedit: ipse nihilominus abductus in Villam Potamum, noctu a fratrum suorum quodam alebatur: Gozbertus vero vir nobilis suae fidei traditum ad insulam Rheinstein transtulit, ubi in liberiori custodia Deo vacans migravit in coelum.

Te Deum laudamus.

In Laudibus fit Commem. S. Othmari Abbat.

Vers. Amavit, ex 1mis vesp.

Die XVIII. Novembris.

OCTAVA S. MARTINI,

Episcopi et Confessoris.

DUPLEX.

In I. Nocturno. Lectiones de scriptura occurr.

In II. Nocturno. Lectio IV.

Sermo S. Gregorii Papae. 2. par. pastoralis
Cap. 1.

Tantum debet actionem populi actio transcendere Praesulis, quantum distare solet a grege vita pastoris. Oportet namque, ut metiri se sollicite studeat, quanta tenendae rectitudinis necessitate constringitur, sub cujus aestimatione populus grex vocatur. Sit ergo necesse est, cogitatione mundus, actione praecipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, prae cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiae erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens; exteriorum

providentiam in internorum solitudine non relinquens.

R. Oculis ac manibus in coelum semper intentus * Invictum ab oratione spiritum non relaxabat. V. Dum Sacramenta offerret beatus Martinus globus igneus apparuit super caput ejus. Invictum etc.

Lectio V.

Considerandum quoque est, quia cum curam populi electus Praesul suscipit, quasi ad aegrum medicus accedit. Si ergo adhuc in ejus corpore passiones vivunt, qua praesumptione percusso mederi properat, qui in facie vulnus portat? Ille igitur modis omnibus debet ad exemplum bene vivendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens, jam spiritualiter vivit; qui prospera mundi postponit, qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat; cujus intentioni bene congruens nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valde per contumaciam repugnat spiritus: qui ad aliena cupienda non ducitur, sed propria largitur.

R. Beatus Martinus obitum suum longe ante praescivit, dixitque fratribus: * dissolutionem sui corporis imminere, quia judicabat se jam resolveri. V. Viribus corporis coepit repente destitui, vocatisque discipulis dixit: dissolutionem etc.

Lectio VI.

Unde ipsum quoque Episcopatus officium boni operis expressione diffinitur, cum dicitur: Si quis Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: ipse ergo sibi testis est, quia Episcopatum non appetit, qui non per hunc boni operis ministerium, sed honoris gloriam quaerit. Sacrum quippe officium non solum non diligit omnino, sed nescit, qui ad culmen regiminis anhelans, in occulta meditatione cogitationis caeterorum subjectione pascitur, laude

propria laetatur, ad honorem cor elevat, rerum affluentium abundantia exultat. Mundi ergo lucrum quaeritur sub ejus honoris specie, quo mundi destrui lucra debuerant.

R. Dixerunt Discipuli ad beatum Martinum cur nos Pater deseris, aut cui nos desolatos relinquis: *Invadent enim gregem tuum lupi rapaces. V. Scimus quidem desiderare te Christum, sed salva sunt tibi praemia tua nostri potius miserere quos deseris. Invadent. Gloria. Invadent.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. 11.

In illo tempore, dixit Jesus Discipulis suis: Nemo lucernam accendit, et in abscondito ponit, neque sub modio: sed supra candelabrum, ut, qui ingrediuntur, lumen videant. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi. *Matth. Homil. 21.*

Lucerna corporis tui est oculus tuus. Quod oculus corpori, hoc intellectus est animae; ut enim nequaquam optes auro ornari, et veste serica conspici, si sit oculis tibi carendum, sed horum proculdubio sanitatem desiderabiliorem tali rerum magnificentia et ornatu judicares: quae si tibi certe depereat, nihil te jam tota vita delectat; quanto magis pro oculis debes mentis efficere? Sicut enim postquam corporalium oculorum lumen extinctum est, omnia jam membra in miseria versantur, ac tenebris: ita etiam mente coecata, innumeris prorsus malis hominum vita cumulatur.

R. O beatum virum in cujus transitu Sanctorum canit numeros, Angelorum exultat exercitus, * omniumque coelestium virtutum occurrit psallentium chorus. V. Ecclesia virtute roboratur, Sa-

cerdotes Dei glorificantur, quem Michael assumpsit cum Angelis. Omnium etc.

Lectio VIII.

Quaenamodum igitur in corpore hoc maxime providemus, ut oculos habeamus incolumes; sic etiam in anima intellectus conservemus salutem; si vero coecamus istum, quo aliis quoque debemus lumen inferre, unde jam ipsi poterimus aspicere? Sicut enim qui caput ipsum fontis obstruxit, totum simul exsiccavit et fluvium: sic etiam, qui oculum mentis caligine obduxit, omnes quoque vitae istius actus tenebris involvit; propter quod ait: Si lumen, quod in te est, tenebrae sunt, ipsae tenebrae quantae erunt.

R. Martinus Abrahae sinu laetus excipitur, Martinus hic pauper et modicus: Coelum dives ingreditur, hymnis coelestibus honoratur. Y. Martinus Episcopus migravit a saeculo, vivit in Christo gemma Sacerdotum. Coelum etc. Gloria. Coelum.

Lectio IX.

Quando enim lucerna extinguitur, quando gubernator mergitur, quando dux ipse capitur, quae tandem subditis supererit spes salutis? Propterea nunc quidem omisit dicere eas, quae divitiis tenduntur, insidias, lites videlicet ac pugnas, sed ponens his omnibus sevimiora, et quae absque dubio semper accidunt, a maligna concupiscentia liberat audientes: etenim multo gravius est, mentem huic aegritudini mancipare, quam carcere coerceri. Dedit enim nobis intellectum Deus, ut ignorantiam fugemus e mentibus, ut rectum teneamus, justumque iudicium.

Te Deum laudamus.

Die XXVI. Novembris.

Dies propr. Dioecesis, in Rom. 24. hujus.

In Festo S. JOANNIS a CRUCE,
Confessoris.

DUPLEX. *Omnia de Communi Confess. non Pontif. praeter sequentia.*

In Hymn. Iste Confessor, mutatur tertius Versus.

O R A T I O.

Deus, qui Sanctum Joannem Confessorem tuum perfectae sui abnegationis, et Crucis amatorem exitium effecisti: concede, ut ejus imitationi jugiter inhaerentes, gloriam assequamur aeternam. Per Domium nostrum.

Dein fit Commemoratio S. Petri Alexandrini Episc. Mart. ut in Breviario Romano.

In I. Nocturno. Lectiones de scriptura occurr.

In II. Nocturno. Lectio IV.

Joannes a Cruce Fontiberi in Hispania piis parentibus natus, a primis annis certo innotuit, quam Deiparae Virgini futurus esset acceptus; nam quinquennis in puteum lapsus, ejusdem Deiparae manu sublatus, incolumis evasit: tanto autem patiendi desiderio flagravit, ut novennis, spreto molliori lecto, super sarmentis cubare consueverit. Adolescens hospitio pauperum aegrotantium Metymnae campi famulum sese addixit, quibus magno caritatis ardore, vilissima quaeque complectens officia, praesto aderat, cujus exemplo excitati caeteri, eadem charitatis munera ardentius obibant. Verum ad altiora vocatus, Beatae Mariae Virginis de Monte Carmelo institutum amplexus est, ubi, Sacerdos ex obedientia factus, severioris disciplinae,

et arctioris vitae cupidissimus, primitivam Ordinis Regulam ex Superioris licentia ita professus est; ut, ob jugem Dominicae Passionis memoriam, bello in se, tamquam iu infensissimum hostem iudicto, vigiliis, jejuniis, ferreis flagellis, omni poenarum genere, brevi carnem cum vitiis, et concupiscentiis suis crucifixerit; dignus plane, qui a sancta Theresia inter puriores, sanctioresque animas Ecclesiam Dei id temporis illustrantes recensetur.

R. Honestum

Lectio V.

Singulari vitae austeritate, et omnium virtutum praesidio munitus, prae assidua rerum divinarum contemplatione diuturnas et mirabiles extases frequenter patiebatur: tantoque in Deum aestuabat amore, ut, cum divinus ignis sese intro diutius continere non posset, foras erumpere, ejusque vultum irradiare visus sit. Proximorum salutem summopere intentus, tum in verbi Dei praedicatione, tum in Sacramentorum administratione fuit assiduus. Hinc tot meritis auctus, strictiorisque disciplinae promovendae ardore vehementer accensus, sanctae Theresiae comes divinitus datus est, ut, quam ipsa inter sorores primaevam Carmeli Ordinis observantiam instauraverat, eandem et inter fratres, Joanne adiutore, restitueret. Innumeros itaque una cum Dei famula in divino opere promovendo perpessus labores, Coenobia, quae ejusdem sanctae Virginis cura per totam Hispaniam erecta fuerant, nullis vitae incommodis, et periculis territus, singula perlustravit, in quibus aliisque quamplurimis ejus opera erectis, restauratam observantiam propagando verbo, et exemplo firmavit: ut merito primus post sanctam Theresiam Carmelitarum Excalceatorum Ordinis Professor, et Parens habeatur.

R. Amavit.

Lectio VI.

Virginitatem perpetuo coluit, impudentesque mulieres ejus pudicitiae insidiari conantes, non modo repulit, sed etiam Christo lucrifecit. In divinis explicandis arcanis aequae ac sancta Theresia Apostolicae Sedis judicio, divinitus instructus, libros de mystica Theologia coelesti sapientia refertos, conscripsit. Semel interrogatus a Christo, quid praemii pro tot laboribus posceret, respondit: Domine, pati, et contemni pro te. Imperio in daemones, quos e corporibus saepe fugabat, discretionem spirituum, prophetiae dono, miraculorum gloria celebratissimus, ea semper fuit humilitate, ut saepius a Domino flagitaverit eo loco mori, ubi omnibus esset ignotus. Voti compos factos, Ubedae diro morbo, et in crure quinque plagis sanie manantibus, ad implendum patiendi desiderium, constantissime toleratis, Ecclesiae Sacramentis pie, sancteque susceptis, in Christi crucifixi amplexu, quem semper in corde, atque ore habuerat, post illa verba: *In manus tuas commendo spiritum meum*, obdormivit in Domino, die et hora a se praedictis, anno salutis millesimo quingentesimo nonagesimo primo, aetatis quadragesimo nono. Migrantem ejus animam splendidissimus ignis globus excepit: corpus vero suavissimum odorem spiravit, quod etiamnum incorruptum Segobiae honorifice colitur. Eum plurimis autem et post obitum fulgentem signis Benedictus decimus tertius Pontifex Maximus in Sanctorum numerum retulit.

R. Iste homo.

In III. Nocturno. *Homilia S. Gregorii Papae in Evangel.* Sint lumbi. *de communi Confess.* non Pont. 9. Lect. et comm. S. Petri Alexandrini Episcopi Martyris.

FESTA DECEMBRIS.

Die I. Decembris.

Infra Octavam S. ANDREAE. SEMIDUPLEX.

In I. Nocturno. *Lectiones de scriptura occurr.*

In II. Nocturno. *Lectio IV.*

Sermo S. Petri Chrysologi. 133.

Beatus Andreas merito natus hodie creditur, quando non ad praesentem vitam materno est effusus ex utero, sed conceptu fidei, Martyrii partu, coelestem noscitur generatus ad gloriam, quando non eum materna cunabula suscepere vagientem, sed superna triumphantem secreta receperunt; quando non infirmum lactis pastum genitricis traxit ex pectore, sed pro Rege suo devotissimus miles virtutis sanguinem fudit. Vivit, quia mortem coelestis militiae bellator occidit.

R. Homo Dei.

Lectio V.

Sequitur hic moriendo Dominum aestuans, et anhelans: ac toto virtutis gradu domiicis incumbit haerere vestigiis, ne eum cursus faciat disparem fratri, quem natura similem, vocatio socium, parem gratia ipsa perfecerat. Ad unam vocem Domini, sicut ille patrem, patriam, censum reliquit, laboribus, opprobriis, itineribus, contumeliis, vigiliis, Christi indefesse germani societate donavit: Solum est, quod tempore Dominicae Passionis fugit: sed neque hoc impar, quia fugit: negare autem si aliqua putatur culpa, non est gravius fugere, quam

negare: sed tacenda sunt alia; aequavit fratres venia, quos sic discreverat culpa.

R. O bona crux.

Lectio VI.

Crucem, quam refugerant, postea conjunctis viribus ardentem invadunt, ut, unde reatum sumpserant, inde conscenderent coelum, inde praemium sumerent, et coronam, Petrus namque crucem, arborem conscendit Andreas: ut, qui Christo compati gestiebant, in semetipsis figuram formamque ipsius exprimerent passionis, et redempti ligno, consummarentur ad palmam. Sic Andreas noster, etsi cedit ordini, praemio tamen non cedit, et labori.

R. Expandi manus.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 4.

In illo tempore: ambulans Jesus juxta mare Galilaeae, vidit duos fratres, Simonem, qui vocabatur Petrus, et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare. Et reliqua.

De Homilia S. Gregorii Papae.

Multum dimisit, qui cum re possessa etiam concupiscentiis renunciavit. A sequentibus ergo tanta dimissa sunt, quanta a non sequentibus concupisci potuerunt. Nemo igitur etiam cum quosdam conspicit multa reliquisse, apud semetipsum dicat: Imitari mundi hujus contemptores volo, sed quod relinquam, non habeo. Multum, fratres, relinquitis, si desideriiis terrenis renuntiatis.

R. Oravit Sanctus.

Lectio VIII.

Exteriora etenim nostra Domino quamlibet parva sufficiunt: cor namque et non substantiam pensat:

nec perpendit, quantum in ejus sacrificio, sed ex quanto proferatur. Nam si exteriorem substantiam perpendamus, ecce sancti negotiatores nostri perpetuam Angelorum vitam, datis retibus, et uavi, mercati sunt. Aestimationem quippe pretii non habet: sed tamen regnum Dei tantum valet, quantum habes.

R. Videns Crucem.

Lectio IX.

Valuit namque Zachaeo dimidium substantiae; quia dimidium aliud ad hoc, quod injuste abstulit, restituendum in quadruplum reservavit. Valuit Petro et Andreae dimissis retibus, et uavi. Valuit viduae duobus minutis. Valuit alteri calicem aquae frigidae. Regnum itaque Dei, ut diximus, tantum valet, quantum habes.

Te Deum laudamus.

Die IV. Decembris.

In Festo S. BARBARAE,

Virginis et Martyris.

DUPLEX MAJUS. *Omnia de Communi Virgin. Mart.*

O R A T I O.

Porrige, misericors Deus, clementiam tuam nobis devote supplicantibus, ut, qui Beatae Barbarae Virginis et Martyris tuae commemoratione gratulamur, virtute illius ad promerendam delictorum veniam gubernemur. Per Dominum nostram etc.

In I. Nocturno. *Lectioes Confitebor, de Comm. Virg. Mart.*

In II. Nocturno. Lectio IV.

Barbara Virgo Nicomediensis Dioscori nobilis, sed superstitiosi hominis filia, per ea, quae visibilia facta sunt, ad invisibilia diviua opitulante gratia, facile pervenit. Quapropter soli Deo, rebusque divinis vacare coepit. Eam pater, utpote forma venustiori nitentem, a quocumque virorum occursum tutari cupiens turri inclusit; ubi pia virgo, meditationibus, et precibus addicta soli Deo, quem sibi in Sponsum elegerat, placere studebat. Oblata a patre pluries nobilium connubia fortiter sprexit: Pater vero per sui absentiam filiae animum posse facilius emolliri confidens, jussit primo balneum extrui, ne quid ei deesset ad commoditatem, deinde peregre in exteras regiones profectus est.

R. Propter veritatem.

Lectio V.

Absente Patre jussit Barbara duabus fenestris quae in turri erant, tertiam addi in honorem Divinae Trinitatis, labiumque balnei sacrosanctae Crucis signo muniri; quod ubi rediens Dioscorus inspexit, audita novitatis causa adeo in filiam excanduit, ut stricto ense eam appetens, parum absuerit, quin eam dire confoderet: sed praesto adsuit Deus; nam fugienti Barbarae saxum ingens se patefaciens viam aperuit, per quam montis fastigium petere, et in specu latere potuit. Sed paulo post, cum a nequissimo genitore reperta fuisset, ejus latera pedibus, dorsumque pugnis immaniter percussit, et crinibus per loca aspera, difficilesque vias raptam Marciano praesidi puniendam tradidit.

R. Dilexisti.

Lectio VI.

Itaque ab ipso omnibus modis, sed incassum tentata, nudam nervis caedi, et inflicta vulnera te-

stulis confricari, deinde in carcerem trahi praecepit, ubi immensa luce circumdatas ei Christus apparens, mirifice confortatam in passionum tolerantia confirmavit; quod animadvertens Juliana Matrona ad fidem conversa ejusdem palmae particeps effecta est. Barbarae demum ferreis unguibus membra laniantur, facibus latera incenduntur, et maleolis caput contunditur, quibus in cruciatibus consortem solabatur, et hortabatur, ut ad finem usque constanter certaret; praecisis tandem utrique uberibus nudae per loca publica tractae capite plectuntur, filiaeque cervicem ipse scelestissimus pater, humanitatis expers, propriis manibus amputavit. Cujus fera crudelitas non diu inulta remansit, nam statim eo ipso in loco fulmine percussus interiit. Pars ossium, et velum hujus beatissimae Martyris in sacrosancta Basilica Lateranensi, caput vero in Oratorio ad Sancta Sanctorum honorifice asservatur.

R. Afferentur.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 25.

In illo tempore: dixit Jesus Discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum coelorum decem Virginitibus, quae accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsae. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi. *Homil. 79. in Matth. circa medium.*

Post ingentes labores, post incredibiles sudores, et acerrimas pugnas, post trophaea, quae de naturae rabie statuerunt, resurgunt cum dedecore et lampadibus earum extinctis, terram aspicientes recedunt. Nihil sane tenebrosius est, quam virginitas oleo carens: unde sic vulgo multi immiseri-

cordes tenebrosos solent appellare. Quid igitur ex virginitate lucratae sunt, quae nec sponsum quidem viderunt, nec saltem ad pulsandum usque pervenerunt, sed terribile illud verbum audivere: Abite, nescio vos.

R. Haec est Virgo.

Lectio VIII.

Quod cum ipse dixerit, nihil aliud, quam gehenna, et intolerabilis cruciatus relinquitur: imo vero etiam gehenna istud verbum gravius est. Hoc verbum operantibus etiam iniquitatem dixit. Vigilate, quia nescitis diem, neque horam: crebro id repetit, ut ignorantiam exitus ab hac vita utilem esse ostendat. Ubi sunt ergo, qui per totam vitam desidia torpescunt, et quando a nobis admonentur, respondere non dubitant, omnia se pauperibus moriendi tempore relicturos.

V. Media nocte.

Lectio IX.

Audiant haec verba, et emendent se: multi enim abeundi tempus expectantes, ita repente rapti sunt, ut nec injungere suis quidquam potuerint. Sed haec quidem parabola ejus eleemosynae gratia, quae cum pecunia conficitur, dicta est. Cur autem haec parabola sponsum adducit? Ut videas, quantum virginibus Christus afficitur iis, quae sua pauperibus erogant: haec enim et vera virginitas est. Nam et Paulus huic rei hanc descriptionem attribuit, dicens: Innupta sollicita est de iis, quae Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu.

Te Deum laudamus.

Die V. Decembris.

In Festo

S. PETRI CHRYSOLOGI,

Episcopi et Confessoris.

DUPLEX. *Omnia de Communi Confessor. Pontif. praeter ea, quae hic habentur. Et in Hymn. dicitur meruit suprem.*

Ad Magnificat.

In utrisque Vesperis.

O Doctor optime, Ecclesiae sanctae lumen, beate Petre Chrysologe, divinae legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei.

O R A T I O.

Deus, qui beatum Petrum Chrysologum, Doctorem egregium, divinitus praemonstratum ad regendam, et instruendam Ecclesiam tuam eligi voluisti: praesta quaesumus; ut quem Doctorem vitae habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in Coelis. Per Dominum nostrum.

In I. Nocturno. *Lectiones de Comm. Conf. Pontif. 1. loco. Fidelis Sermo.*

In II. Noct. Lectio IV.

Petrus, qui ob auream ejus eloquentiam Chrysologi cognomen adeptus est, Foro Cornelii in Aemilia honestis parentibus natus, a prima aetate animum ad religionem adjiciens, Cornelio Romano tunc ejusdem urbis Corneliensis Episcopo operam dedit: a quo etiam, scientia, et vitae sanctitate, cum brevi profecisset, Diaconus creatus est. Postmodum contigit, ut Ravennates ob mortem Archipraesulis sui alium (ut moris erat), ab eis electum

Romam ad Sanctum Sixtum Papam tertium pro confirmatione miserint una cum Legatis suis, et cum praedicto Cornelio, qui eundem Levitam secum perduxit. Interim Sauctus Petrus Apostolus et Martyr Apollinaris Summo Pontifici in somnis apparuerunt, mediumque habentes hunc juvenem, jusserunt, ut illum, et non alium, in Archiepiscopum Ravennae crearet. Hinc Pontifex, mox ut vidit Petrum, cognovit eum a Domino Deo praelectum: propterea rejecto illo, quem ipsi offerebant, hunc solum, anno Christi quadringentesimo trigesimo tertio, illi Metropolitanae praefecit Ecclesiae. Quod cum Legati Ravennatenses aegre ferrent, audita visione, divinae voluntati libenter acquiescentes, novum Archi-Episcopum maxima cum reverentia susceperunt.

R. Inveni.

Lectio V.

Petrus igitur, licet invitus in Archipraesulem consecratus Ravennam deducitur: ubi a Valentiniano Imperatore, et Galla Placidia ejus matre, ac ab universo populo maxima laetitia exceptus est. Et ille ab eis id unum petere dixit, ut quando tantum oneris pro ipsorum salute subire non recusavit, studerent ipsi monitis suis obtemperare, divinisque praeceptis non obsistere. Duorum Sanctorum tunc ibi defunctorum corpora, optimis unguentis condita sepelivit, Barbatiani videlicet Presbyteri, et Germani Antisiodorensis Episcopi; cujus etiam cucullam, et cilicium sibi vendicavit in haereditatem. Projectum, et Marcellinum in Episcopos ordinavit, in Classe solum extruxit magnitudinis vere admirabilis, et templa quaedam magnifica aedificavit tum beato Andreae Apostolo, tum aliis Sanctis. Ludos ab hominibus personatis cum variis saltationibus Kalendis Januarii fieri solitos

concione cohibuit acerrima, ubi inter alia illud praeclare dixit: Qui joculari voluerit cum diabolo, non poterit gaudere cum Christo. Jussu sancti Leonis Papae primi scripsit postea ad Chalcedonense Concilium adversus Haeresim Eutychetis. Respondit praeterea ad Eutychen ipsum, et alia epistola, quae eidem Concilio in novis editionibus praefixa, et in Annales Ecclesiasticos relata fuit.

R. Posui.

Lectio VI.

Dum publice sermones haberet ad populum, adeo vehemens erat in docendo, ut prae nimio ardore vox illi interdum defecerit: Sicut contigit in concione mulieris Haemorrhoeissae. Unde Revenantes commoti, tot lacrymis, clamoribus, et orationibus locum repleverunt, ut postea ipse gratias ageret Deo, quod in lucrum amoris verterit damnum ejusdem sermonis. Cum tandem annos circiter decem, et octo eam Ecclesiam sanctissime rexisset, laborum suorum finem adesse divinitus praenoscens, in Patriam se contulit. Ubi sancti Cassiani templum ingressus, magnum diadema aureum, gemmis distinctum pretiosissimis offerens, super Altare majus posuit, nec non aureum craterem, et patenam argenteam, quam tum rabidi canis morsus, tum febres sanare saepius expertum est, aqua inde demissa. Ex tunc Ravennates, qui eundem secuti fuerant, dimisit, admonens, ut in eligendo optimo Pastore, invigilarent attente. Mox Deum humiliter precatus, et sanctum Cassianum Patronum, ut benigne animam ejus exciperet, tertio nonas Decembris placide ex hac vita migravit, anno Domini circiter quadringentesimo quinquagesimo. Sacrum illius corpus communi totius civitatis fletu, ac pietate, prope corpus ejusdem sancti Cassiani honorifice conditum vobris etiam temporibus religiose

colitur: cujus tamen brachium, auro, et gemmis ornatum Ravennam deletum in Ursina Aede veneratur.

R. Iste est.

In III. Nocturno. *Homil. in Evangel.* Vos estis sal terrae. *De comm. Doct.*

R. 8. In medio.

Die VII. Decembris.

Octava S. ANDREAE,

Apostoli.

DUPLEX. *Omnia ut in Festo, exceptis, quae sequuntur.*

In I. Nocturno. *Lectiones de scriptura occurrente.*

In II. Nocturno. *Lectio IV.*

Sermo S. Bernardi Abbatis. *In Vigil. S. Andreae in medio.*

Quanta exultatione universae terrae celebrandum tantae novitatis miraculum, tam magnificum opus divinae virtutis? Andreas homo erat similis nobis passibilis et tam vehementi ardore spiritus crucem sitiebat, tam inaudito a saeculis gaudio tripudiabat, cum paratum sibi eminens patibulum conspexisset. O crux, inquit, diu desiderata, et jam concupiscenti animo praeparata, securus, et gaudens venio ad te, ita ut et tu exultans suscipias me. Videtis, quia non se capit prae magnitudine gaudii, ita, inquit, ut et tu exultans suscipias me.

R. Homo Dei.

Lectio V.

Ergone tanta est exultatio, ut exaltet et ipsa crux, nec laeti quidquam habeat, sed totum laeti-

tiae sit? Aut quis dicat minus, contra consuetudinem, supra rationem, ultra naturam, crucifixum exultare, quam crucem? illi sensum laetitiae natura negavit; huic, si quid praevalet, gaudium omne exterminat, ingeritque dolorem. Fratres, ignis vibrans est, non lingua loquens, et si lingua, certe ignea est. Carbones sunt ignis illius, quem de excelso Christus miserat in ossibus ejus. Atque utinam desolatorii nobis sint, consumentes, et exurentes, quidquid in nobis est carnalis affectionis.

R. O bona crux.

Lectio VI.

Plane, beate Andrea, granum sinapis est fides tua, quae tam insperatum, ubi teri coepit, coepit ex se proferre fervorem: quid si paulo amplius tereretur? Quis fervorem illum animus, quis verba illa sustinere posset auditus? Terendum eum putat Aegeas, crucis supplicium minitans; sed non est ita. Accenditur magis in verbo hoc, et libere clamat: Ego si patibulum crucis expavescerem, crucis gloriam non praedicarem. Merito proinde crucis amatorem venerantur, quicumque sunt servi crucis: sed ab his ampliorem jure devotionem exigit, qui specialius proposuerunt tollere crucem suam.

R. Expandi mauns.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 4.

In illo tempore: ambulans Jesus juxta mare Galilaeae, vidit duos fratres, Simonem, qui vocabatur Petrus, et Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedae Presbyteri. Circa med.

Congrue de piscatoribus piscium, piscatores hominum facere voluit; quia sicut officium est piscatores navem ascendere, retia manibus tenere, et de profundis gurgitibus pisces ad littos trahere: sic isti in gremio Ecclesiae recepti, navem fidei ascendentes retia praedicationes in verbo et opere habentes, de amarissimis, et tenebrosis mundi gurgitibus, multos homines ad veram lucem traxerunt. Vide beatum Andream in Achaia retia in manibus tenentem, et multos pisces spiritualiter capientem. Non solum enim tota civitas, sed etiam tota regio credidisse legitur, sicut ipse ait: Christus me misit ad istam provinciam; ubi non parvum populum acquisivi.

R. Oravit sauctus Andreas.

Lectio VIII.

Sed libet intueri, quod non frustra Dominus in prima sua vocatione quatuor Discipulos elegit: quaternarius enim numerus perfectus est, et in suis partibus divisus, perfectionem significat: vel propter quatuor principales virtutes, nempe prudentiam, temperantiam, fortitudinem, et justitiam. Has virtutes non solum in numero, sed etiam in nominibus isti Discipuli significant. Petrus enim, qui a quibusdam agnoscens interpretatur, prudentiam significat. Andreas, qui virilis interpretatur: fortitudinem significat: quam virtutem non solum in nomine, sed etiam in opere habuit: quia in fide recta usque ad passionem viriliter perseveravit, in tantum, ut etiam, cum duceretur ad crucifigendum, videns crucem cum gaudio diceret: Salve crux pretiosa.

R. Videns crucem.

Lectio IX.

Per Jacobum, qui interpretatur Supplantator, justitia designatur, quae iniquitatem supplantare,

et aequitatem novit diligere; et Joannes, qui interpretatur gratia Dei, vel in quo est gratia, temperantiam designat, quae alio nomine discretio vocatur, et est mater omnium virtutum. Cum ergo Dominus in prima sua vocatione quatuor Discipulos suos elegit, in ipso numero nobis innotuit; quia si ejus Discipuli esse volumus, has quatuor virtutes habere debemus.

Te Deum laudamus

Die X. Decembris.

In Festo Translationis

ALMAE DOMUS LAURETANAE B. V. MARIAE.

DUPLEX MAJUS.

Ad Vesperas.

Antiph. Domum tuam, cum reliquis de laudibus, *infra.* *Psalm.* Dixit Dominus, cum reliquis in *Officio parvo Beatae Mariae Virginis.*

Capitulum Eccl. 24. cap.

In omni- bus requiem quaesivi, et in haereditate Domini morabor. Tunc praecepit, et dixit mihi creator omnium, et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.

Hymnus.

Ave Maris stella, ut in Officio parvo B. Mariae Virginis.

V. Haec est Domus Domini firmiter aedificata.
R. Bene fundata est supra firmam petram.

Ad Magnificat.

Antiphona. Sanctificavit Dominus tabernaculum suum: quia haec est Domus Dei, in qua invo-

cabitor nomen ejus, de quo scriptum est: Et erit nomen meum ibi, dicit Dominus.

O R A T I O.

Deus, qui Beatae Mariae Virginis domum per incarnati Verbi mysterium misericorditer consecrasti, eamque in sinu Ecclesiae tuae mirabiliter collocasti: concede, ut segregati a tabernaculis peccatorum digni efficiamur habitatores domus sanctae tuae. Per eundem etc.

Fit Commemoratio Fer, et S. Melchiadis Episc. et Martyris tantum, nihil de oct. Concept.

Ad Matutinum.

Invitat. Salvatorem mundi in domo Virginis de Spiritu sancto conceptum. * Venite adoremus. *Psalm.* Venite, exultemus.

Hymnus.

Coelestis urbs Jerusalem,
Beata pncis visio,
Quae celsa de viventibus
Saxis ad astra tolleris,
Sponsaeque ritu cingeris
Mille Angelorum millibus.

O sorte nupta prospera,
Dotata Patris gloria,
Respersa Sponsi gratia,
Regina formosissima,
Christo jugata Principi,
Coeli corusca civitas.

Hic margaritis emicant,
Patentque cunctis ostia:
Virtute namque praevia
Mortalis illuc ducitur.
Amore Christi percitus,
Tormenta quisquis sustinet.

Scalpri salubris icibus,
 Et tunsione plurima,
 Fabri polita malleo
 Hanc saxa molem construunt,
 Aptisque juncta nexibus,
 Locantur in fastigio.

Decus Parenti debitum,
 Sit usquequaque altissimo,
 Natoque Patris unico,
 Et inclyto Paraclyto,
 Cui laus, potestas gloria
 Aeterna sit per saecula. Amen.

In I. Nocturno.

Antiph. Elevata est magnificentia tua super coelos.

Psalm. Domine Dominus noster, cum reliquis, prout in Officio parvo B. M. V.

Antiph. In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.

Antiph. Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus? inuocens manibus, et mundo corde.

V. Domum tuam Domine decet sauctitudo.

R. In longitudinem dierum.

De Libro 3tio Reg. Lectio I. Cap. 8.

Stetit autem Salomon ante altare Domini in conspectu Ecclesiae Israel, et expandit manus suas in coelum, et ait: Ergone putandum est, quod vere Deus habitet super terram? Si enim coelum, et coeli coelorum te capere non possunt, quanto magis domus haec, quam aedificavi? Sed respice ad orationem servi tui, et ad preces ejus, Domine Deus meus: audi hymnum, et orationem, quam servus tuus orat coram te hodie: ut sint oculi tui aperti super domum hanc nocte ac die: super domum, de qua dixisti: Erit nomen meum ibi: ut

exaudias deprecationem servi tui, et populi tui Israel, quodcumque oraverint in loco isto, et exaudies in loco habitaculi tui in coelo, et cum exaudieris, propitius eris.

R. Vidi speciosam sicut columbam, ascendentem desuper rivos aquarum: cujus inaestimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus. *Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. V. Quae est ista, quae ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhae et thuris? Et sicut.

Lectio II.

Si fugerit populus tuus Israel inimicos suos (quia peccaturus est tibi) et agentes poenitentiam, et confitentes nomini tuo, venerint, et oraverint, et deprecati te fuerint in domo hac: exaudi in coelo, et dimitte peccatum populi tui Israel, et reduces eos in terram, quam dedisti patribus eorum. Si clausum fuerit coelum, et non pluerit propter peccata eorum, et orantes in loco isto, poenitentiam egerint nomini tuo, et a peccatis suis conversi fuerint propter afflictionem suam: exaudi eos in coelo, et dimitte peccata servorum tuorum, et populi tui Israel: et ostende eis viam bonam, per quam ambulent, et da pluviam super terram tuam, quam dedisti populo tuo in possessionem.

R. Quae est ista, quae ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol. *Terribilis ut castrorum acies ordinata? V. Filia Sion tota formosa, et suavis es, pulchra ut luna, electa ut sol. Terribilis.

Lectio III.

Si quis cognoveris plagam cordis tui, et expandarit manus suas in domo hac, tu exaudies in coelo in loco habitationis tuae, et repropitiaberis,

et facies, ut des unicuique secundum omnes vias suas, sicut videris cor ejus (quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum) ut timeant te cunctis diebus, quibus vivunt super faciem terrae, quam dedisti patribus nostris. Insuper et alienigena, qui non est de populo tuo Israel, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum (audietur enim nomen tuum magnum, et manus tua fortis, et brachium tuum extensum ubique) cum venerit ergo, et oraverit in hoc loco, tu exaudies in coelo, in firmamento habitaculi tui, et facies omnia, pro quibus invocaverit te alienigena: ut discant universi populi terrarum nomen tuum timere, sicut populus tuus Israel, et probent quia nomen tuum invocatum est super domum hanc.

R. Quae est ista, quae processit sicut sol, et formosa tamquam Jerusalem? * Viderunt eam filiae Sion et beatam dixerunt, et Reginae laudaverunt eam. V. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Viderunt. Gloria Patri. Viderunt.

In II. Nocturno.

Antiph. Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in aeternum, et in saeculum saeculi.

Antiph. Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Antiph. Homo natus est in ea et ipse fundavit eam Altissimus.

V. Domine dilexi decorem domus tuae.

R. Et locum habitationis gloriae tuae.

Sermo S. Bernardi Abbatis. *Sermone 52. de divers.*

Lectio IV.

Sapientia, quae Dei erat, et Deus erat, de sinu Patris ad nos veniens aedificavit sibi domum,

ipsam scilicet Matrem suam Virginem Mariam, in qua septem columnas excidit. Quid est in ea septem columnas excidere, nisi ipsam dignum sibi habitaculum fide et operibus praeparare? nimirum ternarius numerus ad fidem propter sanctam Trinitatem, quaternarius pertinet ad mores propter quatuor principales virtutes. Quod autem in beata Maria saucta Trinitas fuerit, fuerit dico per praesentiam majestatis, ubi solus filius erat per susceptionem humanitatis, testatur nuntius coelestis, qui ei arcana mysteria reserans, ait: Ave gratia plena, Dominus tecum; et post pauca: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ecce habes Dominum, habes virtutem Altissimi, habes Spiritum sanctum, habes Patrem, Filium et Spiritum sanctum.

R. O quam metuendus est locus iste: * Vere non est hic aliud nisi domus Dei, et porta coeli. V. Haec est domus Domini firmiter aedificata bene fundata est super firmam petram. Vere uon.

Lectio V.

Utrum autem, et quatuor principales virtutes, tamquam quatuor columnas possederit, inquisitione dignum videtur. Primum ergo videamus, an fortitudinem habuerit, quae nimirum virtus quomodo illi abesse potuit, quae abjectis saecularibus pompis, spretisque voluptatibus carnis, soli Deo in virginitate vivere proposuit? Ni fallor haec Virgo est, quae apud Salomouem legitur, mulierem fortem quis inveniet? procul et de ultimis finibus pretium ejus. Porro quod temperaus, et justa fuerit, ex Angeli colloctione, et sui ipsius responsione, luce clarius comprobamus. Salutata quippe tam venerabiliter ab Angelo: Ave gratia plena, Dominus tecum, non se extulit, quasi quae ex singulari gratiae privilegio benediceretur, sed siluit, et qualis

esset insolita haec salutatio secum cogitavit. Qua in re, quid, nisi temperans fuit? at vero, cum de coelestibus mysteriis ab eodem Angelo doceretur, diligenter quaesivit, quomodo conciperet, et pareret, quae virum utique non cognosceret: et in hoc sine dubio prudens extitit.

R. Fundata est domus Domini supra verticem montium, et exaltata est super omnes colles. * Et venient ad eam omnes gentes, et dicent: Gloria tibi Domine. V. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Et venient.

Lectio VI.

Justitiae autem prae sefert insigne, ubi se ancillam Domini confitetur, nam quod justorum sit confessio, testatur qui ait: Verumtamen justi confitebuntur nomini tuo. Fuit igitur beata Virgo Maria fortis in proposito, temperans in silentio, prudens in interrogatione, justa in confessione. His itaque quatuor morum columbis, et tribus fidei praedictis extruxit in ea sibi domum sapientia coelestis, quae adeo mentem ejus replevit, ut de plenitudine mentis foecundaretur et caro. Ipsius autem Virginis natalis domus divinis mysteriis consecrata, Angelorum ministerio ab infidelium potestate in Dalmatiam prius, deinde in Agrum Laurentanum Picenae Provinciae translata fuit, sedente sancto Coelestino Quinto; eandemque, ipsam esse, in qua Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, tum Pontificiis diplomatibus, et celeberrima totius orbis veneratione, tum continua miraculorum virtute, et coelestium beneficiorum gratia comprobatur. Quibus permotus Innocentius Duodecimus, quo ferventius erga Matris amantissimae cultum fidelium memoria excitaretur, ejusdem sanctae domus translationem anniversaria solemnitate in tota Piceni Provincia

veneratam, Missa etiam et Officio proprio celebrare praecepit.

R. Domus mea domus orationis vocabitur, dicit Dominus: in ea omnis qui petit, accipit: et qui quaerit, invenit: * Et pulsanti aperietur. Y. Petite, et accipietis: quaerite, et invenietis. Et pulsanti. Gloria Patri. Et pulsanti.

In III. Nocturno.

Antiph. Tollite hostias, et introite in atria ejus, adorete Dominum in aula sancta ejus.

Antiph. Viderunt omnes populi gloriam ejus.

Antiph. Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit Dominus, Alleluja.

Y. Domum tuam Domine decet sanctitudo.

R. In longitudinem dierum.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. 1. 26.

In illo tempore: missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Gallilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis. *Ex Homil. 1. super missus est.*

Quae est haec Virgo tam venerabilis, ut salutetur ab Angelo; tam humilis, ut desponsata sit Fabro? Pulchra permixtio virginitatis, et humilitatis, nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua et humilitas commendat virginitatem, et virginitas exornat humilitatem? sed quanta putas veneratione digna est, in qua humilitatem exaltat foecunditas et partus consecrat virginitatem? Audis virginem, audis humilem: laudabilis virtus, virginitas, sed magis necessaria humilitas: illa consulitur, ista praecipitur.

R. Diffusa est gratia in labiis tuis: * Propterea benedixit te Deus in aeternum. **V.** Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis, ex quibus te delectaverunt filiae Regum in honore tuo. Propterea.

Benedictio. Cujus Festum colimus, ipsa Virgo Virginum.

Lectio VIII.

Ex Homil. 2. super. eod. loco.

Missus est, inquit, Angelus ad Virginem, virginem carne, virginem mente, virginem professione, virginem denique qualem describit Apostolus, mente et corpore sanctam, nec noviter, nec fortuito inventam, sed a saeculo electam ab Altissimo praecogitam, et sibi praeparatam, a Patribus praefiguratam, a Prophetis promissam, ut pauca loquar de pluribus, quam sibi non aliam praedixisse Deus videtur, quando ad serpentem ait: Inimicitias ponam inter te, et mulierem. Et si adhuc dubitas, an de Maria dixerit, audi quod sequitur: ipsa conteret caput tuum, cui haec servata victoria est, nisi Mariae?

R. Beata es Virgo Maria, Dei Genitrix, quae credidisti Domino, perfecta sunt in te, quae dicta sunt tibi: ecce exaltata es super choros Angelorum: * Intercede pro nobis ad Domium Deum nostrum. **V.** Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum. Intercede. Gloria Patri. Intercede.

Lectio IX.

Ex Homil. 3. super. eod. loco.

Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum. Quo ingressus ad eam? Puto in Sacrarium pudici cubiculi, ubi illa fortassis clauso super se ostio orabat Patrem in abscondito.

Solent Angeli adstare orantibus, et delectari in his, quos vident levare puras manus in oratione. Holocaustum sanctae devotionis gaudent se offerre Deo in odorem suavitatis. Mariae autem orationes quantum placuerint in conspectu Altissimi, Angelus indicavit, qui ingressus ad eam tam reverenter salutavit.

Te Deum laudamus.

Ad Landes et per Horas.

Antiph. Domum tuam, Domine, decet sanctitudo in longitudinem dierum.

Psalm. Dominus regnavit, cum reliquis de Dominica.

Antiph. Domus mea domus orationis vocabitur: in ea omnis qui petit, accipit; et qui quaerit invenit, et pulsanti aperietur.

Antiph. Propter domum Domini Dei nostri, quaesivi bona tibi.

Antiph. Domine Deus exaltasti super terram habitationem meam.

Antiph. Domum majestatis meae, et locum pedum meorum glorificabo.

Capitulum. Eccl. 24. cap.

In omnibus requiem quaesivi, et in haereditate Domini morabor. Tunc praecepit, et dixit mihi Creator omnium: et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.

Hymnus.

Alto ex Olympi vertice,
Summi Parentis Filius,
Ceu monte defectus lapis,
Terras in inas decidens,
Domus supernae et infernae,
Utramque junxit angulum.

Sed illa sedes coelitum
Semper resultat laudibus,
Deumque Trinum et unicum,
Jugi canore praedicat,
Illi canentes jungimur,
Almae Sionis aemuli.

Haec templa, Rex coelestium,
Imple benigno lumine:
Iluc o rogatus adveni,
Plebisque vota suscipe,
Et nostra corda jugiter,
Perfunde coeli gratia.

Hic impetrent fidelium,
Voces precesque supplicium,
Domus beatæ munera,
Partisque donis gaudeant:
Donec soluti corpore,
Sedes beatas impleant.

Decus Parenti debitum,
Sit usquequaque Altissimo,
Natoque Patris unico,
Et inclyto Paraclyto
Cui laus, potestas, gloria,
Aeterna sit per saecula. Amen.

V. Introibimus in tabernaculum ejus.

R. Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.

Ad Benedictus.

Antiph. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, et habitabit cum eis, et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus.

O R A T I O.

Deus, qui Beatæ Mariæ Virginis domum per incarnati Verbi mysterium misericorditer consecrast, eamque in sinu Ecclesiae tuæ mirabiliter collocasti: concede; ut segregati a tabernaculis peccatorum, digni efficiamur habitatores domus sanctæ tuæ. Per eundem Dominum etc.

Fit Commem. Fer. et S. Melchiadis Papae et Martyris tantum.

Ad Primam.

In R. *brevi dicitur.* V. Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Tertiam.

Antiph. Domus mea.

Capitulum.

In omnibus requiem quaesivi, *ut supra.*

R. *breve.* Hic domus Dei est, * Et porta coeli. Hic Domus. V. Et vocabitur aula Dei. Et porta. Gloria Patri. Hic domus.

V. Domine dilexi decorem domus tuae.

R. Et locum habitationis gloriae tuae.

Ad Sextam.

Antiph. Propter domum Domini.

Capitulum. Eccle. 24. b.

Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei haereditas illius, et in plenitudine Sanctorum detentio mea.

R. *breve.* Domine; * dilexi decorem domus tuae. Domine. V. Et locum habitationis gloriae tuae. Dilexi. Gloria Patri. Domine.

V. Domum tuam Domine decet sanctitudo.

R. In longitudinem dierum.

Ad Nonam.

Antiph. Domum majestatis meae.

Capitulum. Eccle. 24. Cap.

In plateis sicut cinnamonum, et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

R. breve. Domum tuam Domine, * decet sanctitudo. Domum. **V.** In longitudinem dierum. Decet sanctitudo. Gloria Patri. Domum tuam.

V. Hic domus Dei est, et porta coeli.

R. Et vocabitur aula Dei.

In secundis vespers omnia ut in primis; praeter Antiph. ad Magnificat.

Ad Magnificat.

Antiph. O quam metuendus est locus iste: Vere non est hic aliud, nisi domus Dei, et porta coeli.

ORATIO, ut supra.

Et deinde Commemoratio S. Damasi Pap. Confess. et feriae tantum.

Die XVI. Decembris.

In Festo S. EUSEBII,

Episcopi et Martyris.

SEMIDUPLEX. *Omnia de Comm. unius Martyris praeter ea, quae hic assignantur.*

ORATIO.

Deus, qui nos beati Eusebii Martyris tui, atque Pontificis annua solemnitate laeticas; concede propitius, ut, cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum nostrum etc.

In I. Nocturno. Lectiones de scriptura occurrente.

In II. Nocturno. Lectio IV.

Eusebius natione Sardus, Romanae urbis Lector, post Vercellensis Episcopus, ad hanc regen-

dam Ecclesiam merito est creditus, divino electus iudicio: nam quem numquam ante constituti Electores cognoverant, posthabitis civibus, simul ut viderunt, et probaverunt, tantumque interfuit, ut probaretur, quantum ut videretur. Primus in Occidentis partibus in eadem Ecclesia eosdem Monachos instituit esse, quos Clericos, ut esset in ipsis viris, et contemptus rerum, et accuratio Levitarum. Ariensis impietatibus ea tempestate per Occidentem longe, lateque traductis, adversus eas viriliter sic dimicavit, ut ejus invicta fides Liberium Summum Pontificem ad vitae solatium erigeret. Quare hic sciens, in ipso fervere spiritum Dei, cum ei significasset, ut penes Imperatorum una cum suis legatis patrocinium fidei susciperet, mox cum illis profectus est ad Constantium, apud quem enixius agens, quidquid legatione petebatur, obtinuit, ut Episcoporum nempe coetus celebraretur.

R. Honestum.

Lectio V.

Collectum est Mediolani anno sequenti Concilium, ad quod a Constantio invitatum Eusebium, concupitumque ac vocatum a Liberii legatis, tantum abest, ut malignantium Synagoga Arianorum contra sanctum Athanasium furentium in suas partes adduceret, ut potius diserte statim ipse declarans, e praesentibus quosdam sibi compertos haeretica labe pollutos, Nicaenam imo fidem proposuerit iis subscribendam, antequam caetera tractarentur: quod Arianis acerbè iratis negantibus, uedum in Athanasium recusavit ipse subscribere, qui sancti Dionysii Martyris, qui deceptus ab ipsis subscripserat, captivatam simplicitatem ingeniosissime liberavit; quamobrem illi graviter indignantes, post multas illatas injurias, exilio illum mulctarunt; sed sanctus vir excusso pulvere, uec Caesaris minas

veritus, nec enses obstrictos, exilium veluti sui Ministerii officium accepit, missusque Scythopolim, famem, sitim, verbera, diversaque supplicia perpessus, pro fide strenue vitam contempsit, mortem non metuit, corpus caruificibus tradidit.

R. Desiderium.

Lectio VI.

Quanta in eum tunc Arianorum crudelitas fuerit, ac effrons in verecundia, ostendunt graves literae plenae roboris, pietatis, ac religionis, quas e Scythopoli scripsit ad Vercellensem Clerum et populum, aliosque finitimos, e quibus etiam est exploratum, ipsorum nec minis, inhumanaeque saevitia potuisse umquam eum deterreri, nec serpentina blanda subtilitate, ad eorum societatem perducī. Hinc in Cappadociam, postremo ad superiores Aegypti Thebaidas prae constantia sua deportatus, exilii rigores tulit, ad mortem usque Constantii, post quem ad gregem suum reverti permissus, non prius redire voluit, quam reparandis fidei jacturis ad Alexandrinam Synodum sese conferret, postque Medici praestantis instar peragrans Orientis provincias in fide infirmos ad integram valetudinem restitueret, eos instituens in Ecclesiae doctrina. Iude salubritate pari digresso in Illyricum, tandemque in Italiam delato, ad ejus reditum lugubres vestes Italia mutavit, ubi postquam Psalmorum omnium expurgatos a se commentarios originis edidit, Eusebiique Caesariensis, quos verterat de Graeco in Latinum, demum tot egregie factis illustris ad immarcescibilem gloriae coronam tantis aerumnis promeritam sub Valentiniano, et Valente, Vercellis migravit.

R. Stola jucunditatis.

In III. Nocturno. *Homil. in Evangel.* Si quis

vult post me venire, *secundo loco.* R. 8. Domine praevenisti.

Die XVIII. Decembris.

In Festo

EXPECTATIONIS PARTUS

B. M. V.

DUPLEX MAJUS.

Ad Vesperas.

Antiph. Missus est Gabriel Angelus. *cum reliquis de Laudibus.* *Psalm.* Dixit Dominus. *cum reliquis ut in Officio parvo B. Mariae Virginis.*

Capitulum. Isaiae 11.

Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini.

Hymnus.

Creator alme Siderum,
Aeterna lux credentium,
Jesu Redemptor omnium,
Intende votis supplicum.

Qui daemonis ne fraudibus
Periret orbis, impetu
Amoris actus, languidi
Mundi medela factus es.

Commune qui mundi nefas,
Ut expiares ad Crucem
E Virginis sacrario,
Intacta prodixisti victima.

Cujus potestas gloriae,
Nomenque cum primum sonat;
Et coelites, et inferi
Tremante curvantur genu.

Te deprecamur ultimae
Magnum dici Judicem,
Armis supernae gratiae,
Descende nos ab hostibus.

Virtus, honor, laus, gloria
Deo Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclyto,
In saeculorum saecula. Amen.

Sic terminantur hymni compl. et horar.

V. Ave Maria, gratia plena.

R. Dominus tecum.

Ad Magnificat.

Antiph. Spiritus sanctus in te descendet, Maria, ne timeas: habebis in utero Filium Dei, Alleluja.

O R A T I O.

Deus, qui de Beatae Mariae Virginis utero, Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti, praesta supplicibus tuis, ut, qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem Dominum nostrum.

Et fit Commem. Adventus. Antiph. O.

Ad Matutinum.

Invitat. Ave Maria, gratia plena * Dominus tecum. *Psalm.* Venite exultemus.

Hymnus.

Verbum supernum prodiens,
E Patris aeterni sinu,
Qui natus orbi subvenis,
Labente cursu temporis.

Illumina nunc pectora,
Tuoque amore concrema;
Ut cor caduca deserens,
Coeli voluptas impleat.

Ut cum tribunal Judicis,
 Damnabit igni noxios,
 Et vox amica debitum,
 Vocabit ad coelum pios;

Non esca flammarum nigros,
 Volvamus inter turbines,
 Vultu Dei sed compotes,
 Coeli fruamur gaudiis.

Patri, simulque Filio,
 Tibique sancte Spiritus,
 Sicut fuit, sit jugiter
 Saeculum per omne gloria. Amen.

In I. Nocturno.

Antiph. Ecce Dominus noster cum virtute veniet, et illuminabit oculos servorum suorum. Alleluja.

Psalm. Domine Dominus noster. *cum reliquis prout in Officio parvo B. V. M.*

Antiph. Rorate coeli desuper, et nubes pluant justum: aperiatur terra, et germinet Salvatorem.

Antiph. Ecce nomen Domini de longinquo: et claritas ejus replet orbem terrarum.

V. Ex Sion species decoris ejus.

R. Deus noster manifeste veniet.

De Isaia Propheta. Lectio I. Cap. 7.

Et adjecit Dominus loqui ad Achaz, dicens: pete tibi signum a Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra. Et dixit Achaz, Non petam: et non tentabo Domium. Et dixit: Audite ergo domus David: Numquid parum vobis est molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum.

R. Non auferetur sceptrum de Juda, et Dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est:

Et ipse erit expectatio gentium. *Y.* Polchriores sunt oculi ejus vino: et dentes ejus lacte candidiores. Et ipse.

Lectio II. Cap. 11.

Et egredietur virga de radice Jesse et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini: spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis: et replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum judicabit, neque secundum auditum aurium arguet: sed judicabit in justitia pauperes, et arguet in aequitate pro mansuetis terrae: et percutiet terram virga oris sui: et spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et erit justitia cingulum lumborum ejus: et fides cinctorium renum ejus.

R. Orietur stella ex Jacob: et consurget homo de Israel, et confringet omnes duces alienigenarum: * Et erit omnis terra possessio ejus. *Y.* De Jacob erit qui dominabitur, et perdet reliquias civitatis. Et erit.

Lectio III. Cap. 35.

Laetabitur deserta et invia, et exultabit solitudo, et florebit quasi lilium. Germinans germinabit, et exultabit laetabunda et laudans: gloria Libani data est ei: decor Carmeli, et Saron: ipsi videbunt gloriam Domini, et decorem Dei nostri. Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate. Dicite pusillanimis: Confortamini, et nolite timere; Ecce Deus vester ultionem adducet retributionis: Deus ipse veniet, et salvabit vos. Tunc aperiuntur oculi coecorum, et aures surdorum patebunt. Tuuc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum: quia scissae sunt in deserto aquae,

et torrentes in solitudine. Et quae erat arida, erit in stagnum, et sitiens in fontes aquarum.

R. Descendet Dominus sicut pluvia in vellus: orietur in diebus ejus justitia; * Et abundantia pacis. V. Et adorabunt eum omnes Reges: omnes gentes servient ei. Et abundantia. Gloria Patri. Et abundantia.

In II. Nocturno.

Antiph. De Sion exhibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.

Psalm. Eructavit cor meum verbum bonum. *ex Officio B. V. M.*

Antiph. Ecce Deus noster, expectavimus eum, et salvabit nos, Alleluja.

Psalm. Deus noster refugium et virtus. *ex Officio B. V. M.*

Antiph. Dominus veniet, occurrite illi dicentes: Magnum principium, et regni ejus non erit finis; Deus fortis, Dominator, Princeps pacis, Alleluja.

Psalm. Magnus Dominus et laudabilis uimis. *ex Communi Virg. in 2do Noct. 3tius.*

V. Egredietur virga de radice Jesse.

R. Et flos de radice ejus ascendet.

Sermo S. Ildesonsi Archi-Episcopi Toletani. *ex Libro de Virginitate B. V. M.*

Lectio IV.

Domina mea, atque dominatrix mea, dominans mihi, Mater Domini mei, ancilla Filii tui, genitrix factoris mundi, te rogo, oro, te quaeso, ut habeam Spiritum Domini tui, spiritumque Filii tui, nec non et spiritum Redemptoris mei, ut de te vera et digna sapiam, vera et digna loquar, vera et digna quaecunque sunt, diligam. Tu enim es electa a

Deo, assumpta a Deo, advocata a Deo, proxima Deo, adhaerens Deo, conjuncta Deo; visitata ab Angelo, salutata ab Angelo, benedicta ab Angelo, beatificata ab Angelo; turbata in sermone, attonita in cogitatione, stupefacta in salutatione, admirata in dictorum annuntiatione.

R. Ecce Virgo concipiet, et pariet Filium dicit Dominus: * Et vocabitur nomen ejus admirabilis, Deus, fortis. V. Super solium David, et super regnum ejus sedebit in aeternum. Et vocabitur.

Lectio V.

Invenisse te apud Deum gratiam audis, et ne timeas, juberis. Unde et tu fiducia roboraris, cognitione miraculorum instrueris, ad novitatem inauditae gloriae proveheris. De prole ab Angelo nunciata es; et post foetum integra et pudica manes. Certa virginitas nobis proponitur, et nasciturum ex te sanctum Dei Filium, tibi ab Angelo evangelizatur, et quae sit nascentis Regis potentia mirabiliter intimatur. Quomodo fiat, quaeris, de origine interrogas, de ratione perscrutaris, de experientia requiris, de ordine sciscitaris. Audi inauditum oraculum, considera inusitatum opus, animadvertite incognitum arcanum, attende invisum factum, Spiritus sanctus superveuiet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

R. Rorate coeli desuper, et nubes pluant justum: * Aperiatur terra, et germinet Salvatorem. V. Emitte agnum Domine dominatorem terrae, de petra deserti ad montem Filiae Sion. Aperiatur.

Lectio VI.

Tota invisibiliter Trinitas conceptionem operabitur in te: sola persona Filii Dei in corpore tuo nascitura carnem assumet de te. Ideoque quod concipietur ex te, quod nascetur ex te, quod pro-

diet ex te, quod germinabitur ex te, quod parturietur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Erit enim hic magnus, hic Deus virtutum, hic Rex omnium saeculorum, hic factor omnium rerum. Ecce beata tu inter mulieres, integra inter puerperas, Domina inter ancillas, Regina inter sorores. Ecce ex hoc beatam te dicent omnes generationes, beatam te noverunt omnes coelestes virtutes, beatam te praedicant omnes vates, beatam te celebrant omnes nationes. Beata tu fidei nostrae, beata tu animae nostrae, beata dilectioni nostrae, beata praconiis et praedicationibus meis.

R. Docebit nos Dominus vias suas, et ambulabimus in semitis ejus: * Quia de Sion exhibit lex, et verbum Domini de Jerusalem. Y. Venite, ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob. Quia. Gloria Patri. Quia.

In III. Nocturno.

Antiph. Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum.

Psalm. Benedixisti Domine terram tuam, ex Officio B. M. V. ad prim.

Antiph. Ecce veniet Deus, et homo de domo David sedere in Throno, Allelnja.

Psalm. Fundamenta ejus in montibus sanctis. ex II. Noct. Officio B. M. V.

Antiph. Annuntiate populis, et dicite: ecce Deus Salvator noster veniet.

Psalm. Cantate Domino canticum novum. 1. *Psalm. ex Offic. B. M. V. III. Nocturni.*

Y. Egredietur Dominus de loco sancto suo.

R. Veniet, ut salvet populum suum.

Si hoc Festum venerit in Feria IV. Quatuor Temporum Adventus, loco sequentis Homiliae leguntur tres Lectiones Homiliae ejusdem Feriae quartae cum Responsoriis, quae hic assignantur.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. 3.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia Venerabilis Bedae Presbyteri. *In Evangel. Lucae Cap. 1.*

Ad Mariam Virginem Gabriel mittitur, qui Dei fortitudo nominatur: illum quippe nuntiare veniebat, qui ad debellandas aëreas potestates humilis apparere dignatus est. De quo per Psalmistam dicitur: Dominus fortis et potens, Dominus potens in praelio. Et rursum: Dominus virtutum ipse est Rex gloriae. Per Dei ergo fortitudinem nuntiandus erat, qui virtutum Dominus et potens in praelio, contra potestates aëreas ad bella veniebat. Et ingressus Angelus ad eam dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Bene gratia plena vocatur, quae nimirum gratiam, quam nulla alia meruerat, assequitur: ut ipsum videlicet gratiae concipiat, et generet auctorem.

R. Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum: * Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi: quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei. V. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei. * Spiritus.

Benedictio: Cujus Festum colimus, ipsa Virgo Virginum intercedat etc.

Lectio VIII.

Ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Jesus Salvatori sive

salutaris interpretatur: cujus Sacramentum nominis alloquens Joseph Angelus exposuit: Ipse enim (inquiens) salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Non ait: populum Israel, sed populum suum; hoc est, in unitatem fidei ex praepotio, et circumcissione vocatum: quibus ex diversa parte vocatis, fieret unus pastor, et unum ovile. Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus. Idem ergo Filius Altissimi, qui in utero virginali conceptus, et natus est. Idem homo in tempore creatus ex matre, qui Deus est ante tempora natus ex Patre. Si autem idem homo, qui Deus est; omittat Nestorius hominem tantum dicere ex Virgine natum.

R. Suscipe verbum Virgo Maria, quod tibi a Domino per Angelum transmissum est: concipies et paries Deum pariter et hominem: * Ut benedicta dicaris inter omnes mulieres. V. Paries quidem Filium et virginitatis non patieris detrimentum: efficeris grvida, et eris Mater semper intacta. Ut benedicta. Gloria Patri. Ut benedicta.

Lectio IX.

Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Ad distinctionem nostrae sanctitatis Jesus Sanctus singulariter nasciturus asseritur. Nos quippe, etsi Sancti efficimur, non tamen nascimur; quia ipsa naturae corruptionis conditione constringimur, ut merito cum Propheta gementes singuli dicamus: Ecce euim in iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea. Ille autem solus veraciter sanctus est, qui, ut ipsam conditionem naturae corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis copulae conceptus non est. Sanctum, inquit, vocabitur Filius Dei. Quid hic dicis Nestoriane, qui beatam Mariam Dei negaus esse genetricem, aperte viteris impugnare verita-

tem? Ecce Deum dixit superventurum, Dei Filium nasciturum. Quomodo ergo aut Dei Filius Deus non est, aut quae Deum edidit, quomodo Theotocos, id est, Dei genitrix non esse potest?

Te Deum laudamus.

Ad Laudes et per Horas.

Antiph. Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph.

Psalm. Dominus regnavit. *cum reliquis de Dominica.*

Antiph. Ave Maria gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus Alleluja.

Antiph. Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Dominum: ecce concipies, et paries Filium, Alleluja.

Antiphona. Dabit ei Dominus sedem David Patris ejus et regnabit in aeternum.

Antiph. Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum.

Capitulum *Isaiae 2. cap.*

Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini.

Hymnus.

En clara vox redarguit, ex *Dominica Adventus ad Laudes.*

V. Spiritus sanctus superveniet in te.

R. Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

Ad Benedictus.

Antiph. Super solium David, et super regnum ejus sedebit in aeternum.

O R A T I O.

Deus, qui de beatae Mariae Virginis utero, Verbum tuum, Angelo nuntiante carnem suscipere voluisti: praesta supplicibus tuis; ut qui vere eam genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eundem Dominum etc.

Deinde fit Commemoratio Feriae.

Ad Primam.

R. br. Qui venturus es in mundum.

Ad Tertiam.

Antiph. Ave Maria.

Capitulum.

Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini.

R. breve. Tu exurgens Domine, * Misereberis Sion. Tu exurgens.

V. Quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus. * Misereberis. Gloria Patri. Tu exurgens.

V. Rorate coeli desuper, et nubes pluant justum.

R. Aperiatur terra, et germinet Salvatorem.

Ad Sextam.

Antiph. Ne timeas Maria.

Capitulum. *Isaiae 7. cap.*

Ecce Virgo concipiet et pariet Filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum.

R. breve. Rorate coeli desuper, * Et nubes pluant justum. Rorate.

V. Aperiatur terra, et germinet Salvatorem. * Et nubes. Gloria Patri. Rorate coeli.

V. Emitte agnum Domine Dominatorem terrae.

R. De petra deserti ad montem filiae Sion.

Ad Nonam.

Antiph. Ecce Ancilla Domini.

Capitulum. *Isaiae 54. cap.*

Rorate coeli desuper, et nubes pluant justum
aperiatur terra, et germinet Salvatorem, et justitia
oriatur simul: Ego Dominus creavi eum.

R. breve. Emitte agnum Domine, * Dominato-
rem terrae. Emitte.

Y. De petra deserti ad montem filiae Sion. Do-
minatorem. Gloria Patri. Emitte.

Y. Spiritus sanctus superveniet in te.

R. Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.

*In secundis Vesperis omnia dicuntur ut in pri-
mis, praeter quintam Antiphonam et Psalm. cu-
jus loco dicitur.*

Antiph. De fructu ventris tui ponam super se-
dem tuam.

Psalm. Memento Domine David, *ex Fer. 5.*
Psalm. 1. in Vesp.

Ad Magnificat.

Antiph. O Virgo Virginum, quomodo fiet istud?
quia nec primam similem visa es, nec habere se-
quentem? Filiae Jerusalem, quid me admiramini?
Divinum est mysterium hoc quod ceruitis.

O R A T I O.

Deus, qui de Beatae Mariae, *ut supra.* Pro
Commemoratione Adventus *Antiph. O.*



APPENDIX

quorundam Festorum Dioecesis Vratislaviensis, quae in ordine aliorum Festorum, quia diem stabilem non habent, non inveniuntur.

Dominica II. post Epiphaniam.

In Festo SS. NOMINIS JESU.

DUPLEX 2. Classis.

Ad Vesperas.

Antiph. **O**mnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.

Psalm. Dixit Dominus, cum reliquis de Dominica: et loco ultimi, *Psalm.* Credidi.

Antiph. Sanctum et terribile nomen ejus: iuitium sapientiae timor Domini.

Antiph. Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo.

Antiph. A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini.

Antiph. Sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Capitulum. Phil. 2.

Fratres, Christus humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltavit illum, et do-

navit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur.

Hymnus.

Jesu dulcis memoria,
 Dans vera cordi gaudia;
 Sed super mel et omnia,
 Ejus dulcis praesentia.

Nil canitur suavius,
 Nil auditur jucundius,
 Nil cogitatur dulcius,
 Quam Jesus Dei Filius.

Jesu spes poenitentibus,
 Quam pius es petentibus,
 Quam bonus te quaerentibus!
 Sed quid invenientibus?

Nec lingua valet dicere,
 Nec litera exprimere,
 Expertus potest credere,
 Quid sit Jesum diligere.

Sis Jesu nostrum gaudium,
 Qui es futurus praemium,
 Sit nostra in te gloria,
 Per cuncta semper saecula. Amen.

V. Sit nomen Domini benedictum. Alleluja.

R. Ex hoc nunc, et usque in saeculum. Allel.

Ad Magnificat.

Antiph. Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. Alleluja.

O R A T I O.

Deus, qui unigenitum Filium tuum constituisti humani generis salvatorem, et Jesum vocari jussisti: concede propitius; ut, cujus sanctum nomen veneramur in terris, ejus quoque aspectu perfruemur in coelis. Per eundem Dominum nostrum.

Fit commemor. Dominicae secundae post Epiph.

Antiph. Suscepit Deus Israel etc.

Ad Completorium et per Horas.

In fine Hymn. dicitur, Jesu tibi fit gloria, qui natus es de Virgine.

Ad Matutinum.

*Invitator. Admirabile nomen Jesu, quod est super omne nomen. * Venite adoremus. Psalmus: Venite.*

Hymnus.

Jesu, Rex admirabilis,
Et Triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis.

Quando cor nostrum visitas,
Tunc lucet ei veritas,
Mundi vilescit vanitas,
Et intus fervet charitas.

Jesu dulcedo cordium,
Fons vivus lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.

Jesum omnes agnoscite,
Amorem ejus poscite;
Jesum ardentem quaerite,
Quaerendo inardescite.

Te nostra Jesu vox sonet,
Nostri te mores exprimant,
Te corda nostra diligant,
Et nunc et in perpetuum. Amen.

In I. Nocturno.

Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra.

Psalm. Domine Dominus noster. cum reliquis, ut in Officio parvo B. Mariae Virg. Psalmus vero iste incipitur, a secundo versu. Quoniam elevata est.

Antiph. In nomine Jesu omne genu flectatur, Coelestium, terrestrium et infernorum.

Psalm. Coeli enarrant.

Antiph. Confitemini Domino, et invocate nomen ejus; mementote, quoniam excelsum est nomen ejus.

Psalm. Domiui est terra.

V. Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo.

R. Multum est enim.

De Actibus Apostol. Lectio I. Cap. 3.

Petrus autem et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex utero matris suae, bajulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quae dicitur speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum. Is cum vidisset Petrum et Joannem incipientes introire in templum, rogabat, ut eleemosynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Joanne dixit: Respice in nos. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum et aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Jesu Christi Nazareni surge, et ambula. Et apprehensa manu ejus dextera, allevavit eum. Et protinus consolidatae sunt bases ejus, et plantae. Et exiliens stetit, et ambulabat: et intravit cum illis in templum, ambulans, et exiliens, et laudans Deum.

R. Ecce concipies, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum. * Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. *V.* Vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur. * Ipse enim salvum.

Lectio II

Et vidit omnis populus eum ambulantiem, et laudantiem Deum. Cognoscebant autem illum, quod ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat ad speciosam portam templi: et impleti sunt stupore et extasi in eo, quod contigerat illi. Cum teneret autem Petrum et Joannem, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum, quae appellatur Salomonis, stupentes. Videns autem Petrus, respondit ad populum: Viri Israelitae, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute, aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus patrum nostrorum, glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, et negastis ante faciem Pilati, judicante illo dimitti. Vos autem Sanctum et justum negastis, et petiistis virum homicidam donari vobis: Auctorem vero vitae interfecistis, quem Deum suscitavit a mortuis, cujus nos testes sumus. Et in fide nominis ejus, hunc, quem vos vidistis et nostis, confirmavit nomen ejus, et fides quae per eum est, dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum.

R. Benedictum est nomen tuum, Deus patrum nostrorum, qui cum iratus fueris, misericordiae recordaberis: * Et in tempore tribulationis peccata dimittis. V. Et benedictum nomen Majestatis tuae in aeternum, qui facis mirabilia solus. * Et in tempore.

Lectio III. Cap. 4.

Factum est autem in crastinum, ut congregarentur principes eorum, et seniores, et scribae in Jerusalem, et Annas princeps sacerdotum, et Caiphas, et Joannes, et Alexander, et quotquot erant de genere sacerdotali, et statuentes eos in medio, interrogabant: In qua virtute, aut in quo nomine

fecistis hoc vos? Tunc repletus Spiritu sancto Petrus, dixit ad eos: Principes populi, et seniores, audite: Si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est, notum sit omnibus vobis, et omni plebi Israel: quia in nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus. Hic est lapis, qui reprobatus est a vobis aedificantibus, qui factus est in caput anguli: et non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.

R. Laudabo nomen tuum assidue, * Et collaudabo illud in confessione. V. Laetabor, et exultabo in te: psallam nomini tuo, Altissime. * Et Gloria. * Et.

In II. Nocturno.

Antiph. Memores erunt nominis tui Domine, in omni generatione, et generationem.

Psalm. Eructavit.

Antiph. Magnificate Dominiuum mecum, et exaltemus nomen ejus in id ipsum.

Psalm. Deus noster refugium.

Antiph. Omnes gentes, quascunque fecisti, venient et adorabunt coram te Domine, et glorificabunt nomen tuum.

Psalm. Fundamenta.

V. Propter gloriam nominis tui Domine libera nos.

R. Et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Sermo S. Bernardi Abbatis. *Serm. 15. super Cantica, circa medium.*

Lectio IV.

Non otiose Spiritus sauctus nomen sponsi oleo comparat, cum ita doceat, sponsam ad sponsum

clamare: Oleum effusum nomen tuum. Oleum enim lucet, pascit, et ungit, fovet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem: lux, cibus, medicina. Vide idem nunc et de sponsi nomine: lucet praedicatum, pascit recogitatum, invocatum lenit, et ungit. Et percurramus singula. Unde putas in toto orbe tanta et tam subita fidei lux, nisi de praedicto nomine Jesu? Nonne in hujus nominis luce Deus nos vocabit in admirabile lumen suum, quibus illuminatis et in lumine isto, videntibus lumen, dicat merito Paulus: Fuistis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino.

R. Sperent in te, qui noverunt nomen tuum:
 * Quoniam non dereliquisti quaerentes te Domine.
 Y. Exurge Domine, adjuva nos, et libera nos propter nomen tuum. * Quoniam.

Lectio V.

Hoc denique nomen coram regibus, et gentibus, et filiis Israel portare jussus est idem Apostolus; et portabat nomen, tanquam lumen, et illuminabat patriam, et clamabat ubique: nox praecessit, dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus. Et monstrabat omnibus lucernam super candelabrum, annuntians in omni loco Jesum, et hunc crucifixum. Quomodo lux ista resplenduit, ac perstrinxit cunctorum iuventium oculos, quando de ore Petri, tanquam fulgur egrediens, claudi unius corporales plantas solidavit, et bases, multosque spiritualiter coecos illuminavit; Numquid non ignem sparsit, cum ait: In nomine Jesu Christi Nazareni surge, et ambula?

R. Confiteamur nomini tuo maguo. * Quoniam terribile et sanctum est. Y. Hi in curribus, et hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus. * Quoniam.

Lectio VI.

Nec tantum lux est nomen Jesu, sed est et cibus. An non toties confortaris, quoties recordaris? Quid aequae mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos, castas fovet affectiones: Aridus est omnis animae cibus, si non oleo isto infunditur. Insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi Jesum. Si disputes, aut conseras, non sapit mihi, nisi sonuerit tibi Jesus. Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Sed est et medicina. Tristatur aliquis nostrum? veniat in cor ejus Jesus, et inde saliat in os. Et ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen? currit insuper ad laqueum mortis desperando? Nonne, si invocet nomen vitae, confestim respirabit ad vitam.

R. Laetentur omnes, qui sperant in te Domine, in aeternum exultabunt, et habitabis in eis, et gloriabuntur in te omnes. * Qui diligunt nomen tuum. **V.** Domine, in lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exultabunt tota die. * Qui. Gloria Patri. * Qui.

In III. Nocturno.

Antiph. Cantate Domino, benedicite nomini ejus: annuntiate de die in diem salutare ejus.

Psalm. Cantate Domino.

Antiph. Secundum nomen tuum Deus, sic et laus tua in fines terrae: justitia plena est dextera tua.

Psalm. Dominus regnavit, exultet terra.

Antiph. Cantate Deo, psalmum dicite nomini ejus: iter facite ei, qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.

Psalm. Cantate.

V. Afferte Domino gloriam et honorem.

R. Afferte Domino gloriam nomini ejus.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Lectio VII. Cap. 2.

In illo tempore: postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer, vocatum est nomen ejus Jesus. Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi Abbatis. Serm. I. de Circumcisione.

Magnum et mirabile Sacramentum. Circumciditur Puer, et vocatur Jesus. Quid sibi vult ista connexio? Circumcisio nempe magis salvandi, quam Salvatoris esse videtur: et Salvatorem circumcidere potius decet, quam circumcidi. Sed agnosce mediatorem Dei et hominum qui ab ipso nativitatis suae exordio divinis humana sociat, imas summis. Nascitur ex muliere, sed cui foecunditatis fructus sic accedat, ut non decidat flos virginitatis. Pannis involvitur: sed panni ipsi angelicis laudibus honorantur. Absconditur in praesepio: sed proditur radiante stella de coelo. Sic et circumcisio veritatem susceptae probat humanitatis: et nomen, quod est super omne nomen, gloriam indicat Majestatis. Circumciditur tanquam verus Abrahae Filius: Jesus vocatur tanquam Filius Dei.

R. Tribulationem et dolorem inveni. * Et nomen Domini invocavi. **V.** Turris fortissima nomen Domini, in ipso speravi, et adjutus sum. * Et nomen.

Lectio VII.

Neque enim ad instar priorum meus iste Jesus nomen vacuum aut inane portat. Non est in eo magni nominis umbra, sed veritas. Coelitus siquidem

inditum nomen Evangelista testatur, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur. Et attende verbi profunditatem: Postquam natus est Jesus. Jesus vocabatur ab hominibus, qui vocatus est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur. Idem quippe et Angeli Salvator, et hominis; sed hominis ab incarnatione, Angeli ab initio creaturae. Vocatum est, ait, nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab Angelo. In ore duorum vel trium testium stat omne verbum: et ipsum, quod in Propheta abbreviatum, manifestius in Evangelio legitur, caro factum.

R. Expectabo nomen tuum Domine. * Quoniam bonum est in conspectu Sanctorum tuorum. V. Ut confiteamur nomini sancto tuo, et gloriemur in laude tua. * Quoniam. Gloria Patri. * Quoniam.

Lectio IX.

Legitur de Homilia Dominicae.

Si vero hoc Festum contingat transferri in aliam diem, nona Lectio erit sequens.

Merito sane, dum circumciditur Puer, qui natus est nobis, Salvator vocatur: quod videlicet ex hoc jam coeperit operari salutem nostram, immaculatum illum pro nobis sanguinem fundens. Neque enim jam quaerere est Christianis, cur voluerit Dominus Christus circumcidi? Propter hoc siquidem circumcisisus est, propter quod natus, propter quod passus. Nihil horum propter se, sed omnia propter electos. Nec in peccato gemitus, nec a peccato circumcisisus, nec mortuus est pro peccato suo: magis autem propter delicta nostra. Quod vocatum est, inquit, ab Angelo, priusquam in utero conciperetur. Vocatum plane, non impositum. Nempe hoc ei nomen est ab aeterno. A natura propria ha-

bet, ut sit Salvator: innatum est ei nomen hoc, non iudicatum ab humana, vel angelica creatura.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes et per Horas.

Antiph. Oleum effusum nomen tuum ideo adolescentulae dilexerunt te.

Psalm. Dominus regnavit. *Cum reliquis de Dominica, ut in Psalterio.*

Antiph. Scitote, quia Dominus ipse est Deus, cuius nomen in aeternum.

Antiph. Sitivit anima mea ad nomen Sanctum tuum Domine.

Antiph. Benedictum nomen gloriae tuae sanctum et laudabile, et superexaltatum in saecula.

Antiph. Juvenes, et Virgines, senes cum junioribus, laudate nomen Domini, quia exaltatum est nomen eius solius.

Capitulum. *Phil. 2. cap.*

Eratres, Christus humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur.

Hymnus.

Jesu, decus Angelicum,
In aure dulce canticum,
In ore mel mirificum,
In corde nectar coelicum.

Qui te gustant, esuriunt;
Qui bibunt adhuc sitiunt;
Desiderare nesciunt,
Nisi Jesum, quem diligunt.

O Jesu mi dulcissime!
Spes suspirantis animae,
Te quaerunt pia lachrymae,
Te clamor mentis intima.

Mane nobiscum Domine,
Et nos illustra lumine,
Pulsa mentis caligine,
Mundum reple dulcedine.

Jesu, flos Matris Virginis,
Amor nostrae dulcedinis,
Tibi laus, honor nominis,
Regnum beatitudinis. Amen.

V. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

R. Qui fecit coelum et terram.

Ad Benedictus.

Antiph. Dedit se, ut liberaret populum, et acquireret sibi nomen aeternum. Alleluja.

O R A T I O.

Deus, qui unigenitum, *ut supra.*

Postea fit commemor. Dominicae secundae post Epiphaniam.

Antiph. Nuptiae etc.

Ad Primam.

Antiph. Oleum effusum.

R. br. Christe Fili.

V. Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Tertiam.

Antiph. Scitote.

Capitulum.

Fratres, Christus humiliavit. *ut supra.*

R. br. Sit nomen Domini benedictum, * Alleluja, Alleluja. Sit nomen. **V.** Ex hoc nunc, et usque in saeculum. * Alleluja, Alleluja. Gloria Patri. Sit nomen.

V. Afferte Domino gloriam, et honorem, Alleluja.

R. Afferte Domino gloriam nomini ejus, Alleluja.

Si hoc festum venerit post Dom. Septuagesimae.

R. br. Sit nomen Domini. * Benedictum. Sit nomen. *Y.* Ex hoc nunc, et usque in saeculum. * Benedictum. Gloria Patri. Sit nomen. *Y.* Afferte Domino gloriam et honorem. *R.* Afferte Domino gloriam nomini ejus.

Ad Sextam.

Antiph. Sitivit.

Capitulum. Phil. 2. cap.

In nomine Jesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum: et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

R. br. Afferte Domino gloriam et honorem. * Alleluja, Alleluja. Afferte.

Y. Afferte Domino gloriam nomini ejus. * Alleluja, Alleluja. Gloria Patri. Afferte.

Y. Magnificate Dominum mecum, Allel.

R. Et exaltemus nomen ejus in Idipsum, Alleluja.

Post Dominicam Septuagesimae.

R. br. Afferte Domino gloriam * Et honorem. Afferte. *Y.* Afferte Domino gloriam nomini ejus. * Et honorem. Gloria. Afferte. *Y.* Magnificate Dominum mecum. *R.* Et exaltemus nomen ejus in Idipsum.

Ad Nonam.

Antiph. Juvenes et Virgines.

Capitulum. Coloss. 3.

Omne quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi facite, gratias agentes Deo, et Patri per ipsum.

R. breve. Magnificate Dominum mecum, * Alleluja, Alleluja. Magnificate.

Y. Et exaltemus nomen ejus in idipsum. * Alleluja, Alleluja. Gloria. Magnificate.

Y. Adjutorium nostrum in nomine Domini, Alleluja.

R. Qui fecit coelum et terram, Alleluja.

Post Dominicam Septuagesimae.

R. br. Magnificate Dominum *Mecum. Magnificate. *Y.* Et exaltemus nomen ejus in idipsum. * Mecum. Gloria. Magnificate. *Y.* Adjutorium nostrum in nomine Domini. *R.* Qui fecit coelum et terram.

In secundis Vesperis. Omnia dicuntur sicut in primis.

Ad Magnificat.

Antiphona. Vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum, Alleluja.

O R A T I O.

Deus, qui unigenitum, ut supra.

Deinde fit Commem. Dominicae secundae post Epiphaniam.

Antiph. Deficiente Vino etc.

Missa. In nomine Jesu, propria: dicitur Credo, et Praefatio de Nativitate Domini.

OFFICIUM

SACRORUM QUINQUE

VULNERUM D. N. Jesu Christi.

DUPLEX MAJUS.

Quadam Feria sexta Quadragesimae quotannis in Directorio assignanda.

Ad Vesperas.

Antiph. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.

Psalm. Credidi cum reliquis de Feria quinta in coena Domini. Seu ex Vesp. Feriae 2.

Antiph. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.

Psalm. Ad Dominum cum tribularer. Ex Vesp. Feriae 2.

Antiph. Alligavit Dominus plagam populi sui, et percussuram ejus sanavit.

Psalm. Eripe me Domine. Ex Fer. 6. Vesp.

Antiph. Omnis, qui transibit, stupebit super omnes plagas ejus.

Psalm. Domine clamavi ad te. Ex Fer. 6. Vesp.

Antiph. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte, si est dolor sicut dolor meus.

Psalm. Voce mea ad Dominum. Fer. 6. Vesp.

Capitulum. Isaiae 53.

Christus vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, cujus li-vore sanati sumus.

Hymnus. Pange lingua gloriosi lauream certaminis, ut in Dom. Passionis ad Matutinum.

V. Videbunt, in quem transfixerunt.

R. Et dolebunt super eum, ut in morte primogeniti.

Ad Magnificat.

Antiph. Dum in Cruce penderet Unigenitus Dei Filius, et ab omnibus subsanaretur, Mater ejus Virgo Maria, ipsum verum Deum, et hominem condolens venerabatur.

O R A T I O.

Deus, qui Unigeniti Filii tui passione, et per quinque vulnera ejus sanguinis effusione, humanam

naturam peccato perditam reparasti: tribue nobis, quaesumus; ut qui ab eo suscepta vulnera veneramur in terris, ejusdem pretiosissimi Sanguinis fructum consequi mereamur in coelis. Per eundem Dominum.

Ad Matutinum.

Invit. Christum in Cruce confixum, quinque plagis vulneratum. * Venite adoremus.

Hymnus. Pange lingua, ut in Dom. Passionis.

In I. Nocturno. *Antiph.* Quis est, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?

Psalmus 10.

In Domino confido: quomodo dicitis animae meae: * Transmigre in montem sicut passer.

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra, * ut sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam quae perfecisti, destruxerunt: * justus autem quid fecit?

Dominus in templo saucto suo, * Dominus in coelo sedes ejus.

Oculi ejus in pauperem respiciunt: * palpebrae ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat justum et impium: * qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluet super peccatores laqueos: * ignis, et sulphur, et spiritus procellarum, pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus, et justitias dilexit: * aequitatem vidit vultus ejus.

Antiph. Quis est, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra?

Antiph. Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari.

Psalmus 14.

Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? * aut quis requiescet in monte saucto tuo.

Qui ingreditur sine macula, * et operatur justitiam.

Qui loquitur veritatem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua.

Nec fecit proximo suo malum, * et opprobrium non accepit adversus proximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: * timentes autem Dominum glorificat.

Qui jurat proximo suo, et non decipit: * qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.

Qui facit haec, * non movebitur in aeternum.

Antiph. Quare rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari.

Antiph. Torcular calcavi solus, et de gentibus non fuit vir mecum.

Psalmus 23.

Domini est terra, et plenitudo ejus: * orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: * et super flumina praeparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto ejus.

Innocens manibus et mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem à Domino: et misericordiam à Deo salutari suo.

Haec est generatio quaerentium eum, * quaerentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales: * et introibit Rex gloriae.

Quis es iste Rex gloriae? * Dominus fortis et potens: Dominus potens in praelio.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales: * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex glorie? * Dominus virtutum ipse est Rex glorie.

Antiph. Torcular calcavi solus, et de gentibus non fuit vir mecum.

V. Foderunt manus meas et pedes meos.

R. Dinumeraverunt omnia ossa mea.

De Isaia Propheta. Lectio I. Cap. 53.

Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitiendi. Non est species ei neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum: Despectum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus ejus, et despectus: unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus.

R. Gratificabit nos Deus in dilecto Filio suo: * In quo habemus redemptionem persanguinem ejus in remissionem peccatorum.

V. Ecce venit plenitudo temporis, in quo misit Deus Filium suum in terras. In quo.

Lectio II.

Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. De angustia, et de judicio sublatu est: generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra vi-

ventium: propter scelus populi mei percussi eum, et dabit impios pro sepultura, et divites pro morte sua: eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate.

R. Nos qui aliquando eramus longe, facti sumus prope per sanguinem Jesu Christi: * ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum.

V. A Domino factum est illud, et est mirabile in oculis nostris. Ipse.

Lectio III. Cap. 64.

Quis est, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suae. Ego qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari. Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum; calcavi eos in furore meo et conculcavi eos in ira mea, et aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, et omnia indumenta mea inquinavi: dies enim ultionis in corde meo, annus redemptionis meae venit. Circumspexi, et non erat auxiliator: quaesivi et non fuit, qui adjuvaret.

R. In primogenito ex mortuis complacuit omnem plenitudinem divinitatis inhabitare, et per eum reconciliari omnia in ipsum: * Pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quae in coelis sive quae in terris sunt.

V. Ipse est caput corporis Ecclesiae, in omnibus primatum tenens. Pacificans. Gloria Patri. Pacificans.

In II. Nocturno. *Antiph.* Foderunt manus meas, et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea.

Psalmus 21.

Deus Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? * longe a salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus clamabo per diem, et non exaudies: * et nocte, et non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas, * Laus Israel.

In te speraverunt patres nostri, * speraverunt, et liberasti eos.

Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt: * in te speraverunt, et non sunt confusi.

Ego autem sum vermis, et non homo, * opprobrium hominum et abjectio plebis.

Omnes videntes me, deriserunt me: * locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Speravit in Domino, eripiat eum: * salvum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre: * spes mea ab uberibus matris meae. In te projectus sum ex utero.

De ventre matris meae Deus meus es tu, * ne discesseris a me.

Quoniam tribulatio proxima est: quoniam non est qui adjuvet.

Circumdederunt me vituli multi: * tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum, * sicut leo rapiens et rugiens.

Sicut aqua effusus sum: et dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tamquam cera liquescens, in medio ventris mei.

Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit faucibus meis: et in pulverem mortis deduxisti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi: * concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas et pedes meos: * dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me: * diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum a me: * ad defensionem meam conspice.

Erue a framea Deus animam meam: et de manu canis unicum meum.

Salva me ex ore leonis: * et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis: * in medio Ecclesiae laudabo te.

Qui timetis Dominum, laudate eum: universum semen Jacob glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israel: * quoniam non sprexit, neque despexit deprecationem pauperis.

Nec avertit faciem suam à me: * et cum clamerem ad eum exaudivit me.

Apud te laus mea in Ecclesia magna: * vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Edent pauperes et saturabuntur: et laudabunt Dominum qui requirunt eum: vivent corda eorum in saeculum saeculi.

Reminiscentur et convertentur ad Dominum * universi fines terrae.

Et adorabunt in conspectu ejus * universae familiae gentium.

Quoniam Domini est regnum: * et ipse dominabitur gentium.

Manducaverunt et adoraverunt omnes pingues terrae: * in conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram.

Et anima mea illi vivet: * et semen meum serviet ipsi.

Annuntiabitur Domino generatio ventura: et

annuntiabunt coeli justitiam ejus populo, qui nascetur, quem fecit Dominus.

Antiph. Foderunt manus meas, et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea.

Antiph. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.

Psalmus 65.

Jubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini ejus: * date gloriam laudi ejus.

Dicite Deo, quam terribilia sunt opera tua Domine, * in multitudine virtutis tuae mentientur tibi inimici tui.

Omnis terra adoret te, et psallat tibi: * psalmum dicat nomini tuo.

Venite et videte opera Dei: * terribilis in consiliis super filios hominum.

Qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibit pede: * ibi laetabimur in ipso.

Qui dominatur in virtute sua in aeternum, oculi ejus super gentes respiciunt: * qui exasperant non exaltentur in semetipsis.

Benedicite gentes Deum nostrum: * et auditam facite vocem laudis ejus.

Qui posuit animam suam ad vitam: et non dedit in commotionem pedes meos.

Quoniam probasti nos Deus: igne nos examinasti, sicut examinatur argentum.

Induxisti nos in laqueum, posuisti tribulationes in dorso nostro: * imposuisti homines super capita nostra.

Transibimus per ignem et aquam: * et eduxisti nos in refrigerium.

Introibo in domum tuam in holocaustis: * reddam tibi vota mea, quae distinxerunt labia mea.

Et locutum est os meum; * in tribulatione mea.

Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: * offeram tibi boves cum hircis.

Venite, audite, et narrabo, omnes qui timetis Deum, * quanta fecit animae meae.

Ad ipsum ore meo clamavi, * et exaltavi sub lingua mea.

Iniquitatem si aspexi in corde meo, * non exaudiet Dominus.

Propterea exaudivit Deus, * et attendit voci deprecationis meae.

Benedictus Deus, qui non amovit orationem meam, et misericordiam suam a me.

Antiph. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.

Antiph. Vulnus, et livor, et plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine neque fota oleo.

Psalmus 75.

Notus in Judaea Deus: * in Israel magnum nomen ejus.

Et factus est in pace locus ejus, * et habitatio ejus in Sion.

Ibi confregit potentias arcuum, * scutum gladium, et bellum.

Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis: turbati sunt omnes insipientes corde.

Dormierunt somnum suum: * et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.

Ab increpatione tua Deus Jacob * dormitaverunt qui ascenderunt equos.

Tu terribilis es, et quis resistet tibi? * ex tunc ira tua.

De coelo auditum fecisti judicium: * terra tremuit et quievit.

Cum exurgeret in judicium Deus, ut salvos faceret omnes mansuetos terrae.

Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: * et reliquiae cogitationis diem festum agent tibi.

Vovete, et reddite Domino Deo vestro, * omnes qui in circuitu ejus offertis munera.

Terribili et ei qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terrae.

Antiph. Vulnus, et livor, et plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine neque fota oleo.

Y. Vere languores nostros ipse tulit.

R. Et dolores nostros ipse portavit.

Sermo S. Bernardi Abb. *Lib. de pass. Dom. cap. 41.*

Lectio IV.

Captus est Jesus: post plurimas illusiones tam Judaeorum quam Gentium: post sauguinis plures effusiones, clavis in mitibus manibus simul, et pedibus perforatur, et configitur ligno crucis Salvator noster mitissimus Jesus. Intuere, et respice rosam passionis sanguineae, quomodo rubet in indicium ardentissimae charitatis. Contendunt passio, et charitas: ista, ut plus ardeat, illa, ut plus rubeat.

R. Per mortem destruxit Jesus eum, qui mortis habebat imperium: * Ut liberaret eos, qui timore mortis obnoxii erant servituti.

Y. Unde debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret. Ut liberaret.

Lectio V.

Vide quomodo hoc flore rosae floruerit optima vitis nostra rubicundus Jesus. Vide totum corpus, sicubi rosae sanguineae florem non invenias. Inspice manum unam et alteram, si florem rosae non invenias in utraque. Inspice pedem unum, et alterum, numquid non rosei? Inspice lateris aper-

turam, quia nec illa caret rosa, quamvis ipsa sub-
rubea sit, propter mixturam aquae: quia, sicut nar-
rat Evangelista, cum unus militum lancea latus
ejus perforasset, exivit sanguis et aqua.

R. Per hominem mors, et per hominem resur-
rectio mortuorum: * Et sicut in Adam omnes pec-
caverunt, ita in Christo omnes vivificabuntur.

Y. Novissime autem inimica destruetur mors.
et sicut.

Ex eod. D. Bernardo Serm. de Pass. Domini.

Lecio VI.

Respice Domine sancte Pater de Sanctuario
tuo, et de excelso coelorum habitaculo: et intueri
hanc sacrosanctam Hostiam, quam tibi offert ma-
gnus Pontifex noster, sanctus puer tuos Dominus
Jesus, pro peccatis fratrum suorum, et esto plac-
abilis super multitudine malitiae nostrae. Cognosce
Pater tunicam filii tui Joseph: heu fera pessima
devoravit eum, et conculcavit in furore suo vesti-
mentum ejus: ecce quinque scissuras lamentabiles
in eo reliquit.

R. Videbimus Jesum propter passionem mor-
tis gloria, et honore coronatum: * Ut pro omnibus
gustaret mortem.

Y. Decebat eum, qui multos filios in gloriam
adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem
consumari: * Ut pro omnibus. Gloria Patri. Ut pro.

In III. Noct. *Antiph.* Quid sunt plagae istae
in medio manuum tuarum:

Psalmus 93.

Cantate Domino canticum novum: * Cantate
Domino omnis terra.

Cantate Domino et benedicite nomini ejus: * an-
nunciate de die in diem salutare ejus.

Annunciate inter gentes gloriam ejus, * in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis: terribilis est super omnes deos.

Quoniam omnes dii gentium daemonia: * Dominum autem coelos fecit.

Confessio et pulchritudo in conspectu ejus: * Sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino patriae gentium, afferte Domino gloriam et honorem: * afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, et introite in atria ejus: * adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur à facie ejus universa terra: * dicite in gentibus quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terrae, qui non commovebitur; judicabit populos in aequitate.

Laetentur coeli, et exultet terra, commoveatur mare, et plenitudo ejus: * gaudebunt campi, et omnia, quae in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum, à facie Domini, quia venit: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrae in aequitate, * et populos in veritate sua.

Antiph. Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum?

Antiph. His plagatus sum in domo eorum, qui me diligebant.

Psalmus 96.

Dominus regnavit, exultet terra: * laetentur insulae multae.

Nubes et caligo in circuitu ejus: * justitia, et judicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum praecedet, * et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terrae: * vidit, et commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini: * a facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt coeli justitiam ejus: * et viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, et qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum omnes Angeli ejus: * audivit, et laetata est Sion.

Et exultaverunt filiae Judae, * propter judicia tua Domine.

Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram: * nimis exaltatus es super omnes deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum: * custodit Dominus animas sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est justo, * et rectis corde laetitia.

Laetamini justi in Domino: * et confitemini memoriae sanctificationis ejus.

Antiph. His plagatus sum in domo eorum, qui me diligebant.

Antiph. In amaritudine sermo meus est, et manus plagae meae aggravata est super gemitum meum.

Psalmus 97.

Cantate Domino canticum novum: * quia mirabilia fecit.

Salvabit sibi dextera ejus, * et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum: * in conspectu gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiae suae, et veritatis suae domui Israel.

Viderunt omnes termini terrae: * salutare Dei nostri.

Jubilare Deo omnis terra: *cantate, et exultate, et psallite.

Psallite Domino in cithara, in cithara et voce psalmi: *in tubis ductilibus, et voce tubae corneae.

Jubilare in conspectu regis Domini: *moveatur mare, et plenitudo ejus; orbis terrarum, et qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt à conspectu Domini: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia, * et populos in aequitate.

Antiph. In amaritudine sermo meus est, et manus plagae meae aggravata est super gemitum meum.

V. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.

R. Attritus est propter scelera nostra.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. Cap. 19.

In illo tempore: sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur scriptura, dixit: Sitio. Et reliqua.

Homilia S. Cyrilli Episcopi Alexandrini. *Lib. 12.*
Comment. in Joann.

Cum ab immanibus Judaeis omnis in Christum expleta esset impietas, nec quicquam jam ad summam crudelitatem reliquum esset, ad extremum caro Christi sanctissima proprium quiddam, ac naturale rursus patitur. Multis enim, ac variis doloribus exsiccata, siti torquetur. Graves siquidem dolores maguam ad sitim commovendam vim habent, naturali quodam, et inexplicabili calore humidum consumentes, et igneis adoribus praecordia urentes.

R. Manifestata est gratia Dei per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi: * Qui destruxit mortem, illuminavit autem vitam in incorruptionem.

V. Liberavit, et vocavit nos vocatione sua sancta per gratiam, quae data est nobis in Christo. Qui destruxit.

Bened. Divinum auxilium.

Lectio VIII.

Consummatum esse ait impietatis Judaicae modum, et impotentem saeviendi animum. Quid enim Judaei intentatum reliquerunt, aut quid non extremae crudelitatis adhibuerunt? Quod supplicii, aut contumeliae genus praetermiserunt? Quamobrem jure, consummatum est, ait, sed hora jam eum ad praedicandum spiritibus, qui apud inferos erant, invitante (advenit enim, ut mortuorum, ac vivorum dominaretur) ipsam pro nobis mortem suscepit, communem hanc naturae nostrae passionem sustinuit in carne sua.

R. Dignus es Domine accipere librum, et aperire signacula ejus, quoniam occisus es, et redemisti nos Deo: * In sanguine tuo.

V. Fecisti enim vos Deo nostro regnum, et Sacerdotes. In sanguine. Gloria Patri. In sanguine.

Lectio IX.

Legitur de Homilia Feriae occurrentis. Post nonam Lectionem dicitur: Te Deum.

Ad Laudes et per Horas.

Antiph. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.

Psalm. Dominus regnavit, cum reliquis de Laud. Dominicae ut in Psalterio.

Antiph. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.

Antiph. Alligavit Dominus plagam populi sui, et percussuram ejus sanavit.

Antiph. Omnis, qui transibit, stupebit super omnes plagas ejus.

Antiph. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, et videte, si est dolor sicut dolor mens.

Capitulum *Isaiae* 53.

Christus vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra, cujus livore sanati sumus.

Hymnus. Lustra sex qui jam peregit, *ut in Laud. Dominicae Passionis.*

V. Videbunt, in quem transfixerunt.

R. Et dolebunt super eum, ut in morte Primogeniti.

Ad Benedictus. *Antiph.* Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.

ORATIO, *ut supra in primis Vesp.*

Ad Primam.

In R. br. Qui vulneratus es pro homine.

Ad Tertiam.

Antiph. Ipse autem. *Capitulum.* Christus vulneratus est, *ut supra.*

R. br. Foderunt manus meas: * Et pedes meos. Foderunt.

V. Dinumeraverunt omnia ossa mea. Et pedes. Gloria. Foderunt.

V. O vos omnes, qui transitis per viam.

R. Attendite, et videte dolorem meum.

Ad Sextam.

Antiph. Alligavit Dominus.

Capitulum. *Isaiae* 50.

Faciem meam non averti ab increpantibus, et conspuentibus in me: Dominus Deus auxiliator meus, ideo non sum confusus.

R. br. Vere languores nostros. * Ipse tulit Vere languores.

V. Et dolores nostros ipse portavit. Ipse tulit. Gloria Patri. Vere languores.

V. Disciplina pacis nostrae super eum.

R. Et livore ejus sanati sumus.

Ad Nonam.

Antiph. O vos omnes.

Capitulum. *Isaiae* 53.

Tradidit Christus in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est, et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.

R. br. Ipse vulneratus est. * Propter iniquitates nostras. Ipse.

V. Attritus est propter scelera nostra. Propter iniquitates. Gloria. Ipse vulneratus.

V. Oblatus est, quia ipse voluit.

R. Et non aperuit os suum.

In secundis Vesperis. Antiph. Vere languores, cum reliq. de laud. Psalmi, Capitulum, Hymnus et **V.** ut in primis Vesperis.

Ad Magnificat. *Antiph.*


Ego sum vestra redemptio: manus meae, quae vos fecerunt, clavis confixae sunt: propter vos flagellis caesus, et spinis coronatus sum, aquam petii pendens, et acetum porrexerunt: in escam meam fel dederunt, et in latus lanceam: mortuus, et sepultus resurrexi: vobiscum sum, et vivo in aeternum.

ORATIO, *ut supra in primis Vesperis.*

Elogium hujusce Festi in Martyrologio pronuntiandum.

Festum sacrorum quinque vulnerum Domini nostri Jesu Christi.

Missa SS. quinque Vulnerum D. N. Jesu Christi. Reperitur tam in novo quam in antiquo Missali pag. XLV. sub Rubrico: Missa de Passione D. N. Jesu Christi, praeter Orationes.



Tertia ex Sextis Feriis Mensis Martii.

Officium

PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. JESU CHRISTI.

DUPLEX 1. Classis.

Ad Vesperas. Antiphona.

Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Iste formosus in stola sua.

Psalmi ut in Domin. sed loco ultimi dicitur: Psalm. 116. Laudate Dominum omnes gentes.

Antiph. Ego, qui loquor justitiam, et propugnator sum ad salvandum.

Antiphona. Vestitus erat veste aspersa sanguine et vocatur nomen ejus Verbum Dei.

Antiph. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua, sicut calcantium in torculari?

Antiph. Torcular calcavi solus, et de gentibus non est vir mecum.

Capitulum. *Hebr. 9. cap.*

Fratres, Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa.

R. Deo gratias.

Hymnus.

Festivis resonent compita vocibus;
Cives laetitiam frontibus explicent:
Taedis flammiferis ordine prodeant
Instructi pueri et senes.

Quem dura moriens Christus in arbore,
Pudit multiplici vulnere sanguinem;
Nos facti memores dum colimus, decet
Saltem fundere lacrymas.

Humano generi pernicies gravis
Adami veteris crimine contigit:
Adami integritas et pietas novi
Vitam reddidit omnibus.

Clamorem validum summus ab Aethere
Languentis geniti si Pater audiit,
Placari potius sanguine debuit,
Et nobis veniam dare.

Hoc quicumque stolam sanguine proluit
Abstergit maculas; et roseum decus,
Quo fiat similia protinus Angelis,
Et Regi placeat, capitū.

A recto instabilis tramite postmodum
Se nullus retrahat; meta sed ultima
Tangatur; tribuet nobile praemium,
Qui cursum Deus adjuvat.

Nobis propitius sis Genitor potens,
Ut quos Unigeniti sanguine Filii
Emisti, et placido flamine recreas,
Coeli ad culmina transferas. Amen.

Y. Redemisti nos Domine in sanguine tuo.

R. Et fecisti nos Deo nostro Regnum.

Ad Magnificat.

Antiph. Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem coelestem, et testamenti novi mediatorem Jesum, et sanguinis asperisionem meliusloquentem, quam Abel.

O R A T I O.

Omnipotens sempiterne Deus, qui unigenitam Filium tuum mundi Redemptorem constituisti, ac ejus sanguine placari voluisti: concede, quaesumus, salutis nostrae pretium solemni cultu ita venerari, atque a praesentis vitae malis ejus virtute defendi in terris, ut fructu perpetuo laetemur in coelis. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus saucti Deus etc.

Et fit commemoratio feriae.

Ad Matutinum.

Invitat. Christum Dei Filium, qui suo nos redemit sanguine. * Venite, adoremus.

Psalm. Venite, exultemus.

Hymnus.

Ira justa conditoris,
Imbre, aquarum vindice,
Criminosum mersit orbem,
Noe in Arca sospite:
Mira tandem vis amoris
Lavit orbem sanguine.

Tam salubri terra felix
Irrigata pluvia,
Ante spinis quae scatebat,
Germinabit flosculos:
Inque nectaris saporem
Transiere absynthia.

Triste protinus venenum
 Dirus anguis posuit,
 Et cruenta belluarm
 Desiit ferocia:
 Mitis agni vulnerati
 Haec fuit victoria.

O scientiae supernae,
 Altitudo impervia!
 O suavitas benigni
 Praedicanda pectoris!
 Servus erat morte dignus,
 Rex luit poenam optimus.

Quando culpa provocamus,
 Ultionem Judicis,
 Tunc loquentis protegatur
 Sanguinis praesentia:
 Ingruentium malorum
 Tunc recedant agmina.

Te redemptus gaudet orbis,
 Grata servans munera,
 O salutis sempiternae
 Dux, et auctor inclyte,
 Qui tenes beata regna
 Cum Parente, et Spiritu. Amen.

In I. Nocturno.

Antiph. Postquam consummati sunt dies octo,
 ut circumcideretur Puer, vocatum est nomen ejus
 Jesus.

Psalmus 2.

Quare fremuerunt gentes: * et populi meditati
 sunt inania?

Astiterunt reges terrae, et principes conven-
 erunt in unum: * adversus Domium, et adversus
 Christum ejus.

Dirumpamus vincula eorum: et projiciamus a
 nobis jugum ipsorum.

Qui habitat in coelis, irridebit eos: * et Domi-
 nus subsannabit eos.

Tunc loquetur ad eos in ira sua: * et in furore suo conturbabit eos.

Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus: * praedicans praeceptum ejus.

Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam: * et possessionem tuam terminos terrae.

Reges eos in virga ferrea: * et tamquam vas figuli confringes eos.

Et nunc reges intelligite: * erudimini qui iudicatis terram.

Servite Domino in timore: * et exultate ei cum tremore.

Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus: * et pereatis de via justa.

Cum exarserit in brevi ira ejus: * beati omnes, qui confidunt in eo.

Antiph. Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer, vocatum est nomen ejus Jesus.

Antiph. Factus in agonia, prolixius orabat, et factus est sudor ejus, sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.

Psalmus 3.

Domine quid multiplicati sunt, qui tribulant me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animae meae: * Non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Domine susceptor meus es: * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum: * et exurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me
 * exurge Domine, salvum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi
 sine causa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus: * et super populum tuum benedictio tua.

Antiph. Factus in agonia prolixius orabat, et factus est sudor ejus, sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.

Antiph. Judas, qui eum tradidit, poenitentia ductus, retulit triginta argenteos, dicens: peccavi tradens sanguinem justum.

Psalmus 15.

Conserva me Domine, quoniam speravi in te:
 * dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.

Sanctis, qui sunt in terra ejus: mirificavit omnes voluntates meas in eis.

Multiplicatae sunt infirmitates eorum: * postea acceleraverunt.

Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus: * nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Domini pars haereditatis meae, et calicis mei:
 * tu es, qui restitues haereditatem meam mihi.

Funes ceciderunt mihi in praeclaris: * etenim haereditas mea praeclara est mihi.

Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum: * insuper et usque ad noctem increpauerunt me renes mei.

Providebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam a dextris est mihi, ne commovear.

Propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea: * insuper et caro mea requiescet in spe.

Quoniam non derelinques animam meam in in-

ferno: * nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

Notas mihi fecisti vias vitae, adimplebis me laetitia cum vultu tuo: * delectationes in dextra tua usque in finem.

Antiph. Judas, qui eum tradidit, poenitentia ductus, retulit triginta argenteos, dicens: Peccavi tradens sanguinem justum.

V. Redemisti nos Domine.

R. In sanguine tuo.

Lectio I.

De Epistola beati Pauli Apostoli *ad Hebraeos*
Cap. 9.

Christus assistens Pontifex futurorum bonorum per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa. Si enim sanguis hircorum et taurorum et cinis vitulae aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi? Et ideo novi testamenti mediator est; ut, morte intercedente, in redemptionem earum praevaricationum, quae erant sub priori testamento, repromissionem accipiant qui vocati sunt, aeternae haereditatis.

R. Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est: * Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes.

V. Nondum enim usque ad sanguinem restititis adversus peccatum repugnantes. Exeamus igitur.

Lectio II.

Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est. Unde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est. Lecto enim omni mandato legis a Moyse universo populo, accipiens sanguinem vitulorum, et hircorum cum aqua et lana coccinea, et hyssopo, ipsum quoque librum, et omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus. Etiam tabernaculum, et omnia vasa ministerii sanguine similiter aspersit. Et omnia pene in sanguine secundum legem mundantur; et sine sanguinis effusione non fit remissio.

R. Moyses sumptum sanguinem respersit in populum. * Et ait: Hic est sanguis foederis, quod pepigit Dominus vobiscum.

V. Fide celebravit Pascha, et sanguinis effusione; ne qui vastabat primitiva, tangeret eos. Et ait: Hic est.

Lectio III.

Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam, et viventem per velamen, id est carmen suam, et Sacerdotem magnum super domum Dei, accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda, teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem (fidelis enim est, qui repromisit), et consideremus invicem in provocationem charitatis, et bonorum operum.

R. Vos, qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi: * Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum.

Y. Complacuit per enim reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt. Ipse enim. Gloria Patri. Ipse enim.

In II. Nocturno.

Antiph. Pilatus volens populo satisfacere, tradidit illis Jesum flagellis caesum.

Psalmus 22.

Dominus regit me, et nihil mihi deerit: * in loco pascuae ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me: * animam meam convertit.

Deduxit me super semitas justitiae: propter nomen suum.

Nam etsi ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala: * quoniam tu mecum es.

Virga tua, et baculus tuus: * ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam: * adversus eos, qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum: * et calix meus inebrians quam praeclarus est.

Et misericordia tua subsequetur me: * omnibus diebus vitae meae.

Et ut inhabitem in domo Domini: * in longitudinem dierum.

Antiph. Pilatus volens populo satisfacere, tradidit illis Jesum flagellis caesum.

Antiph. Videns autem, quia nihil proficeret, accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a sanguine justorum hujus.

Psalmus 29.

Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me:
* nec delectasti inimicos meos super me.

Domine Deus meus clamavi ad te: * et sanasti me.

Domine eduxisti ab inferno animam meam: * salvasti me a descendentibus in lacum.

Psallite Domino sancti ejus: * et confitemini memoriae sanctitatis ejus.

Quoniam ira in indignatione ejus: * et vita in voluntate ejus.

Ad vesperum demorabitur fletus: * et ad matutinum laetitia.

Ego autem dixi in abundantia mea: * non movebor in aeternum.

Domine in voluntate tua: * praestitisti decori meo virtutem.

Avertisti faciem tuam a me: * et factus sum conturbatus.

Ad te Domine clamabo: * et ad Deum meum deprecabor.

Quae utilitas in sanguine meo: * dum descendo in corruptionem?

Numquid confitebitur tibi pulvis: * aut annuntiabit veritatem tuam?

Audivit Dominus, et misertus est mei: * Dominus factus est adjutor meus.

Convertisti planctum meum in gaudium mihi: * Conscidisti saccum meum, et circumdedisti me laetitia.

Ut cantet tibi gloria mea, et non compungar: * Domine Deus meus in aeternum confitebor tibi.

Antiph. Videns autem, quia nihil proficeret, accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a sanguine justi hujus.

Antiph. Et respondens universus populus, dixit: Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.

Psalmus 63.

Exaudi Deus orationem meam, cum deprecor: * a timore inimici eripe animam meam.

Protexisti me a conventu malignantium: a multitudine operantium iniquitatem.

Quia exacuerunt ut gladium linguas suas: * intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Subito sagittabunt eum, et non timebunt: firma-verunt sibi sermonem nequam.

Narraverunt ut absconderent laqueos: * dixerunt: Quis videbit eos.

Scrutati sunt iniquitates: * defecerunt scrutantes scrutiny.

Accedet homo ad cor altum: * et exaltabitur Deus.

Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum: * et infirmatae sunt contra eos linguae eorum.

Conturbati sunt omnes qui videbant eos: * et timuit omnis homo.

Et annuntiaverunt opera Dei: * et facta ejus intellexerunt.

Laetabitur justus in Domino, et sperabit in eo: * et laudabuntur omnes recti corde.

Antiph. Et respondens universus populus, dixit: Sanguis ejus super nos, et super filios nostros.

V. Sanguis Jesu Christi Filii Dei.

R. Emundat nos ab omni peccato.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.

Lectio IV.

Vultis sanguinis Christi audire virtutem? redeamus ad ejus exemplum, et primorum typum recordemur, et pristinam scripturam narremus. In Aegypto, nocte media, Aegyptiis Deus plagam decimam minabatur, ut eorum primogenita deperirent, quia primogenitum ejus populum detinebant. Sed ne amata plebs Judaeorum una cum illis periclitaretur, quia unus locus continebat universos, reme-

dium discretionis inventum est. Proinde exemplum mirabile, ut discas in veritate virtutem: Ira divinae indignationis sperabatur; et domos singulos mortifer circuibat. Quid igitur Moyses? Occidite, inquit, agnum amiculum, et sanguine ejus limite januas. Quid ais Moyses? Sanguis ovis rationalem hominem liberare consuevit? Valde, inquit, non eo quod sanguis est, sed quia Dominici sanguinis per eum demonstraretur exemplum.

R. In timore incolatus vestri conversamini: * Scientes, quod non corruptilibus, auro, vel argento redempti estis.

Y. Sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi. Scientes.

Lectio V.

Nam sicut Regnantium statuae, quae siue causa sunt, et sermone, non nunquam ad se confugientibus hominibus, anima et ratione decoratis, subvenire consueverunt, non quia sunt aere confectae, sed quia retinent imaginem principalem: Ita et sanguis ille, qui irrationalis fuit, animas habentes homines liberavit: non quia sanguis fuit, sed quia hujus sanguinis ostendebat adventum. Et tunc Angelus ille vastator, cum limitos postes atque aditus pervideret, transjecit gressus, et non est ausus intrare. Nunc ergo si viderit inimicus, non postibus impositum sanguinem Typi, sed fidelium ore lucentem sanguinem veritatis Christi templi postibus dedicatum, multo magis se subtrahet. Si enim Angelus cessit exemplo, quanto magis terrebitur inimicus, si ipsam perspexerit veritatem? Vis et aliam hujus sanguinis scrutari virtutem? volo; unde primum cucurrit, inspicias, et de quo fonte manavit. De ipsa primum cruce, processit: latus illud Dominicum initium fuit. Mortuo enim, ait, Jesu, et adhuc in cruce pendente, approximat miles: la-

tus lancea percussit, et exinde aqua fluxit, et sanguis. Unum baptismatis symbolum, aliud Sacramenti. Ideo non ait: exiit sanguis et aqua; sed exiit aqua primum, et sanguis: quia primum baptismo diluimur, et postea mysterio dedicamur.

R. Empti estis pretio magno: * Glorificate, et portate Deum in corpore vestro.

Y. Pretio empti estis: nolite fieri servi hominum. Glorificate.

Lectio VI.

Latus miles aperuit, et templi sancti parietem patefecit. Et ego thesaurum praeclarum iuveni, et fulgentes divitias me gratulor reperire: Sic et de illo agno factum est. Iudaei ovem occiderunt, et ego fructum de Sacramento cognovi. De latere sanguis, et aqua. Nolo tam facile, auditor, transeas, tanti secreta mysterii. Restat enim mihi mystica atque secretalis oratio. Dixi baptismatis symbolum et mysteriorum, aquam illam et sanguinem demonstrare. Ex his enim sancta fundata est Ecclesia per lavacri regenerationem, et renovationem Spiritus sancti. Per baptismum, inquam, et mysteria, quae ex latere videntur esse prolata. Ex latere igitur suo Christus aedificavit Ecclesiam, sicut de latere Adam ejus conjux Heva prolata est. Nam hac de causa Paulus quoque testatur, dicens: de corpore ejus, et de ossibus ejus sumus: latus videlicet illud significans. Nam sicut de illo latere Deus fecit foeminam procreari: Sic et de suo latere, Christus aquam nobis et sanguinem dedit, unde repararetur Ecclesia.

R. Commendat charitatem suam Deus in nobis; * Quoniam cum adhuc peccatores essemus, secundum tempus, Christus pro nobis mortuus est.

Y. Multo igitur magis nunc justificati in san-

guine ipsius, salvi erimus ab ira per ipsum. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

In III. Nocturno.

Antiph. Exivit ergo Jesus, portans coronam spineam et purpureum vestimentum, et dicit eis: Ecce Homo.

Psalmus 73.

Ut quid Deus repulisti in finem: * iratus est furor tuus super oves pascuae tuae?

Memor esto congregationis tuae: * quam possedisti ab initio.

Redemisti virgam haereditatis tuae: * mons Sion, in quo habitasti in eo.

Leva manus tuas in superbias eorum in finem: quanta malignatus est inimicus in sancto?

Et gloriati sunt qui oderunt te: * in medio sollemnitatis tuae.

Posuerunt signa sua, signa: * et non cognoverunt sicut in exitu super summum.

Quasi in silva lignorum securibus exciderunt januas ejus in idipsum: * in securi et ascia dejecerunt eam.

Incenderunt igni Sanctuarium tuum: * in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.

Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul: * quiescere faciamus omnes dies festos Dei a terra.

Signa nostra non vidimus, jam non est Propheta: * et nos non cognoscet amplius.

Usquequo Deus improperebit inimicus: * irritat adversarius nomen tuum in finem.

Ut quid avertis manum tuam, et dexteram tuam: * de medio sinu tuo in finem?

Deus autem Rex noster ante saecula: operatus est salutem in medio terrae.

Tu confirmasti in virtute tua mare: * contribulasti capita draconum in aquis.

Tu confregisti capita draconis: * dedisti eum escam populis Aethiopum.

Tu dirupisti fontes, et torrentes: * tu siccasti fluvios Ethan.

Tuus est dies, et tua est nox: * tu fabricatus es auroram et solem.

Tu fecisti omnes terminos terrae: * aestatem et ver, tu plasmasti ea.

Memor esto hujus, inimicus improperavit Domino; * et populus insipiens incitavit nomen tuum.

Ne tradas bestiis animas consistentes tibi, * et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

Respice in testamentum tuum: * quia repleti sunt, qui obscurati sunt terrae domibus iniquitatum.

Ne avertatur humilis factus confusus: * pauper et inops laudabunt nomen tuum.

Exurge Deus, judica causam tuam; * memor esto improperiorum tuorum, eorum, quae ab insipiente sunt tota die.

Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum: * superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.

Antiph. Exivit ergo Jesus, portans coronam spineam, et purpureum vestimentum et dicit eis: Ecce Homo.

Antiph. Et bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariae locum: ubi crucifixerunt eum.

Psalmus 87.

Domine Deus salutis meae: * in die clamavi, et nocte coram te.

Intret in conspectu tuo oratio mea: * inclina aurem tuam ad precem meam.

Quia repleta est malis anima mea: * et vita mea inferno appropinquavit.

Aestimatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber.

Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius: * et ipsi de manu tua repulsi sunt.

Posuerunt me in lacu inferiori: * in tenebrosis, et in umbra mortis.

Super me confirmatus est furor tuus: * et omnes fluctus tuos induxisti super me.

Longe fecisti notos meos a me: * posuerunt me obominationem sibi.

Traditus sum, et non egrediebar: * oculi mei languerunt prae inopia.

Clamavi ad te Domine tota die: * expandi ad te manus meas.

Numquid mortuis facies mirabilia: aut medici suscitabunt, et confitebuntur tibi?

Numquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, * et veritatem tuam in perditione.

Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua, * et justitia tua in terra oblivionis.

Et ego ad te Domine clamavi, * et mane oratio mea praeveniet te.

Ut quid Domine repellis orationem meam: avertis faciem tuam a me?

Pauper sum ego, et in laboribus a juventute mea: * exaltatus autem, humiliatus sum, et conturbatus.

In me transierunt irae tuae: * et terrores tui conturbaverunt me.

Circumdederunt me sicut aqua tota die: circumdederunt me simul.

Elongasti a me amicum et proximum, * et notos meos a miseria.

Antiph. Et bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariae locum: ubi crucifixerunt eum.

Antiph. Ut viderunt eum jam mortuum, non

fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.

Psalmus 93.

Deus ultionum Dominus: * Deus ultionum libere egit.

Exaltare qui judicas terram: * redde retributionem superbis.

Usquequo peccatores Domine, * usquequo peccatores gloriabuntur.

Effabuntur et loquentur iniquitatem: * loquentur omnes, qui operantur injustitiam?

Populum tuum Domine humiliaverunt: * et hereditatem tuam vexaverunt.

Viduam et advenam interfecerunt: et pupillos occiderunt.

Et dixerunt: Non videbit Dominus: * nec intelliget Deus Jacob.

Intelligite insipientes in populo: * et stulti aliquando sapite.

Qui plantavit aurem, non audiet? * aut qui finxit oculum, non considerat?

Qui corripit gentes, non arguet? * qui docet hominem scientiam.

Dominus scit cogitationes hominum, * quoniam vanae sunt.

Beatus homo, quem tu erudieris Domine, * et de lege tua docueris eum.

Ut mitiges ei a diebus malis: * donec sodiatur peccatori fovea.

Quia non repellet Dominus plebem suam: * et hereditatem suam non derelinquet.

Quoadusque justitia convertatur in iudicium: * et qui juxta illam omnes, qui recto sunt corde.

Quis consurget mihi adversus malignantes? aut quis stabit mecum adversus operantes iniquitatem?

Nisi quia Dominus adjuvit me: * paulominus habitasset in inferno anima mea.

Si dicebam: Motus est pes meus: * misericordia tua Domine adjuvabat me.

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo: * consolationes tuae laetificaverunt animam meam.

Numquid adhaeret tibi sedes iniquitatis: qui fingis laborem in praecepto?

Captabunt in animam iusti: * et sanguinem innocentem condemnabunt.

Et factus est mihi Dominus in refugium: * et Deus meus in adiutorium spei meae.

Et reddet illis iniquitatem ipsorum, et in malitia eorum disperdet eos: * disperdet illos Domine Deus noster.

Antiph. Ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.

V. Christus dilexit nos.

R. Et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. Cap. 16.

In illo tempore: cum accepisset Jesus acetum, dixit, consummatum est. Et inclinato capite, tradidit spiritum. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Tract. 120. in Joann.

Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret: Latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud, sed aperuit: ut illic quodammodo vitae ostium panderetur, unde Sacramenta Ecclesiae manaverunt, sine quibus ad vitam, quae vera vita est, non intratur. Ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum: Aqua illa salutare temperat

poculum, haec et lavacrum praestat et potum. Hoc praenunciabat, quod Noe in latere Arcae ostium facere jussus est, qua intrarent animalia, quae non erant diluvio peritura, quibus praefigurabatur Ecclesia. Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis, et appellata est vita, materque vivorum; magnum quippe significavit bonum, ante magnum praevaricationis malum. Hic secundus Adam inclinato capite in cruce dormivit: ut inde formaretur ei conjux, quod de latere dormientes effluxit. O mors, unde mortui reviviscunt! Quid isto sanguine mundius? Quid vulnere isto salubrius?

R. Hic est, qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus: * Non in aqua solum, sed in aqua et sanguine.

Y. In die illa erit fons patens domui David, et habitantibus Jerusalem, in ablutionem peccatoris. Non in aqua.

Lectio VIII.

Tenebantur homines captivi sub diabolo, et daemonibus serviebant. Sed redempti sunt captivitate: vendere enim se potuerunt, sed redimere non potuerunt. Venit Redemptor, et dedit pretium: Fudit sanguinem suum, et emit orbem terrarum. Quaeritis, quid emerit? Videte, quid dederit, et invenietis quid emerit. §. Sanguis Christi pretium est: tanti quid valet? Quid, nisi totus orbis? Quid, nisi omnes gentes? Valde ingrati sunt pretio suo; aut multum superbi sunt, qui dicunt, aut illud tam parvum est, ut solos Afros emerit, aut se tam magnos esse, pro quibus solis illud sit datum. Non ergo exultent, non superbiant: pro toto dedit, quantum dedit.

R. Praedestinavit nos Deus in adoptionem filio-

rum per Jesum Christum: * In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus.

V. Remissionem peccatorum secundum divitias gratiae ejus, quae superabundabit in nobis. In quo. Gloria Patri. In quo.

Nona Lectio Homiliae, et commemoratio Ferialae. Extra quadrag. 9. Lect. divid. ad §.

Ad Laudes et per Horas.

Antiph. Hi, qui amicti sunt stolis albis, qui sunt, et unde venerunt.

Psalmi de Dominica.

Antiph. Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas in sanguine Agni.

Antiph. Ideo sunt ante Thronum Dei, et serviunt ei die et nocte.

Antiph. Et ipsi vicerunt draconem propter sanguinem Agni, et propter testamentum verbi sui.

Antiph. Beati, qui lavant stolas suas in sanguine Agni.

Capitulum. *Hebr. 9. Cap.*

Fratres, Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum; sed per proprium sanguinem introivit semel in sancta, aeterna redemptione inventa.

Hymnus.

Salvete Christi vulnera,
Immensi amoris pignora,
Quibus perennes rivuli
Manant rubentis sanguinis.

Nitore stellas vincitis,
Rosas adore, et balsama,
Pretio lapillos indicos,
Mellis favos dulcedine.

Per vos patet gratissimum
Nostriſ asy lum mentibus;
Non huc furor minantium
Unquam penetrat hostium.

Quot Jesus in Praetorio
Flagella nudus excipit!
Quot scissa pellis undique
Stillat cruoris guttulas.

Frontem venustam, proh dolor!
Corona pungit spinea,
Clavi retusa cuspide
Pedes manusque perforant.

Postquam sed ille tradidit
Amans, volensque Spiritum,
Pectus feritur lancea,
Geminusque liquor exilit.

Ut plena sit redemptio,
Sub torculari stringitur,
Sique Jesus inmemor,
Sibi nil reservat sanguinis.

Venite quotquot criminum
Funesta labes inficit:
In hoc salutis balneo,
Qui se lavat, mundabitur.

Summi ad Parentes dexteram
Sedenti habenda est gratia,
Qui nos redemit sanguine,
Sanctoque firmat Spiritu. Amen.

Y. Justificati in sanguine Christi.

R. Salvi erimus ab ira per ipsum.

Ad Benedictus.

Antiph. Erit sanguis Agni vobis in signum dicit Dominus: Et videbo sanguinem, et transibo vos, nec erit in vobis plaga disperdens.

O R A T I O.

Omnipotens sempiterne Deus, qui unigenitum
Filiu tuu mundi Redemptoru constituisti, ac

ejus sanguine placari voluisti: concede, quaesumus, salutis nostrae pretium solemni cultu ita venerari, atque a praesentis vitae malis ejus virtute defendi in terris; ut fructu perpetuo laetemur in coelis. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

Et fit commemoratio Feriae.

Ad Primam in Respons. brev. Y. Qui tuo nos sanguine redemisti.

Ad Tertiam.

Antiph. Hi sunt, qui venerunt.

Capitulum.

Fratres, Christus assistens, *ut supra.*

*R. br. Redemisti nos Domine. * In sanguine tuo. Redemisti.*

Y. Ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione. In sanguine tuo. Gloria Patri. Redemisti.

Y. Sanguis Jesu Christi Filii Dei.

R. Emundat vos ab omni peccato.

Ad Sextam.

Antiph. Ideo sunt.

Capitulum. Hebr. 9. cap.

Si sanguis hircorum, et taurorum, et cinis vitulae aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi.

*R. br. Sanguis Jesu Christi Filii Dei, * emundat nos. Sanguis.*

Y. Ab omni peccato. Emundat nos. Gloria Patri. Sanguis.

Y. Christus dilexit nos.

R. Et lavit nos in sanguine suo.

Ad Nonam.

Antiph. Beati.

Capitulum. *Hebr. 9. Cap.*

Accipiens Moyses sanguinem vitulorum et hircorum, cum aqua, et lana coccinea, et hyssopo, ipsum quoque librum, et omnem populum aspersit, dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus.

R. br. Christus dilexit nos, et lavit nos, * In sanguine suo.

V. Et fecit nos Regnum, et Sacerdotes Deo et Patri. In sanguine suo. Gloria Patri. Christus.

V. Justificati in sanguine Christi.

R. Salvi erimus ab ira per ipsum.

In secundis Vesperis Antiphonae, Psalmi, et Hymnus, ut in primis; sed loco ultimi Psalm. dicatur Psalm. 147. Lauda Jerusalem Dominum.

V. Te ergo, quaesumus, tuis famulis subveni.

R. Quos pretioso sanguine redemisti.

Ad Magificat.

Antiph. Habebitis autem hunc diem in monumentum: et celebrabitis eum solemnem Domino in generationibus vestris, cultu sempiterno.

O R A T I O.

Omnipotens sempiterne Deus, qui unigenitum Filium tuum mundi Redemptorem constituisti, ac ejus sanguine placari voluisti: concede, quaesumus salutis nostrae pretium solemni cultu ita venerari, atque a praesentis vitae malis ejus virtute defendi in terris; ut fructu perpetuo laetemur in coelis. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus etc.

Et fit commemoratio Feriae.

IN FESTO SACRAE SPINEAE CORONAE D. N. JESU CHRISTI.

DUPLEX MAJUS. *Feria secunda post Dominicam Passionis celebrandum.*

Ad Vesperas.

Antiph. Milites Praesidis, cum reliquis de laudibus.

Psalm. Dixit Dominus. cum reliquis *Psalm.* de Dominica, et loco ultimi *Psalmi*: Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum Cant. 3.

Egredimini, et videte filiae Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum Mater sua in die desponsationis illius, et in die laetitiae cordis ejus.

Hymnus.

Vexilla Regis prodeunt. *Ut in praecedenti Dominica Passionis.*

V. Tuam Coronam adoramus Domine.

R. Tuam gloriosam recolimus Passionem.

Ad Magnificat.

Antiph. Apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit, et milites plectentes Coronam de spinis imposuerunt capiti ejus, et veste purpurea circumdederunt eum.

O R A T I O.

Dens, qui unigenitum tuum in passione sua spinea corona decorari, et Regem adorari voluisti, da nobis quaesumus, obpiam venerationem sacrae illius

opineae Coronae in coelesti ejus regno coronam gloriae suae, et aeterni Regis Majestatem perpetuo contemplari. Per eundem.

Et fit Comm. Dominicae praec. vel Feriae.

Ad Matutinum.

Invitat. Christum Regem pro nobis spinis coronatum. * Venite adoremus.

Psalm. Venite exulemus.

Hymnus.

Pange lingua, gloriosi. *Ut praecedenti Dominica.*

In I. Nocturno. *Antiph.* Maledicta terra in opere suo, spinas, et tribulos germinabit tibi.

Psalm 1. Beatus vir, cum reliquis ut in *Breviario de Communi unius Martyris.*

Antiph. Qui cogitaverunt malitias in corde, tota die constituebant praelia.

Psalm 2. Quare fremuerunt gentes.

Antiph. Omnes, qui videbant me, aspernabantur me, locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Psalm. 3. Domine quid multiplicati sunt.

V. Tuam Coronam adoramus Domine.

R. Tuam gloriosam recolimus passionem.

De Isaia Propheta. Lectio I. Cap. 53.

Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitiendi. Non est species ei, neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus, et desideravimus eum: Despectum, et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus ejus, et despectus, unde nec reputavimus eum.

R. Ecce vidimus eum non habentem speciem, neque decorem, aspectus ejus in eo non est, hic

peccata nostra portavit, et pro nobis dolet; ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras. Cujus livore sanati sumus.

R. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Cujus.

Lectio II.

Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: Et uos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum. Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra; disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.

R. Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? * Et dicet: his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me.

V. Framea suscitare super pastorem meum, et super virum cohaerentem mihi. Et dicet.

De Zacharia Propheta. Cap. 12 et 13.

Lectio III.

Et erit in die illa, quaeram contere omnes gentes, quae veniunt contra Jerusalem. Et effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem spiritum gratiae et precum: et aspicient ad me, quem confixerunt: et plangent eum planctu quasi Unigenitum, et dolebunt super eum, ut doli solet in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Jerusalem. Et dicetur ei: quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum? et dicet: his plagatus sum in domo eorum, qui diligebant me. Framea suscitare super pastorem meum,

et super virum cohaerentem mihi, dicit Dominus exercituum: percutite pastorem, et dispergentur oves: et convertam manum meam ad parvulos.

R. Tuam coronam spineam veneramur Domine, tuam gloriosam recolimus passionem. * Miserere nobis, qui passus es pro nobis.

Y. Salva praesentem catervam in tuis hodie laudibus congregatam. Miserere nobis. Gloria Patri. Miserere nobis.

In II. Nocturno. *Antiph.* Pro frumento ortus est mihi tribulus, et pro hordeo spina.

Psalm. 4. Cum invocarem. *ut in 2. Nocturno de Communi unius Martyris.*

Antiph. Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum.

Psalm. 5. Verba mea.

Antiph. Qui timetis Dominum, laudate eum; universum semen Jacob magnificate eum.

Psalm. 8. Domine Dominus noster.

Y. Gloria, et honore coronasti eum Domine.

R. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Ex Tractatu S. Athanasii in Passione Domini.

Lecio IV.

Cum exueretur Dominus, eo ipso invisibiliter erigebatur de diabolo trophaeum, et quo illud manifestum fieret, narratur a Joanne indutus fuisse purpura; a Matthaeo vero Chlamide coccinea, coronamque illi ex spinis super caput esse positam, et calamus in manus datum; et ita eum cum produxissent, genibus flexis adorasse. Miraculum novum, et incredibile, et magnae sine dubio victoriae insigne: quem enim ut hominem condemnarent, eum mortuum deinde ut Deum adoraverunt; et quem aspernabantur ut vilem, et contemptibilem,

eum confitebantur Regem, cui tunicam, et vestem detraxerant, eum purpura circumdederunt, et quem ignorantes contumeliis afficiebant, eum Prophetam etiam nolentes appellaverunt; et quem per ludibrium subsanuatiouemque pulsabant, ei triumphalia addiderunt ornamenta coccineam Chlamidem, et calamum. Nam tametsi ea quasi per contumeliam agebant, efficiebatur tamen iude, ut ab eo latenter spoliaretur.

R. Corona aurea super caput ejus. *Expressa signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudinis.

Y. Quoniam praeuenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Expressa signo etc.

Sermo S. Ambrosii Episcopi.

Sermo 34. qui est 4. de S. Cypriano; adscriptus et S. Maximo.

Lectio V.

Videamus diligenter, ne ex palmite operis nostri non nascatur dulcedinis uva, sed fellis: ne dicatur nobis, quod Judaeis dictum est per Prophetam: Sustinui ut faceret uvam, fecit autem spinas, et non justitiam, sed clamorem. Quam dura conditio, ut possessio, quae Domino suo suavitatis fructus afferre debuit, spinarum illum asperitate compunxerit! Hoc est: cum Judaei Salvatorem debuerunt tota fidei devotione suscipere, spinarum eum coronaverunt passione. Quae corona quidem, quantum in Judaeis est, erat injuriarum contumelia; quantum in Domino, erat corona virtutum. Compungunt ergo Judaei Dominum, dum coronant, compungunt, dum crucifigunt. Unde ait scriptura sancta: Videbant in quem compunxerunt.

R. Omnes amici mei dereliquerunt me, et prae-

valuerunt insidiantes mihi: tradidit me quem diligebam; * Et terribilibus oculis, plaga crudeli percutientes subsannabant me.

V. Inter inimicos projecerunt me, et non percerunt animae meae. Et terribilibus.

Lectio VI.

Igitur, fratres, videte, ne, et nobis dicatur: Sustinui ut faceret uvam, fecit autem spinas: hoc est: ne spinas, quas Domino Judaei cruentis imposuerunt manibus, nos iniquis sensibus apponamus; et compungamus eum non asperitate sentium, sed operum pravitate. Sunt enim spinae cordis, quae verbum Dei etiam vulnerare consueverunt, de quibus meminit in Evangelio Salvator, dicens, seminantis semen cecidisse inter spinas, et crevisse eas, ac suffocasse, quod satum est. Ergo, fratres, videte, ne vinea vestra, non uvas, sed spinas faciat, ne vindemia vestra non vinum afferat, sed acetum. Quisquis enim vindemiam legit, et pauperibus non largitur, ille acetum colligit, non vinum. Quisquis messes recondit, et indigentibus non ministrat, iste non alimoniae fructus reposuit, sed tribulos avaritiae congregavit. Nam propterea ait scriptura de terra vestra: spinas, et tribulos germinabit tibi.

R. Vineam meam dilectam ego te plantavi: * Quomodo conversa es in amaritudinem, ut me spinis coronares.

V. Sepivi te, lapides elegi ex te, et aedificavi turrim; Quomodo conversa. Gloria Patri. Quomodo

In III. Nocturno.

Antiph. Gravata est super me manus tua, conversus sum in aerumna mea dum configitur spina.

Psalm. 95. Cantate Domino canticum novum: cantate Domino omnis terra, ut in tertio Nocturno

*in Officio B. V. M. vel supra in Festo quinque
Vulnerum Dni N. J. Christi.*

Antiph. Caput circuitus eorum: Labor labio-
rum ipsorum operiet eos.

Psalm. 96. Dominus regnavit, exultet terra.

Antiph. Ego dedi tibi sceptrum regale: et tu
dedisti capiti meo spineam coronam.

Psalm. 97. Cantate Domino canticum novum,
quia mirabilia fecit.

V. Erit corona gloriae in manu Domini.

R. Et diadema regni in manu Dei tui.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem. *Cap. 19.*

Lectio VII.

In illo tempore: apprehendit Pilatus Jesum, et
flagellavit. Et milites plectentes coronam de spi-
nis, imposuerunt capiti ejus. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi. *Tract. 116. in
Joannem.*

Hoc Pilatus non ob aliud fecisse credendus est,
nisi ut ejus injuriis Judaei satiati sufficere sibi
existimarent, et usque ad ejus mortem saevire de-
sisterent. Ad hoc pertinet, quod idem praeses co-
hortem suam etiam permisit facere quae sequuntur;
aut fortassis, et jussit, quamvis hoc Evangelista
tacuit: dixit enim quid deinde fecerint milites, Pi-
latum id jussisse non dixit.

R. Christus passus est pro nobis, vobis relin-
quens exemplum, ut sequamini vestigia ejus. * Qui
peccatum non fecit nec inventus est dolus in
ore ejus.

V. Qui cum malediceretur non maledicebat:
cum pateretur, non comminabatur. Qui peccatum.

Lectio VIII.

Et milites (inquit) plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti ejus: et veste purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, et dicebant: Ave Rex Judaeorum; et dabant ei alapas, sic implebantur, quae de se praedixerat Christus. Sic Martyres informabantur ad omnia, quae persecutori licuisset facere, perferenda: sic paulisper occultata tremenda potentia, commendabatur prius imitanda patientia: sic regnum, quod de hoc mundo non erat, superbum mundum non atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate vincebat: sic illud granum multiplicandum seminabatur, horribili contumelia, ut mirabili pullularet in gloria.

R. Milites praesidis suscipientes Jesum in praetorium, congregaverunt ad eum universam cohortem: et exuentes eum Chlamidem coccineam circumdederunt ei: * Et plectentes coronam de spinis posuerunt super caput ejus.

V. Genuflexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave Rex Judaeorum. Et plectentes coronam. Gloria Patri. Et plectentes coronam.

Lectio IX.

Dicitur de Homilia Feriae currentis. Post nonam Lectionem: Te Deum laudamus.

Ad Laudes et per Horas.

Antiph. Milites Praesidis suscipientes Jesum in praetorium, congregaverunt ad eum universam cohortem.

Psalm. Dominus regnavit. *cum reliquis de Dominica.*

Antiph. Et exuentes Eum, chlamidem coccineam circumdederunt.

Antiph. Et plectentes coronam de spinis, po-

suerunt super caput ejus, et arundinem in dextera ejus.

Antiph. Et genuflexo ante eum illudebant ei: dicentes: Ave Rex Judaeorum.

Antiph. Et exspuentes in eum, acceperunt arundinem et percutiebant caput ejus.

Capitulum Cant. 3.

Egredimini, et videte Filiae Sion Regem Salomonem, in diademate, quo coronavit illum Mater sua in die desponsationis illius, et in die laetitiae cordis ejus.

Hymnus.

Lustra sex, qui jam peregit ut in Dominica praecedente.

V. Dominus regnavit, decorem induit.

R. Induit Dominus fortitudinem, et praeciuxit se virtute.

Ad Benedictus.

Antiph. Milites iudnunt Jesum purpura, et imponunt ei plectentes spineam coronam. Et coeperunt salutare eum: Ave Rex Judaeorum.

O R A T I O.

Deus, qui Unigenitum tuum in passione sua spinea corona decorari, et Regem adorari voluisti: da nobis quaesumus, ob piam venerationem sacrae illius spineae coronae in coelesti ejus regno coronam gloriae suae, et aeterni Regis Majestatem perpetuo contemplari. Per eundem etc.

Commemoratio Feriae.

Ad Primam.

In R. br. Qui spinis coronatus es pro homine.

Ad Tertiam.

Antiph. Et exuentes eum.

Capitulum.

Egredimini, et videte filiae Sion Regem Salomonem, in diademate, quo coronavit illum Mater sua in die desponsationis illius, et in die laetitiae cordis ejus.

R. Tuam coronam: * Adoramus Domine. Tuam coronam.

V. Tuam gloriosam recolimus passionem. Adoramus Domine. Gloria Patri. Tuam coronam.

V. Gloria et honore coronasti eum Domine.

R. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Ad Sextam.

Antiph. Et plectentes coronam.Capitulum. *Apoc.* 6.

Vidi, et ecce Equus albus, et qui sedebat super illum, habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vinceus, ut vinceret.

R. Gloria, et honore: * coronasti enim Domine. Gloria et honore.

V. Et constituisti eum super opera manuum tuarum. Coronasti. Gloria Patri. Gloria et honore.

V. Erit corona gloriae in manu Domini.

R. Et diadema regni in manu Dei tui.

Ad Nonam.

Antiph. Et exspuentes in eum.Capitulum. *Isaiae* 28.

In die illa erit Dominus exercituum corona gloriae, et sertum exultationis residuo populi sui.

R. Erit corona gloriae: * in manu Domini. Erit corona.

V. Et diadema regni in manu Dei tui. In manu Domini. Gloria Patri. Erit corona.

V. Dominus regnavit, decorem induit.


R. Induit Dominus fortitudinem, et praeciuxit se virtute.

In secundis Vesperis. Antiphonae, Psalmi, Capitulum, Hymnus et Vers. et oratio sicut in primis Vesperis.

Ad Magnificat. Antiph.

O coronae miranda dignitas, mortis poenas debitas repellis. Tu spes lapsis, firmitas infirmis, tu restauras coronas perditas.

Commemoratio Feriae.



FERIA SEXTA

Post Dominicam in Albis,

Festum

LANCEAE et CLAVORUM DOMINI.

DUPLEX 2. *Classis.*

Ad Vesperas.

Antiph. Hasta Regem Glorae Christum cruentavit, dum Crucis in arbore Dominus regnavit, Alleluja. *Psalmus:* Dixit Dominus, cum reliquis de Dominica, et loco ultimi. *Psalmus:* Laudate Dominum omnes gentes.

Antiph. Hanc tremendam Lanceam omnes adoremus, et in ejus laudibus semper jubilemus, All.

Antiph. Unus militum Lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua, Alleluja.

Antiph. Fui mortuus, et ecce sum vivens in saecula saeculorum, Alleluja, Alleluja.

Antiph. Sempiterna gaudia Christus tunc donavit, cum clavis, et lancea mortem superavit, Alleluja.

Capitulum. Sap. 5.

Sumet Dominus scutum inexpugnabile aequitatem, acuet autem duram iram in lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.

Hymnus.

Pange lingua gloriosae,
Lanceae praeconium,
Quae reclusit pretiosae
Cataractae fluvium,
Passo Christo dolorose
Pro salute gentium.

Hasta gazis praeoptata
Mundi pandit pretium
Cordis tactu praeparata
Fit sagitta fortium:
Arma, clavi, sunt beata
Contra vires daemonum.

Dulcis hasta, Dei latus
Spoliasti sanguine,
Dulcis clavi, qui reatus
Expurgastis flumine;
Ut sit mundus emundatus
Et sanatus vulnere.

Hasta fulcit viatores,
Et timentes animat:
Et ostenso bellatores
Cordis succo roborat:
Clavus firmat, et dat rores
Pusillosque recreat.

Jesu victor inferorum,
Qui triumphas Lancea,
Et virtute qui Clavorum
Restaurasti omnia:
Fac, ut horum nos armorum
Muniant praesidia. Amen.

V. Accipiet armaturam zelus illius, Alleluja.

R. Et armabit creaturam ad ultionem inimicorum, Alleluja.

Ad Magnificat. *Antiphona.*

Gaude pia plebs justorum, omne genus Germanorum, tantis de muneribus: Nam clenodia salutis, tibi dedit Rex virtutis, suis de Vulneribus: Clavos, Lanceam, et Crucem, ut sequaris Christum Ducem, Alleluja.

O R A T I O.

Deus, qui in assumptae carnis infirmitate clavis affigi, et lancea vulnerari pro mundi salute voluisti: concede propitius, ut qui eorundem Clavorum, et Lanceae solemnia veneramur in terris, de glorioso victoriae tuae triumpho gratulemur in coelis. Qui vivis et regnas cum Deo Patre etc.

Ad Matutinum. *Invitatorium.*

Coelestis Regis Lanceam venite adoremus: *Et pro Clavis ejus Christo jubilemus, Alleluja. *Psalms:* Venite exultemus.

Hymnus:

Paschali jubilo sonent praeconia
Armorum Domini, per quae victoria
Venit Christicolis, sint in memoria
Crux et Clavi, et Lancea.

Crux apud inferos spoliat tartara,
Lancea superis tribuit praemia,
Clavi consociant coelos et infima,
Fletum mutant laetitia.

Clavus dum figitur in Dei manibus,
Et dum demergitur in sacris pedibus:
Hasta dum fodiat latus, hominibus
Manat gratiae fluvius.

Lancea saeviens in Dei pectore,
Et inde proferens aquam cum sanguine,
Mundum laetificat, impetus flumine
Omnes ad aquas currite.

Te summa Deitas coelum magnificat:
Ordo Seraphicus laudibus insonat,
His noster pariter coetus se misceat,
Et in saecula te canat. Amen.

In I. Nocturno.

Antiph. Exaltatus Crucis lignum dum Christus occubuit, lanceatus a maligno hoste nos eripuit, Alleluja. *Psalmi:* Beatus vir, qui non abiit. Quare tremuerunt gentes. Domine, quid multiplicati sunt, *ut in Breviario de Communi unius Mart.*

V. Tuam lanceam adoramus Domine, Alleluja.

R. Tuam gloriosam Passionem recolimus, Alleluja.

De Libro secundo Paralipomenon.

Lectio I. Cap. 9.

Fecit igitur Rex Salomon ducentas hastas aureas de summa sexcentorum aureorum, qui in singulis hastis expendebantur: Trecenta quoque scuta aurea, trecentorum aureorum, quibus tegebantur singula scuta; posuitque ea Rex in armamentario, quod erat consitum nemore.

R. Videte gloriosa loca clavorum, et latus meum lancea perforatum, pro salute mundi Alleluja. * Palpate, et videte, quia ego ipse sum, Alleluja, Alleluja. *V.* Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. * Palpate.

De Libro Sapientiae.

Lectio II. C. 5

Accipiet armaturam zelus illius, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum. Induet pro tho-

race justitiam, et accipiet pro galea iudicium certum. Sumet scutum iuexpugnabile aequitatem: Acuet autem duram iram in lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos.

R. Latus ejus aperuit, Alleluja; patefecit ostium vitae, * Alleluja, Alleluja. V. Ingrediamur illud, Alleluja. * Alleluja, Alleluja.

De Epistola B. Pauli Apost. ad Ephesios.

Lectio III. Cap. 6.

Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in coelestibus. Propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti lorica[m] justitiæ, et calceati pedes in praeparationem Evangelii pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi iguea extinguere: et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est Verbum Dei.

R. Inter clavos Christus in cruce separatus est, * Alleluja, Alleluja, Alleluja. V. Et in sancta Resurrectione mundus in ejus laudibus vigilavit. * Alleluja, Alleluja, Alleluja. Gloria Patri. Alleluja etc.

In II. Nocturno.

Antiph. Tuam Lanceam adoramus Domine, et tuam gloriosam Passionem recolimus, Alleluja. *Psalmi:* Cum invocarem. Verba mea auribus. Domine Domini[us] noster, ut in 2. Nocturno de Communi[us] Mart.

V. Vere languores nostros ipse tulit, Alleluja.
R. Et dolores nostros ipse portavit, Alleluja.

Sermo Innocentii Papae Sexti.

In Decreto, de Feste Lanceae, et Clavorum Domini.

Lectio IV.

In Redemptoris nostri Domini Jesu Christi sacratissima Passione sic nos gloriari oportet, ut ipsius Passionis cuncta mysteria dinumerantes et merita, singulis etiam ejus salutaribus instrumentis gloriemur. Inter quae illud celebriter memorandum est; quod ipse Salvator emissio in Croce jam Spiritu, sustinuit perforari lancea latus suum, ut inde sanguinis et aquae profluentibus undis, formaretur unica et immaculata, ac Virgo sancta Mater Ecclesia Sponsa sua. O beatissima ipsius sacri Lateris apertura, unde nobis tot, et tanta Divinae pietatis dona fluxerunt! O felix Lancea, quae tot bona nobis efficere, et ad tanti triumphi gloriam meruit superaddi!

R. Surge Virgo Ecclesia, Sponso redde munia; tui clavi gravia imprimunt vestigia, per quae ruit infernalis Sisara, Alleluja. * Nam clavum Jahel malleo fixit in ejus tempora, Alleluja, Alleluja. **V.** Dulces clavi pungite corda nostra, * Nam clavum.

Lectio V.

Haec latus ipsum aperiendo, sacratissimas januas nobis Regni coelestis aperuit. Haec vulnerando jam mortuum, vulnera nostra sanavit, vitamque nobis reddidit, et salutem. Haec innoxium transfigendo, illius sanguine culpas nostras abstersit, et demum ejusdem sacratissimis undis irrigata, coecitatis nostrae tenebras sustulit, et nos

ipsius Divinae pietatis fluviis mundavit. Illi etiam dulces Clavi, quibus ipse Salvator eidem Cruci fuit affixus, quique non solum immaculato respergi sanguine, et molem ferre tauti ponderis meruerunt, sed et nos etiam per ipsorum salutiferas plagas dulcedinem tantam ipsius Divinae charitatis accepimus, ut manus nostrae a peccati solutae nexibus, pedesque nostri a mortis laqueis fuerint liberati, sunt devotissime recolendi.

R. Hasta nitet margaritis nimis coruscantibus.
* Alleluja, Allel., Allel. V. Mucro gemmis infinitis sanguine vernantibus. * Allel. etc.

Lectio VI.

Quid enim vulnere et plagis hujusmodi sanctius? quid eis salubrius, ex quibus salus nostra processit, et in quibus assidue se possunt curare animae devotorum? Licet igitur Lancea et clavi praedicti, aliaeque ipsius Passionis salutaria instrumenta, sint a cunctis fidelibus Christi ubilibet veneranda, et de ipsa etiam Passione in eadem Ecclesia solemnia annis singulis officia celebrentur et fiant; dignum tamen, et conveniens reputamus, si de ipsius Passionis specialibus instrumentis, et praesertim in partibus, in quibus instrumenta ipsa dicuntur haberi, solemne ac speciale Festum celebretur, et fiat: Nosque illos fideles Christi, qui aliqua ex instrumentis ipsis habere se gaudent, in eorum devotione, Divinis officiis, atque muneribus specialiter foveamus.

R. Jesus nostra spes suavis ab uberibus. * Alleluja, Alleluja, Alleluja. V. Pro nobis fossus clavis, in palmis atque pedibus. * Alleluja. Gloria. * Alleluja.

In III. Nocturno.

Antiph. Tu Christe nostrum gaudium, de lanceato latere, da roris mellicidinum, ardenti corde

sugere, Alleluja. *Psalmi.* Cautate. Dominus regnavit. Cautate Domino canticum, *ut in tertio Nocturno in Officio parvo B. V. M.*

V. Omnis terra adoret te, et psallat tibi. Alleluja.

R. Psallum dicat nomini tuo, Domine, Allel.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. *Cap. 19.*

In illo tempore: Sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi.

Tract. 120. in Joann.

Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret: Latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud, sed aperuit, ut illud quodammodo vitae ostium panderetur, unde Sacramenta manaverunt, siue quibus ad vitam, quae vera vita est, non intratur. Ille sanguis, qui fusus est, in remissionem fusus est peccatorum. Aqua illa salutare temperat poculum; haec et lavacrum praestat, et potum. Hoc praenuntiabat, quod Noë in latere arcae ostium facere jussus est, quo intrarent animalia, quae non erant diluvio peritura, quibus figurabatur Ecclesia.

R. Vibrans miles lanceam acutissimam aperuit templum sanctum gloriae Dei, Alleluja. In quo habitat plenitudo Divinitatis, Alleluja, Alleluja. *V.* Ibi abscondita est fortitudo ejus, ante faciem ejus ibit mors. * In quo habitat.

Lectio VIII.

Propter hoc prima mulier facta est de latere viri dormientis: et appellata est vita, materque vi-

vorum, magnumque signavit bonum, ante magnum praevaricationis malum. Et secundus Adam inclinato capite in cruce dormivit: ut iude formaretur ei conjux, quae de latere dormientes effluxit. O mors, unde mortui reviviscunt! quid isto sanguine mundius? quid vulnere isto salubrius? facta enim sunt haec, inquit: ut Scriptura impleretur: *Os non comminuetis ex eo.* Et iterum alia Scriptura dicit: *Videbunt, in quem transfixerunt.*

R. Tuam Lanceam adoramus Domine, Alleluja, tuam gloriosam recolimus Passiouem. * Alleluja, Alleluja, Alleluja. V. Hasta Regem gloriae cruentavit Christum. * Alleluja etc. Gloria. * Alleluja etc.

Lectio IX.

Duo testimonia de Scripturis singulis reddidit, quasi facta fuissent narravit. Nam quia dixerat: *Ad Jesum autem cum venissent, ut viderent eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura;* ad hoc pertinet testimonium: *Os non comminuetis ex eo;* quod praeceptum est eis, qui celebrare Pascha jussi sunt, ovis immolatione in vetere lege, quae Dominicae Passionis umbra praecesserat. Unde Pascha nostrum immolatus est Christus: de quo Isaias Propheta dixerat: *Sicut ovis ad occisionem ductus est.* Item quia subjunxerat dicens: *Sed unus militum lancea latus ejus aperuit,* ad hoc pertinet alterum testimonium: *Videbunt, in quem transfixerunt.* Ubi promissus est Christus in ea, qua crucifixus est, carne venturus. *Te Deum laudamus.*

Ad Laudes et per Horas.

Antiph. Hasta Regem gloriae Christum cruentavit, dum Crucis in arbore Dominus regnavit, Al-

leluja. Psalmus: Dominus regnavit, cum reliquis de Dominica.

Antiph. Hanc tremendam Lanceam omnes adoremus, et in ejus laudibus semper jubilemus, Alleluja.

Antiph. Unus militum lancea latus ejus aperit, et continuo exivit sanguis et aqua, Alleluja.

Antiph. Fui mortuus, et ecce sum vivens in saecula saeculorum, Alleluja, Alleluja.

Antiph. Sempiterna gaudia Christus tunc donavit, cum clavis et lancea mortem superavit, Alleluja.

Capitulum. Sap. 5.

Somet Dominus scutum inexpugnabile aequitatem, acuet autem duram iram in lanceam, et pugnat cum illo orbis terrarum contra insensatos.

Hymnus.

Verbum supernum prodiens,
Salvare quod perierat,
Hasta, clavisque moriens
Complevit ad quod venerat.

O gloriosa lancea!
Timor, tremorque daemonum,
Regna pandis sidera
Per sanctae necis meritum.

De clavorum stigmatibus
Emanat mundi pretium
E cunctis aromatibus
Spirans odorem coelicum.

In Corde Christi mergitur
Mucro leone saevior,
De fori fons exoritur
Cibusque melle dulcior.

In natum Pater phialam
Effudit iracundiae,
Ut nobis coenam maximam
Gratis suae det gloriae.

O Christe nostrum gaudium
De vulnerato latere,
Da lac et vinum depluam
Ardente corde sugere.

Precamur, Auctor omnium,
Tu nostra sis refectio
Tuorum quoque meritum
Amorum, sis protectio. Amen.

V. Per sanctam Lanceam de inimicis nostris,
Alleluja.

R. Libera nos Deus noster, **Alleluja.**

Ad Benedictus. Antiphona.

O felix, et omni laude digna Lancea Salvatoris,
quae pertransiens Latus ejus, chirographum
peccati affixit patibulo crucis, **Alleluja.**

O R A T I O.

Deus, qui in assumptae carnis infirmitate, clavis affligi, et lancea vulnerari pro mundi salute voluisti, concede propitius; ut qui eorundem Clavorum, et Lanceae solennia veneramur in terris, de glorioso victoriae tuae triumpho gratulemur in coelis. Qui vivis et regnas cum Deo Patre etc.

Missa propria. Si haec non habetur, dicatur Missa votiva de Passione Domini, ut tempore Paschali. Gloria. Credo. Praefatio de Cruce.

Ad Primam.

Antiph. Hasta Regem gloriae. Psalm. Deus in nomine, cum reliquis de Psalt. Capitulum: Regi saeculorum.

Resp. breve: Christe Fili Dei vivi, miserere nobis, * **Alleluja, Alleluja.** Christe Fili etc.
V. Qui vulneratus es pro nobis. * **Alleluja, Alleluja.** Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto.
R. Christe etc.

V. Exurge Christe adjuva nos, **Alleluja.**

R. Et libera nos propter nomen tuum, **Alleluja.**

Ad Absolutionem Capituli Lectio brevis.

Ego sum primus, ut infra ad Nonam.

Ad Tertiam.

Antiph. Hanc tremendam Lanceam.

Capitulum.

Sumet Dominus scutum etc. ut supra.

R. br. Apprehende arma, et scutum, * Alleluja, Alleluja. Apprehende arma. **Y.** Et exurge in adiutorium mihi. * Allel., Allel. Gloria Patri. Apprehende arma. **Y.** Foderunt manus meas, et pedes meos, Alleluja. **R.** Diuumeraverunt omnia ossa mea, Allel.

Oratio, ut supra.

Ad Sextam.

Antiph. Unus militum.

Capitulum Apoc. 1.

Gratia vobis et pax ab eo, qui est, et qui erat, et qui venturus est, et a Jesu Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, et Princeps Regum terrae: qui dilexit uos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.

R. br. Foderunt manus meas, et pedes meos, * Alleluja, Alleluja. Foderunt. **Y.** Dinumeraverunt omnia ossa mea. * Alleluja, Alleluja. **Y.** Gloria Patri. Foderunt. **Y.** Quem tu percussisti persecuti sunt, Alleluja. **R.** Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt, Alleluja.

Oratio, ut supra.

Ad Nonam.

Antiph. Sempiterna gaudia.

Capitulum. *Apoc. 1.*

Ego sum primus et novissimus, et vivus, et fui mortuus: et ecce sum vivens in saecula saeculorum.

R. br. Quem tu percussisti persecuti sunt, *Alleluja, Alleluja. Quem tu percussisti. Y. Et super dolorem vulnerum meorum addiderunt. *Alleluja, Allel. Y. Gloria Patri. Quem tu percussisti. Y. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, Alleluja. R. Attritus est propter scelera nostra, Alleluja.

Oratio, *ut supra.*

In II. Vesperis.

Omnia, ut in primis: et loco Psalmi ultimi, Ps. Credidi.

Ad Magnificat. *Antiph.*

Collaudemus Christi clementiam, qui per gloriosos Clavos et Lanceam dat Ecclesiae de inimicis victoriam, et in coelo vitam et coronam perpetuam, Alleluja.

Oratio, *ut supra.*

Officium
in Festo Sanctiss. Sepulchri
Hierosolymitani
D. N. JESU CHRISTI.

Dominica II. post Pascha celebrandum.

DUPLEX.

Ad Vesperas.

Antiph. **E**xaltate Dominum Deum nostrum, et adorare scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est. Alleluja.

Psalm. Dixit Dominus, cum reliquis de Dominica et loco ultimi: Laudate Dominum omnes gentes.

Antiph. Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus, Alleluja.

Antiph. Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in sancto ejus. Alleluja.

Antiph. O quam metuendus est locus iste, vere non est hic aliud, nisi Domus Dei, et porta coeli. Alleluja.

Antiph. Ne appropies huc, solve calceamenta de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est. Alleluja.

Capitulum.

Cum consummassent omnia, quae de ipso scripta erant, deponentes Eum de ligno, posuerunt Eum in monumento.

Hymnus.

Sacri sepulchri gloriam,
 Christi triumphis inclytam,
 Dulci repleti gaudio
 Laetis canamus vocibus.

Hujus vetustis saeculis,
Dedit cisterna symbolum,
Quo missus olim, carcerem
Joseph jacebat innocens.

Hoo, quem fidelis fortium
Ambit caterva militum.
A Rege docto conditus
Expressit olim lectulus.

Hoc et tuus Daniel lacus,
Et quae sopore languidum
Jonam Ratis portaverat,
Hoc in figura nuntiat.

O Petra gemmis carior!
Thesauri cunctis ditior!
Qualem nec aula Principum,
Nec gaza claudit divitum.

Nam tu neo auri munera,
Nec Principum fluxas opes,
Sed illud immensum sacri
Pretium tulisti corporis.

At Christe ditas qui Tuum
Caro sepulchrum sanguine,
Tuos (rogamus) servulos
Donis tuis fac divites.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclyto
In sempiterna saecula. Amen.

V. Tuum sepulchrum adoramus Domine, Alleluja.

V. Et recolimus tuam gloriosam resurrectionem. Alleluja.

Ad Magnificat.

Antiph. Deponentes Dominum de cruce, posuerunt Eum in monumento, quod erat excisum in petra, in quo nondum quisquam positus fuerat. Alleluja.

O R A T I O.

Domine Jesu Christe, qui pro nobis mortem subire, et in sepulchro depositus, tertia die resurgere voluisti, concede famulis tuis, ut qui sepulchri tui memoriam recolimus, resurrectionis quoque gloriæ participes esse mereamur. Qui vivis et regnas etc.

Et fit commemoratio Dominicæ.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Surrexit Dominus de sepulchro.

* Alleluja.

Psalm. Venite exultemus.

Hymnus ut in Vesperis.

In I. Nocturno.

Antiph. En lectulum Salomonis, sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi. Alleluja.

Psalmi ut in Festo Dedicationis Ecclesiæ.

V. Ipsum gentes deprecabuntur. Alleluja.

R. Et erit sepulchrum ejus gloriosum. Allel.

De Actibus Apostol. Lectio I. Cap. 13. v. 26.

Viri fratres filii generis Abraham, et qui in vobis timent Deum, vobis Verbum salutis hujus missum est. Qui enim habitabant Jerusalem, et Principes ejus, hunc ignorantes, et voces Prophetarum, quæ per omne Sabbatum leguntur, judicantes impleverunt, et nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt a Pilato, ut interficerent Eum. Cumque consummassent omnia, quæ de ipso scripta erant, deponentes eum de ligno posuerunt eum in monumento. Deus vero suscitavit eum a mortuis tertia die, qui visus est per multos dies his, qui simul ascenderunt cum eo de Galilæa in Jerusalem, qui usque nunc sunt testes ejus ad plebem.

R. Deponentes Dominum de cruce, posuerunt eum in monumento quod erat excisum de petra. Alleluja. * Signantes illud cum custodibus. Alleluja.

V. Abeuntes Judaei munierunt sepulchrum, advolventes lapidem ad ostium monumenti. * Signantes illud.

Lectio II.

Et vos vobis annuntiamus eam, quae ad Patres nostros repromissio facta est, quoniam haec Deus adimplevit filiis nostris resuscitans Jesum, sicut, et in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quod autem suscitavit eum a mortuis, amplius jam non reversurum in corruptionem, ita dixit, qui dabo vobis sancta David fidelia. Ideoque, et alias dixit: non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. David enim in sua generatione cum administrasset, voluntate Dei dormivit, et appositus est ad Patres suos, et vidit corruptionem. Quem vero Deus suscitavit a mortuis, non vidit corruptionem.

R. Sepulto Domino, signatum est monumentum, volventes lapidem ad ostium monumenti. Alleluja. * Ponentes milites, qui custodirent illud.

V. Accedentes Principes Sacerdotum ad Pilatum, petierunt illum. * Ponentes.

Lectio III.

Notum igitur sit vobis Viri Fratres, quia per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur, et ab omnibus, quibus non potestis in lege Moysi justificari, in hoc omnis, qui credit, justificatur. Videte ergo, ne superveniat vobis, quod dictum est in Prophetis: Videte contemptores, et admiramini, et disperdimini, quia opus ego operor in diebus vestris: opus quod non credetis, si quis enarraverit vobis.

Exeuntibus autem illis, rogabant, ut sequenti Sabbato, loquerentur sibi verba haec. Cumque dimissa esset Synagoga, secuti sunt multi Judaeorum, et colentium advenarum, Paulum et Barnabam, qui loquentes suadebant eis, ut permanerent in gratia Dei: sequenti vero Sabbato paene universa civitas convenit audire verbum Dei.

R. Acceperunt Corpus Jesu, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, et sepelierunt in monumento novo. * In quo nondum quisquam positus fuerat. Alleluja.

V. Venit Joseph cum Nicodemo, et tulerunt Corpus Jesu, et sepelierunt illud in monumento novo. * In quo. Gloria Patri. In quo.

In II. Nocturno.

Antiph. Super muros tuos Jerusalem constitui custodes, tota die et tota nocte in perpetuum non tacebunt, laudare nomen Domini. Alleluja.

Psalmi ut in Festo Dedicationis Ecclesiae.

V. Factus est in pace locus ejus. Alleluja.

R. Et habitatio ejus in Sion. Alleluja.

Lectio IV.

Sermo sancti Bernardi Abbatis. *De sepulchro*
Cap. 11.

Inter sancta et desiderabilia loca Sepulchrum Christi, tenet quodammodo principatum, et devotionis plus nescio quid sentitur, ubi mortuus requievit, quam ubi vivens conversatus est, atque amplius movet ad pietatem, mortis quam vitae recordatio; puto quod illa austerior, haec dulcior videatur, magisque infirmitati blandiatur humanae quies dormitionis, quam labor conversationis, mortis securitas, quam vitae rectitudo. Vita Christi vivendi mihi regula extitit: mors a morte redemptio. Illa vitam instruxit, mortem ista destruxit:

vita quidem laboriosa, sed mors pretiosa: utraque vero admodum necessaria. Quid enim Christi prodesse poterat sive mors nequiter viventi, sive vita damnabiliter morienti. Nunquid denique aut mors Christi, etiam nunc male usque ad mortem viventes a morte aeterna liberat, aut mortuos autem Christum sanctos Patres vitae sanctitas liberavit? Sicut scriptum est: Quis est homo, qui vivet, et non videbit mortem, eruet animam suam de manu inferi? Nunc ergo quia utrumque nobis pariter necessarium erat, et pie vivere, et secure mori: et vivendo vivere docuit, et mortem moriendo securam reddidit: quoniam quidem resurrecturus occubuit, et spem fecit morientibus resurgendi.

R. Mulieres venerunt ad monumentum, portantes, quae paraverant aromata. * Et invenerunt lapidem revolutum a monumento. Alleluja.

V. Et factum est, dum mente consternatae essent, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. * Et invenerunt.

Lectio V.

Sive itaque haec, sive alia quaecunque in hunc modum (prout in talibus in suo quisque abundat sensu), ex occasione sepulchri Christi christianis sensibus suggerantur, puto quod non mediocris dulcedo devotionis infundatur cominus intuenti, nec parum proficitur, cernendo etiam corporalibus oculis corporalem locum Dominicae quietis. Etsi quippe jam vacuum sacris membris, plenum tamen nostris et jucundum admodum Sacramentis. Nostris, inquam, nostris, si tamen tam ardentem amplectimur, quam indubitanter tenemus, quod Apostolus ait: Cousepulti sumus enim per Baptismum in mortem, ut quomodo surrexit Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae am-

bulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul, et resurrectionis erimus.

R. Angelus Domini locutus est mulieribus, dicens: Quem quaeritis? An Jesum quaeritis? jam surrexit. * Venite et videte locum. Allel.

V. Jesum quaeritis Nazarenum crucifixum, surrexit non est hic. * Venite.

Lectio VI.

Quam dulce est peregrinis, post multam longi itineris fatigationem, post plurima terrae, marisque pericula ibi tandem quiescere, ubi et agnoscitur suum Dominum quievisse? Puto jam prae gaudio non sentiunt viae laborem, nec gravamen reputant expensarum, sed tanquam laboris praemium, cursusve bravium assecuti, juxta scripturae sententiam, gaudent vehementer cum invenerint sepulchrum. Nec casu, vel subito, aut veluti lubrica popularis favoris opinione, id tam celebre nomen sepulchrum natum esse putetur, cum hoc ipsum tantis retro temporibus, Isaias tam aperte praedixit. Et erit, inquit, in die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, et erit sepulchrum ejus gloriosum. Revera ergo impletum cernimus, quod legimus prophetatum; novum quidem intuenti, sed legenti antiquum: ut sic adsit de novitate jucunditas, et de vetustate non desit auctoritas.

R. Dum transiret Sabbatum Maria Magdalene, Maria Jacobi, et Salome, emerunt aromata. * Ut venientes ungerent Jesum. Alleluja.

V. Et valde mane una Sabbatorum veniunt ad monumentum orto jam sole. * Ut venientes. Gloria Patri. Ut venientes.

In III. Nocturno.

Antiph. Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum, et testis in coelo fidelis. Alleluja.

Psalmi ut in Festo Dedicationis Ecclesiae.

Y. Erit mihi Dominus in Deum. Alleluja.

R. Et lapis iste vocabitur domus Dei. Allel.

Lectio VII.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam. *Cap. 24.*

In illo tempore: una Sabbati valde diluculo, venerunt mulieres ad monumentum, portantes quae paraverant aromata. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi.

Sabbato in vigilia Paschae de Joseph. Serm. 132. quae est prima in Vigilia Paschae.

Cum Maria Magdalene venisset ad monumentum, quam memorem Salvatoris, amissa fide devotio in lachrymas compellebat, videns revolutum a foribus lapidem, cum non invenisset in sepulchro Dominum, caepit acrius dolere, quod perdiderit defunctum. Mox autem ad Petrum ejus Discipulum pervolat, quem pro meriti qualitate vel fidei, major de ejus obitu cura tangebatur, nuntiat inane sepulchrum, quaeritur corpus ablatum. Petrus vero resurrectionis Filii Dei, et ante Crucem conscius, quam praedixerat ipse passurus, sub tali nuntio non flevit aut doluit, sed morem suum in divinis virtutibus servans, properat experiri, quod credidit.

R. Tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum: dicunt ei Angeli: mulier quid ploras? surrexit sicut dixit. * Praecedet vos in Galilaeam: ibi eum videbitis. Alleluja.

Y. Cum ergo fleret, inclinavit se et prospexit in

monumentum, et vidit duos Angelos in albis sedentes, qui dicunt ei. * Praecedet vos.

Benedictio. Divinum auxilium.

Lectio VIII.

Ad sepulchrum itaque Domini, celeri cursu festinat, laetior rediturus, si non inveniret, quod quaerebat. Beatus autem Evangelista, et ex consequentibus probat potentiam Resurgentis. Venit, inquit, Simon Petrus et introivit in monumentum, et cum non invenisset Dominum, vidit liuteamina posita, et sudarium, quod fuerat super caput ejus: nam manifestius Deus perlaturus hominem quem vivificaverat in coelum, et mortem evacuat et sepulchrum. Nam liuteamine quo funus tenebatur exposito, reliquit terrae exuvias, vitali jam corpore induta majestas.

R. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia quem quaerebam apparuit mihi. * Et dum flerem ad monumentum vidi Dominum. Alleluja.

V. Recedentibus Discipulis, non recedebam, et amoris ejus igne succensa, ardebam desiderio. * Et dum flerem. Gloria Patri. Et dum flerem.

Lectio IX. de Homilia Dominicae secundae post Pascha. Si autem contigerit transferri, Lectio nona erit sequens.

Lectio IX.

Petrus igitur videns resurrectionem, quam Dei Filius praenunciaverat impletam, qui sollicitus venerat, securus abscessit. Maria tamen resurrectionis ignara, non cessavit lachrymas fundere, nesciens hanc esse Dominici corporis gloriam, quam putabat injuriam. Cujus inanes moerores, Angelus magis prohibet, quam consolatur, ut Evangelista testatur. Maria, inquit, quid ploras? Si spi-

ritali prudentia intentionem divini sermonis intelligas: lachrymarum causam, non tanquam ignarus interrogat, sed importunos fletus dolentis objurgat. Maria, inquit, quid ploras? cum vacuo monumento, non damno funeris sed merito resurgentis Jesu Christi corpus; virtus sibi non facinus, vindicaret? Culpat eodem tempore, a Maria lachrymas fundi, quo debuit gloriari.

Ad Laudes et per Horas.

Antiph. Vota mea Domino reddam, in conspectu omnis populi ejus, in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem. Alleluja.

Psalm. Dominus regnavit. *cum reliquis de Dominica.*

Antiph. Ingredieris in abundantia sepulchrum sicut infertur acervus tritici in tempore suo. Alleluja.

Antiph. Qui expectant mortem et non venit, quasi effodientes thesaurum, gaudentque vehementer, cum invenerint sepulchrum. Alleluja.

Antiph. Tollite hostias et introite in atria ejus, adorete Dominum in atrio sancto ejus. Alleluja.

Antiph. In sole posuit tabernaculum suum et ipse tanquam sponsus, procedens de thalamo suo. Alleluja.

Capitulum.

Cum consummassent, *ut in primis Vesperis.*

Hymnus.

Audite tristes inferi,
Turbae frementes hostium,
Vestrae ruinae pontium,
Sacri sepulchri gloriam.

En jam futuri conscius
Ilam Propheta praecinit,
Et gloriosum posteris
Narrat sepulchrum saeculis.

Hic ille Rex fortissimus,
Fractus averni viribus,
Et mortis excusso jugo,
Primum trophaea suscitatur.

Candore tectus vestium,
Novoque lucis fulgure,
Delapsus astris nuntius
Hic excubavit Angelus.

Jam temperandum lachrymis,
Satis datum suspiriis;
Gravi dolore saucia
Hic audierunt faeminae,

Et vos Magistri funere,
Plane simul commortui.
Vestro dolori gaudium
Tulistis hic Apostoli.

Tu vero Christe maxima
Tui sepulchri gloria
Mortem resurgens viceras
Nos morte culpae libera.

Deo Patri sit gloria,
Et Filio qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna saecula. Amen.

V. Dum esset Rex in accubitu suo. Alleluja.

R. Nardus mea dedit odorem suavitatis. Alleluja.

Ad Benedictus.

Antiph. Absentes Judaei munierunt sepulchrum, advolventes lapidem ad ostium monumenti, et signantes eum cum custodibus. Alleluja.

ORATIO, ut in primis Vesperis.

Et fit Commemoratio Dominicae.

Ad Primam.

In R. brevi dicitur.

V. Qui surrexisti a mortuis. Alleluja, Allel.

Ad Absolutionem Capituli Lectio brevis. Una Sabbati etc. ut infra ad Nonam.

Ad Tertiam.

Antiph. Ingredieris, ut supra.

Capitulum.

Cum consummassent, ut in primis *Vesperis*.

R. Tuum sepulchrum adoramus Domine. Alleluja, Alleluja. Tuum sepulchrum etc.

V. Et recolimus tuam gloriosam resurrectionem. Alleluja, Alleluja. Gloria Patri. Tuum sepulchrum.

V. Vere locus iste sanctus est. Alleluja.

R. Et ego nesciebam. Alleluja.

Ad Sextam.

Antiph. Qui expectant.

Capitulum.

Et accepto corpore Joseph, involvit illud in sindone munda, et posuit in monumento suo novo, quod exciderat in petra.

R. Vere locus iste sanctus est. Alleluja, Alleluja. Vere locus.

V. Et ego nesciebam. Alleluja, Alleluja. Gloria Patri. Vere locus.

V. Te decet hymnus Deus in Sion. Alleluja.

R. Et tibi reddetur votum in Jerusalem. Alleluja.

Ad Nonam.

Antiph. In sole posuit.

Capitulum.

Una Sabbati valde diluculo, venerunt mulieres ad monumentum, portantes quae paraverant aromata, et invenerunt lapidem revolutum a monumento.

R. Te decet hymnus Deus in Sion. Alleluja, Alleluja. Te decet.

V. Et tibi reddetur votum in Jerusalem. Alleluja, Alleluja. Gloria Patri. Te decet.

V. Lapidem, quem reprobaverunt, Alleluja.

R. Hic factus est in caput anguli. Alleluja.

Ad Vesperas.

Antiph. ut in primis Vesperis. Psalmi de Dominica, et loco ultimi Psalmus Super flumina Babylonis, ut feria 5 ad Vesperas.

Capitulum et Hymnus, ut in primis Vesperis.

V. Ipsum gentes deprecabuntur. Alleluja.

R. Et erit sepulchrum ejus gloriosum. Allel.

Antiph. Introeuntes in monumentum, viderunt juvenem sedentem a dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt. Alleluja.

O R A T I O.

Domine Jesu Christe, qui pro nobis mortem subire, et in sepulchro depositus, tertia die resurgere voluisti, concede famulis tuis, ut qui sepulchri tui memoriam recolimus, resurrectionis quoque gloriæ participes esse mereamur. Qui vivis et regnas etc.

Et fit Commemoratio Dominicae.

Elogium hujus Festi in Martyrologio.

Solemnis Commemoratio de sanctissimo sepulchro de N. Jesu Christi Hierosolymis in maxima veneratione existente.

Dominica III. post Pascha.

Officium
PATROCINII S. JOSEPH,

Confessoris, Sponsi B. M. V.

DUPLEX.

*Ex indulto CLEMENTIS Papae XII. pro Uni-
verso Clero Saeculari et Regulari
utriusque sexus.*

Ad Vesperas.

Antiphona. **Jacob** autem. *Cum reliquis de
Laudibus.*

Psalm. **Dixit Dominus.** *Cum reliquis de Do-
minica, et loco ultimi Psalmi Laudate Dominum
omnes gentes.*

Capitulum. *Genes. 49.*

Benedictionis Patris tui confortatae sunt bene-
dictionibus patrum ejus; donec veniret desiderium
collum aeternorum; fiant in capite Joseph, et in
vertice Nazaraei inter fratres suos.

Hymnus.

Te Joseph, celebrent agmina Coelitum.
Te cuncti resonent Christiadum Chori.
Qui clarus meritis junctus es incolytæ,
Casto foedere Virgini.

Almo cum tumidam germine conjugem
Admirans, dubio tangeris anxius.
Afflatu superi flaminis Angelus
Conceptum puerum docet.

Tu natum Dominum stringis, ad exteras
Aegypti profugum tu sequeris plagas,
Amisum Solyms quaeris, et invenis
Miscens gaudia fletibus.

Post mortem reliquos mors pia consecrat,
 Palmamque emeritos gloria suscipit,
 Tu vivens, superis par, fruieris Deo
 Mira sorte beator.

Nobis summa Trias, parce precantibus,
 Da Joseph meritis sidera scandere:
 Ut tandem liceat, nos tibi perpetim.
 Gratam promere canticum. Amen.

V. Constituit eum Dominum domus suae, Alleluja.

R. Et principem omnis possessionis suae, Alleluja.

Ad Magnificat.

Antiph. Cum esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto. Alleluja.

O R A T I O.

Deus, qui ineffabili providentia beatum Joseph sanctissimae Genitricis tuae sponsum eligere dignatus es: praesta quaesumus; ut quem Protectorem veneramus in terris, intercessorem habere mereamur in coelis. Qui vivis et regnas cum Deo Patre etc.

Et fit commemoratio Dominicae tertiae post Pascha, nisi transferatur.

Antiph. Modicum, et non videbitis me, dicit Dominus: iterum modicum, et videbitis me, quia vado ad Patrem, Alleluja, Alleluja.

V. Mane nobiscum Domine, Alleluja.

R. Quoniam advesperascit, Alleluja.

O R A T I O.

Deus, qui errantibus, ut in viam possint redire justitiae veritatis tuae lumen ostendis: da cunctis qui Christiana professione censentur, et illa re-

spuere, quae huic inimica sunt nomini; et ea quae sunt apta sectari. Per Dominum etc.

Ad Matutinum.

Invitæet. Laudemus Deum nostrum: *In veneratione beati Joseph Protectoris nostri, Alleluja.
Psalm. Venite.

Hymnus.

Te Joseph celebrent agmina. *ut supra in Vesperis.*

In I. Nocturno.

Antiph. Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et fuge in Aegyptum, et esto ibi, usque dum dicam tibi. Alleluja.

Psalmi omnes de Communi Confess. non Pont.

V. Confitebor nomini tuo, Alleluja.

R. Quoniam adjutor, et Protector factus es mihi. Alleluja.

De Lib. Genesis. Lectio I. Cap. 39.

Igitur Joseph ductus est in Aegyptum, emitque eum Putiphar Eunuclus Pharaonis, Princeps exercitus, vir Aegyptius, de manu Ismaelitarum, a quibus perductus erat. Fuitque Dominus cum eo, et erat vir in cunctis prospere agens; habitavitque in domo Domini sui, qui optime noverat, Dominum esse cum eo, et omnia, quae gereret, ab eo dirigi in manu illius. Invenitque Joseph gratiam coram Domino suo, et ministrabat ei, a quo praepositus omnibus, gubernabat creditam sibi domum et universa, quae ei tradita fuerant. Benedixitque Dominus domui Aegyptii propter Joseph, et multiplicavit tam in aedibus quam in agris cunctam ejus substantiam. Nec quidquam aliud nove-

rat, nisi panem, quo vescebatur. Erat autem Joseph pulcher facie, et decorus aspectu.

R. Clamavit populus ad Regem, alimenta petens. * Quibus ille respondit: Ite ad Joseph. Alleluja.

V. Salus nostra in manu tua est; respice nos tantum, et laeti serviemus Regi. Quibus ille.

Lectio II. Gen. Cap. 41.

Placuit Pharaoui consilium, et cunctis ministris ejus, locutusque est ad eos: Num invenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Joseph: Quia ostendit tibi Deus omnia, quae locutus es; numquid sapientiozem, et consimilem tui invenire potero? Tu eris super domum meam, et ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantum regni solio te praecedam. Dixitque rursus Pharaon ad Joseph: Ecce constitui te super universam terram Aegypti. Tulitque annulum de manu sua, et dedit eum in manu ejus, vestivitque eum stola byssina, et collo torquem auream circumposuit. Fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante praecone, ut omnes coram eo genuflecterent, et praepositum esse scirent universae terrae Aegypti.

R. Fecit me Deus quasi Patrem Regis, et dominum universae domus ejus. * Exaltavit me, ut salvos faceret multos populos. Alleluja.

V. Venite ad me, et ego dabo vobis omnia bona Aegypti, ut comedatis medullam terrae. Exaltavit.

Lectio III. Gen. 41.

Dixit quoque Rex ad Joseph: Ego sum Pharaon: absque tuo imperio non movebit quisquam manum, aut pedem in omni terra Aegypti. Vertitque nomen ejus, et vocavit eum lingua Aegyptiaca Sal-

vatorem mundi. Deditque illi uxorem Aseneth filiam Putipharis Sacerdotis Heliopoleos. Egressus est itaque Joseph ad terram Aegypti (triginta autem annorum erat, quando stetit in conspectu Regis Pharaonis) et circumvit omnes Regiones Aegypti. Venitque fertilitas septem annorum, et in manipulos redactae segetes congregatae sunt in horrea Aegypti. Omnis etiam frugum abundantia in singulis urbibus condita est. Tantaque fuit abundantia tritici, ut arenae maris coaequaretur, et copia mensuram excederet.

R. Jam laetus moriar, quia vidi faciem tuam, et superstitem te relinquo. Non sum fraudatus aspectu tuo. * Insuper ostendit mihi Dominus semen tuum, Alleluja.

V. Qui pascit me ab adolescentia mea, benedicat pueris istis: et invocetur super eos nomen meum. Insuper. Gloria Patri. Insuper.

In II. Nocturno.

Antiph. Angelus Domini apparuit in somnis Joseph, dicens: Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et vade in terram Israel; defuncti sunt enim qui quaerebant animam pueri. Alleluja.

V. Respice de coelo, et vide, et visita vineam istam. Alleluja.

R. Et perfice eam. Alleluja.

In II. Nocturno. Lectio IV.

Sermo sancti Bernardini Senensis. *Sermone 1. de S. Joseph.*

Omnium singularium gratiarum, alicui rationabili creaturae communicatarum, generalis regula est; quod quandocunque divina gratia eligit aliquem ad aliquam gratiam singularem, seu ad aliquem sublimem statum, omnia charismata donet,

quae illi personae sic electae, et ejus officio necessaria sunt, atque illam copiose decorant. Quod maxime verificatum est in sancto Joseph, putativo Patre Domini nostri Jesu Christi, et vero sponso Regiuae mundi, et Dominae Angelorum, qui ab aeterno Patre electus est fidelis Nutritius, atque Custos principalium thesaurorum suorum, scilicet filii ejus, et sponsae suae; quod officium fidelissime prosecutus est. Qui propterea Dominus ait: Serve bone, et fidelis, intra in gaudium Domini tui.

R. Dedisti mihi protectionem salutis tuae, et dextera tua suscepit me. * Protector meus, et cornu salutis meae, et susceptor meus. Alleluja.

V. Ego Protector tuus sum, et merces tua magna nimis. Protector meus.

Lectio V.

Si compares eum ad totam Ecclesiam Christi, nonne iste est homo electus, et specialis, per quem, et sub quo Christus est ordinate et honeste introductus in mundum? Si ergo Virgini Matri tota Ecclesia sancta debitrice est, quia per eam Christum suscipere digna facta est; sic profecto, post eam huic debet gratiam, et reverentiam singularem. Ipse enim est clavis veteris testamenti, in qua Patriarchalis, et Prophetalis dignitas promissum consequitur fructum. Porro hic est solus, qui corporaliter possedit, quod eis divina dignatio repromisit. Merito igitur figuratur per illum Patriarcham Joseph, qui populis frumenta servavit. Sed et hic illum praecellit, quia non solum Aegyptiis panem corporalis vitae, sed omnibus electis panem de coelo, qui coelestem vitam tribuit, cum multa solertia enutrivit.

R. Statuet filios suos sub tegmine illius, et sub ramis ejus morabitur, protegetur sub tegmine illius a fervore. * Et in gloria ejus requiescet. Alleluja.

Y. Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra. Et in gloria.

Lectio VI.

Profecto dubitandum non est; Christus familiaritatem, reverentiam, atque sublimissimam dignitatem, quam sibi exhibuit, dum ageret in humanis, tamquam filius Patri suo, in coelis utique non negavit, quin potius complevit, et consummavit. Unde non immerito in verbo proposito a Domino subinfertur: *Intra in gaudium Domini tui.* Unde licet gaudium aeternae beatitudinis in cor hominis intret, maluit tamen Dominus ei dicere: *Intra in gaudium;* ut mystice innuatur, quod gaudium illud non solum in eo sit intra, sed undique illum circumdans, et absorbens, et ipsum velut abyssus infinita submergens. Memento igitur uostri, beate Joseph, et tuae orationis suffragio apud tuum putativum Filium intercede: sed et beatissimam Virginem Sponsam tuam nobis propitiam redde, quae Mater est ejus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per infinita saecula saeculorum. Amen.

R. Si consistent adversum me castra, non timebit cor meum: * Si exurgat adversum me praelium in hoc ego sperabo. Alleluja.

Y. In te cantatio mea semper, quoniam tu adjutor fortis. Si exurgat. Gloria Patri. Si exurgat.

In III. Nocturno.

Antiph. Consurgens Joseph accepit puerum, et matrem ejus, et venit in terram Israel: et habitavit in civitate quae vocatur Nazareth. Alleluja.

Y. Invocavi Dominum Patrem Domini mei. Alleluja.

R. Ut non derelinquat me in die tribulationis. Alleluja.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. 3.

In illo tempore: Factum est autem, cum baptizaretur omnis populus, et Jesu baptizato, et orante, apertum est coelum. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi. Lib. 2. de
Consensu Evangelist.

Lectio VII.

Manifestum est, illud, quod ait: ut putabatur filius Joseph: propter illos dixisse, qui eum ex Joseph, sicut alii homines nascuntur, natum arbitrantur. Quos autem movet, quod alios Progenitores Matthaeus enumerat descendens a David usque ad Joseph, alios autem Lucas ascendens a Joseph usque ad David: facile est, ut advertant, duos Patres habere potuisse Joseph: unum a quo genitus, alterum a quo fuerit adoptatus. Antiqua est enim consuetudo adoptandi etiam in illo populo Dei, ut sibi filios facerent, quos nunc ipsi genuissent. Unde intelligitur Lucas Patrem Joseph, non a quo genitus, sed a quo fuerat adoptatus suscepisse in Evangelio suo, cujus Progenitores sursum versus commemorat, donec exiret ad David.

R. Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam, quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est; pariet autem Filium: • Et vocabis nomen ejus Jesum. Alleluja.

V. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Et vocabis.

Benedictio. Cujus festum colimus.

Lectio VIII.

Cum enim necesse sit, utroque Evangelista vera narrante, et Matthaeo scilicet et Luca, ut unus eorum ejus Patris originem teneret, qui genuerat: alter ejus, qui adoptaverat Joseph: quem

probabilius intelligimus adoptantis originem tenuisse, quam eum, qui noluit Joseph genitum dicere ab illo, cujus eum filium esse narrabat? Matthaeus autem dicens: Abraham genuit Isaac, Isaac genuit Jacob, atque ita in hoc verbo, quod est genuit, perseverans, donec in ultimo diceret: Jacob autem genuit Joseph: satis expressit, ad eum Patrem se perduxisse originem generantium, a quo Joseph non adoptatus, sed genitus erat. Quamquam, si etiam Lucas genitum diceret Joseph ab Heli, nec sic nos hoc verbum perturbare deberet, ut aliud crederemus, quam ab uno Evangelista gignentem, ab altero adoptantem Patrem fuisse commemoratum. Neque enim absurde quisque dicitur non carue, sed charitate genuisse, quem filium sibi adoptaverit. At vero etiam nos, quibus dedit Deus potestatem filios ejus fieri, de natura, atque substantia sua non nos genuit, sicut unicum Filium: sed utique dilectione adoptavit.

R. Surge, et accipe puerum, et matrem ejus, et fuge in Aegyptum: * Et esto ibi, usque dum dicam tibi. Alleluja.

Y. Ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ex Aegypto vocavi filium meum. Et esto ibi. Gloria Patri. Et esto ibi.

Lectio IX.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem. Cap. 16.

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: modicum, et jam non videbitis me: et iterum modicum, et videbitis me: quia vado ad Patrem. Et reliqua.

Homilia sancti Augustini Episcopi. *Tract. 101. in Joann. sub fin.*

Modicum est, hoc totum spatium, quo praesens pervolat saeculum. Unde dicit idem ipse Evange-

lista in Epistola sua: novissima hora est. Ideo namque addidit: Quia vado ad Patrem: quod ad priorem sententiam referendum est, ubi ait: Modicum, et jam non videbitis me: non ad posteriorem ubi ait: Et iterum modicum, et videbitis me. Eundo quippe ad Patrem, facturus erat, ut eum non viderent. Ac per hoc non ideo dictum est, quia fuerat moriturus, et donec resurgeret, ab eorum aspectibus recessurus: sed quod esset iturus ad Patrem, quod fecit posteaquam resurrexit, et, cum eis per quadraginta dies conversatus, ascendit in coelum.

Te Deum laudamus.

Si vero hoc Festum contingat transferri ob festum altioris ritus, terminetur 8. Lectio ad illa verba. Sed genitus erat. et pro nona Lect. Quamquam. usque ad finem.

Ad Laudes et per Horas.

Antiphona. Jacob autem genuit Joseph, virum Mariae, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus. Alleluja.

Psalmus. Dominus regnavit. *cum reliquis de Dominica.*

Antiph. Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph. Alleluja.

Antiph. Ascendit autem Joseph a Galilaea de civitate Nazareth, in Judaeam, in civitatem David, quae vocatur Bethlehem. Alleluja.

Antiph. Et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in praesepio. Alleluja. Alleluja.

Antiph. Et ipse Jesus erat incipiens, quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph. Alleluja.

Capitulum. *Genes. 49. C.*

Benedictiones Patris tui confortatae sunt benedictionibus patrum ejus; donec veniret desiderium collum aeternorum; fiant in capite Joseph, et in vertice Nazaraei inter fratres suos.

Hymnus.

Coelitum Joseph decus, atque nostrae
Certa spes vitae, columnenque mundi,
Quas tibi laeti canimus, benignus,
Suscipe laudes.

Te sator rerum statuit pudicae
Virginis sponsum, voluitque Verbi
Te Patrem dici, dedit et ministrum
Esse salutis.

Tu Redemptorem stabulo jacentem,
Quem Chorus vatum cecinit futurum
Aspicias gaudens, humilisque natum
Numen adoras.

Rex Deus Regum, Dominator orbis,
Cujus ad nutum tremit inferorum
Turba, cui pronus famulatur aether
Se tibi subdit.

Laus sit excelsae Triadi perennis,
Quae tibi praebens superos honores,
Det tuis nobis meritis beatæ
Gaudia vitae. Amen.

Y. Dedisti mihi protectionem salutis tuae. Alleluja.

R. Et dextera tua suscepit me. Alleluja.

Ad Benedictus.

Antiphona. Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam; quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Alleluja.

O R A T I O.

Dens, qui ineffabili providentia beatum Joseph sanctissimæ Genitricis tuæ sponsum eligere dig-

natus es: praesta quaesumus; ut quem protectorem veneramur in terris, intercessorem habere mereamur in coelis. Qui vivis et regnas etc.

Et fit commemoratio Dominicae. Ant. Modicum. ut supra in Vesperis.

Y. In Resurrectione tua Christe. Alleluja.

R. Coeli et terra laetentur. Alleluja.

O R A T I O.

Deus, qui etc. ut supra in Vesperis.

Ad Tertiam.

Antiphona. Missus est.

Capitulum.

Benedictiones Patris tui ut supra.

*R. breve. Constituit eum Dominum domus suae,
* Alleluja Alleluja. Constituit eum.*

Y. Et principem omnis possessionis suae: Allel. Allel. Gloria Patri. Constituit.

Y. Confitebor nomini tuo. Alleluja.

R. Quoniam adjutor, et protector factus es mihi. Alleluja.

Ad Sextam.

Antiph. Ascendit autem.

Capitulum. Genes. 49. Cap.

Dens patris tui erit adjutor tuus, et Omnipotens benedicet tibi benedictionibus coeli desuper.

*R. breve. Confitebor nomini tuo, *Alleluja, Alleluja. Confitebor.*

*Y. Quoniam adjutor et protector factus es mihi. * Alleluja, Alleluja. Gloria Patri. Confitebor.*

Y. Justus germinabit sicut lilium. Allel.

R. Et florebit in aeternum ante Dominum. Alleluja.

Ad Nonam.

Antiph. Et ipse Jesus.Capitulum *Genes. 49. Cap.*

Filius accrescens Joseph, filius accrescens, et decorus aspectu: filiae discurrerunt super murum.

R. breve. Justus germinabit sicut lilium, *Alleluja, Alleluja. Justus germinabit.

Y. Et florebit in aeternum ante Dominum. *Alleluja, Alleluja. Gloria Patri. Justus.

Y. Plantatus in domo Domini. Alleluja.

R. In atriis domus Dei nostri. Alleluja.

In secundis Vesperis, omnia ut in primis, exceptis sequentibus.

Y. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, Alleluja.

R. Et fructus ejus dulcis gutturi meo. Allel.

Ad Magnificat.

Antiphona. Fili, quid fecisti nobis sic? ecce Pater tuus, et ego dolentes quaerebamus te. Alleluja.

O R A T I O.

Deus, qui ineffabili. *ut supra.*

Et fit commemoratio Dominicae.

Antiph. Amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos: mundus autem gaudebit, vos vero contristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Alleluja.

Y. Mane nobiscum Domine. Alleluja.

R. Quoniam advesperascit. Alleluja.

O R A T I O.

Deus, qui errantibus. *ut supra.*

Missae propria, in qua Gloria et Credo, secunda Oratio, et in fine Missae Evaug. Dominicae.

Dominica I. post Pentecosten.

Festum SS. TRINITATIS.

DUPLEX 1. Classis cum Octava.

Octava SS. TRINITATIS.

DUPLEX. *Officium fit de Octava SS. Trinitatis cum commemoratione Dom. et Octavae Corporis Christi.*

In I. Nocturno. *Lectiones ex Dominica infra Octavam Corporis Christi.*

In II. Nocturno. *Sermo S. Augustini Episcopi. Lib. 15. de Trinitate, initio.*

Lectio IV.

Densipse, quem quaerimus, adjuvabit, ut spero, ne sit infructuosus labor noster, et intelligamus quemadmodum dictum sit in Psalmo sacro: Laetetur cor quaerentium Domium: quaerite Dominum, et confirmamini; quaerite faciem ejus semper; videtur enim, quod semper quaeritur, nunquam inveniri; et quomodo jam laetabitur, et non potius contristabitur cor quaerentium, si non potuerint invenire; quod quaerunt? Non enim ait: laetetur cor inventientium, sed quaerentium Dominum: et tamen Dominum Deum inveniri posse, dum quaeritur, testatur Esaias, dum dicit: Quaerite Dominum, et mox, ut inveneritis, invocate eum.

R. Quis Dens.

Lectio V.

Si ergo quaesitus inveniri potest, cur dictum est, quaerite faciem ejus semper? An et inventus forte quaerendus est? Si enim sunt incomprehensibilia requirenda, ne se existimet nihil invenisse,

qui, quam sit incomprehensibile, quod quaerebat, potuerit invenire. Cur ergo sic quaerit, si incomprehensibile comprehendit esse, quod quaerit, nisi quia cessandum non est, quamdiu in ipsa incomprehensibilium rerum inquisitione proficitur, et melior, meliorque fit quaerens tam magnum bonum, quod et inveniendum quaeritur, et quaerendum invenitur? Nam et quaeritur, ut inveniatur dulcius, et invenitur, ut quaeratur avidius.

R. Tibi laus.

Lectio VI.

Secundum hoc accipi potest, quod dictum est in libro Ecclesiastico dicere sapientiam: Qui me manducant, adhuc esurient, et qui bibunt me, adhuc sitient, manducant enim et bibunt, quia inveniunt: et quia esuriunt, ac sitiunt, adhuc quaerunt. Fides quaerit, intellectus invenit. Propter quod ait Propheta: Nisi credideritis, non intelligetis: et rursus intellectus eum quem invenit, adhuc quaerit. Deus enim respexit super filios hominum, sicut in Psalmo sacro canitur, ut videat, si est intelligens, aut requirens Deum. Ad hoc ergo debet homo esse intelligens, ut requirat Deum.

R. Maguus.

In III. Nocturno.

Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Gen. 29.

In illo tempore: dixit Jesus Discipulis suis: Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Et reliqua.

De Homilia S. Basilii Episcopi. *De vera fide in fine.*

Tria nomina seorsum singula suam peculiarem quandam proprietatem aperte significant, quae pie considerari in ipsis potest: atque in Patre quidem proprietas Patris, in Filio vero proprietas Filii, in Spiritu sancto postremo sua quaedam a duobus diversa proprietas; cum neque Spiritus Sanctus a se ipso loquatur, neque Filius a semetipso faciat quicquam: ac Pater quidem Filium mittit, Filius vero Spiritum Sanctum. Sic sentimus, et sic baptizamus, in Trinitatem consubstantiali, idque ex praecepto ipsius Domini nostri Jesu Christi, qui dixit: **Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis.**

R. Benedicamus.

Lectio VIII.

Quae servantes, et charitatem erga illum habere nos demonstramus et digui efficimur, qui in ea maneamus. Quod cum ita sit magnopere hortor, et hortatos velim vos, fratres charissimi, ut missa istius modi curiosa investigatione flagitiosaque verborum contentione, his contenti simus, quae a sanctis viris, atque ab ipso adeo Domino nostro Jesu Christo dicta sunt, eaque sentiamus, quae respondeant coelesti vocationi; et vitam agamus Christi Evangelio convenientem, sempiternam vitam, et coeleste regnum sperantes, paratum omnibus servantibus mandata Dei et Patris, quae sunt secundum Evangelium Beati Dei Jesu Christi Domini nostri, in Spiritu sancto, et veritate.

R. Duo Seraphim.

IX. Lect. de Hom. Dom. infra Octavam SS. Corporis Christi.

Officium
**SANCTISSIMI CORDIS D. N.
 JESU CHRISTI.**

*Recitandum Feria VI. post Octavam Corporis
 Christi sub Ritu Duplicis Majoris.*

Ad Vesperas.

Antiph. **D**iscite a me. *cum reliquis ut infra
 ad laudes.*

Psalm. Dixit Dominus. *cum reliquis ut in Ve-
 speris Festi SSmi Corporis Christi.*

Capitulum. *Isaiae 12. Cap.*

**Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam,
 et non timebo, quia fortitudo mea, et laus mea Do-
 minus, et factus est mihi in salutem. Haurietis
 aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.**

Hymnus.

Auctor beate saeculi,
 Christe Redemptor omnium,
 Lumen Patris de lumine,
 Deusque verus de Deo.

Amor coegit te tuus
 Mortale corpus sumere,
 Ut novus Adam redderes.
 Quod vetus Ille abstulerat.

Ille Amor almus Artifex
 Terrae, marisque, et syderum,
 Errata Patrum miserans,
 Et nostra rumpens vincula.

Non corde discebat tuo
 Vis illa Amoris inclyti:
 Hoc fonte gentes hauriant
 Remissionis gratiam.

Percussum ad hoc est lancea,
 Passumque ad hoc est vulnera;
 Ut nos lavaret sordibus
 Unda fluente, et sanguine.

Decus Parenti, et Filio,
 Sanctoque sit Spiritui,
 Quibus potestas, gloria
 Regnumque in omne est saeculum. Amen.

V. Ignem veni mittere in terram.

R. Et quid volo, nisi ut accendatur?

Ad Maguificat.

Antiph. Improperium expectavit cor meum, et miseriam: et sustinui qui simul contristaretur et non fuit, et qui consolaretur, et non inveni.

O R A T I O.

Concede quaesumus, omnipotens Deus, ut qui in sanctissimo dilecti Filii tui corde gloriantes, praecipua in nos charitatis ejus beneficia recolimus: eorum pariter et actu delectemur, et fructu. Per eundem Dominum nostrum.

Ad Matutinum.

Invitator. Christum pro nobis passum: * Venite adoremus.

Psalm. Venite exultemus Domino.

Hymnus:

En, ut superba criminum,
 Et saeva nostrorum cohors
 Cor sauciavit innocens
 Merentis haud tale Dei!

Vibrantis hastam militis
 Peccata nostra dirigunt:
 Ferrumque dirae cuspidis
 Mortale crimen acuit.

Ex corde scisso Ecclesia
Christo jugata nascitur;
Hoc ostium Arcae in latere est
Genti ad salutem positum.

Ex hoc pereennis gratia,
Ceu septiformis fluvius;
Stolas ut illic sordidas
Lavemus Agni in sanguine.

Turpe est redire ad crimina,
Quae Cor beatum lacerent:
Sed aemulemur cordibus
Flammas Amoris indices.

Hoc, Christe nobis, hoc Pater,
Hoc sancte dona Spiritus,
Quibus potestas, gloria,
Regnumque in omne est saeculum. Amen.

In I. Nocturno.

Antiph. Quid est homo quia magnificas eum,
aut quid apponis erga eum Cor tuum?

Psalm. Domine Dominus noster. *cum reliquis
ut in Officio parvo B. M. V.*

Antiph. Meditatio Cordis mei in conspectu.
Tuo semper.

Antiph. Elevamini portae aeternales, et in-
troibit Rex gloriae.

V. Domine dabis pacem vobis.

R. Omnia enim opera nostra operatus es vobis.
Pater noster.

Absolutio. Exaudi Domine.

V. Jube Domine benedicere.

Benedictio. Benedictione perpetua.

De Isaia Proph. Lectio I. Cap. 12.

Confitebor tibi Domine, quoniam iratus es mihi:
conversus est furor tuus, et consolatus es me.
Ecce Deus Salvator meus: fiducialiter agam, et
non timebo; quia fortitudo mea, et laus mea Domi-
nus, et factus est mihi in salutem. Haurietis aquas

in gaudio de fontibus Salvatoris. Et dicetis in die illa: Confitemini Domino, et invocate nomen ejus, mementote quoniam excelsum est nomen ejus. Cantate Domino, quoniam mirifice fecit: annuntiate hoc in universa terra. Exulta, et lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel.

R. Ego sum panis vitae: Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt: * Hic est panis de coelo descendens, ut si quis ex ipso manducet, non moriatur.

V. Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi, si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. Hic est.

Lectio II. Cap. 26.

In die illa cantabitur canticum istud in terra Juda. Urbs fortitudinis nostrae Sion, Salvator ponetur in ea murus, et antemurale. Aperite portas, et ingrediatur gens justa, custodiens veritatem. Vetus error abiit, servabis pacem, pacem quia in te sperabimus. Sperastis in Domino in saeculis aeternis in Domino Deo forti in perpetuum. Quia incurvabit habitantes in excelso, civitatem sublimem humiliabit, humiliabit eam usque ad terram.

R. Ecce vidimus eum non habentem speciem, neque decorem: aspectus ejus in eo non est: hic peccata nostra portavit, et pro nobis dolet: ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras. * Cujus livore sanati sumus.

V. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit. Cujus livore.

Lectio III.

Semita justi recta est, rectus callis justi ad ambulandum: et in semita judiciorum tuorum, Domine sustinimus te: Nomen tuum, et memoriale tuum in desiderio animae. Anima mea desideravit te in

nocte, sed et spiritu meo in praecordiis meis de mane vigilabo ad te. Cum faceris iudicia tua in terra, justitiam discent habitatores orbis.

R. Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia magna solus. * Et benedictum nomen Majestatis ejus in aeternum.

V. Replebitur majestate ejus omnis terra, fiat, fiat. Et benedictum. Gloria Patri. Et benedictum.

In II. Nocturno.

Antiph. Afferentur in Laetitia, et exultatione, adducentur in templum Regis.

Antiph. Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Antiph. Sicut laetantium omnium habitatio est in Te.

V. Conversus est furor tuus.

R. Et consolatus es me. Pater noster.

Absolutio. Ipsius pietas.

V. Jube Domine benedicere.

Benedictio. Deus Pater omnipotens.

De Sermone S. Bernardi Abbatis. *Serm. 3. de Pass.*

Lectio IV.

Quia semel venimus ad Cor dulcissimum Jesu, et bonum est, nos hic esse, ne sinamus nos facile avelli ab Eo, de quo scriptum est: recedentes a te in terra scribentur. Quid autem accedentes? Tu ipse doces nos: Tu dixisti accedentibus ad Te: gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in coelo. Accedamus ergo ad Te, et exultabimus, et laetabimur in te, memores Cordis Tui. O quam bonum, et quam jucundum habitare in Corde hoc! Quin potius dabo omnia, omnes cogitationes, et affectus mentis commutabo, jactans omne cogitatum meum in Cor Domini Jesu, et sine fallacia illud me enutriet.

R. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem * in me manet, et ego in eo.

V. Non est alia natio tam grandis, quae habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis. In me manet.

Lectio V.

Ad hoc templum, ad haec Sancta Sanctorum, ad hanc Arcam Testamenti adorabo, et laudabo nomen Domini, dicens cum David: Invenit cor meum, ut orem Deum meum. Et ego inveni cor Regis, fratris, et amici benigni Jesu. Et numquid non adorabo? Hoc igitur Corde Tuo, et meo, dulcissime Jesu, invento, orabo Te Deum meum: admitte tautum in Sacrarium exauditionis tuae preces meas; immo me totum trahere in Cor Tuum. O omnium pulchritudine speciosissime Jesu, amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me; ut purificatus per Te purissimum, possim accedere, et in Corde Tuo omnibus diebus vitae meae merear habitare, et ut videre simul, et facere Tuam valeam voluntatem.

R. Sicut ovis ad occisionem ductus est, et dum male tractaretur, non aperuit os suum; traditus est ad mortem, * ut vivificaret populum suum.

V. Tradidit in mortem animam suam, et inter sceleratos reputatus est. Ut vivificaret.

Lectio VI.

Ad hoc enim perforatum est latus Tuum, ut nobis patescat introitus. Ad hoc vulneratum est cor Tuum, ut in illo, et in Te ab exterioribus perturbationibus absoluti habitare possimus. Nihilominus et propterea vulneratum est, ut per vulnus visibile, vulnus amoris invisibile videamus. Quomodo hic ardor melius ostendi potest, nisi quod non solum corpus, verum etiam ipsum Cor lancea vulnerari

permisit? Carnale ergo vulnus, vulnus spirituale ostendit. Quis illud Cor tam vulneratum non diligat? quis tam amans non redamet? Quis tam castum non amplectatur? Nos igitur adhuc in corpore manentes, quantum possumus amemus, redamemus, amplectamur vulneratum nostrum, cujus impii agricolae foderunt manus, et pedes: latus, et Cor: stemusque, ut cor vobis durum adhuc, et impenitens, amoris sui vinculo constringere, et jaculo vulnerare dignetur.

Quam charitatem Christi patientis, et pro generis humani Redemptione morientis, atque in suae mortis commemorationem instituentis Sacramentum Corporis et Sanguinis sui, ut fideles sub sanctissimi Cordis symbolo devotius, ac ferventius recolant, ejusdemque fructus uberius percipiant, Clemens XIII. Pontifex Max. ejusdem sanctissimi Cordis Festum quibusdam petentibus Ecclesiis celebrare permisit.

R. Magnus Dominus et laudabilis nimis: * et sapientiae ejus non est numerus.

V. Magnus Dominus et magna virtus ejus, et sapientiae ejus non est finis. Et sapientiae. Gloria Patri. Et sapientiae.

In III. Nocturno.

Antiph. Annuntiate de die in diem salutare ejus.

Antiph. Adorate enim omnes Angeli ejus: audivit, et laetata est Sion.

Antiph. Viderunt omnes termini terrae salutare Dei nostri.

V. Ex Sion species decoris ejus.

R. Deus noster manifeste veniet.

Pater noster.

Absolutio. A vinculis.

V. Jube Domine benedicere.

Benedictio. Evangelica lectio.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. *Cap. 19. v. 31.*

In illo tempore Judaei, quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in Cruce corpora Sabbato (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, et tollerentur Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi. *Tract. 120.
in Joannem.*

Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret: latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud; sed aperuit, ut illud quodammodo vitae ostium panderetur, unde Sacramenta manaverunt, sine quibus ad vitam, quae vera vita est, non intratur. Ille sanguis, qui fusus est, in remissionem fusus est peccatorum. Aqua illa salutare temperat poculum, haec et lavacrum praestat, et potum. Hoc praenuntiabat quod Noe in latere Arcae ostium facere jussus est, quo intrarent animalia, quae non erant diluvio peritura, quibus figurabatur Ecclesia.

R. Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: * et qui manducat me, vivet propter me.

Y. Cibavit illum Dominus pane vitae, et intellectus. Et qui manducat.

De Homilia S. Joannis Chrysostomi. *Homil. 84.*

Lectio VIII.

Vides quanti sit veritas? per ea quae Judaei faciunt prophetia impletur, alia enim ex hoc manifestata est. Venerunt ergo milites, et aliorum frangerunt crura, non Christi, sed ad Judaeorum gratiam conciliandam, latus ejus lancea aperuerunt, et

mortuo adhuc insultant. O pessimam voluntatem, ac scelestissimam! Noli tamen perturbari, o dilectissime, quae euim malo illi animo patrarunt, veritati consentiebant, prophetia hinc impleta est, iuquiens: videbunt in quem transfixerunt. Neque hoc tantum, sed non credituris fuit fidei argumentum, ut Thomae, et qui cum eo erant. Ad hoc et arcanum mysterium confirmatum est, exivit enim sanguis, et aqua. Non casu, et simpliciter hi fontes scaturierunt, sed quoniam ex ambobus Ecclesia constituta est.

R. Recessit Pastor noster, fons aquae vitae ad cuius transitum sol obscuratus est: *portas mortis, et seras pariter Salvator noster dirupit.

V. Destruxit quidem claustra inferni, et subvertit potentias diaboli. Portas. Gloria Patri. Portas.

De Homilia S. Bonaventurae Episcopi. *Lib. de lign. vitae.*

Lectio IX.

Porro ut de latere Christi dormientis formaretur Ecclesia, divina est ordinatione indultum, ut unus militum lancea latus sacrum illud aperiendo perfoderet, quatenus sanguine cum aqua manante, pretium effunderetur nostrae salutis, quod a fonte scilicet Cordis arcano profusum, vim daret Sacramentis Ecclesiae, ad vitam gratiae conferendam: essetque jam in Christo viventibus poculum fontis vivi, salientis in vitam aeternam. Surge igitur anima amica Christi, vigilare non cesses, ibi os appone, ut haurias aquas de fontibus Salvatoris.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes et per Horas.

Antiph. Discite a me, quia mitis sum, et humilis Corde.

Psalm. Dominus regnavit. *Cum reliquis de Dominica.*

Antiph. Sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, et permaneant oculi mei, et Cor meum ibi cunctis diebus.

Antiph. Et dixi: Ergo sine causa justificavi cor meum, et lavi inter innocentes manus meas, et fui flagellatus tota die.

Antiph. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae laetificaverunt animam meam.

Antiph. Pone me ut signaculum super Cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.

Capiulum. *Isaiae 12.*

Ecce Deus Salvator meus fiducialiter agam et non timebo, quia fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

Hymnus.

Cor, Arca legem continens
Non servitutis veteris;
Sed gratiae, sed veniae,
Sed et misericordiae.

Cor Sanctuarium novi
Intemeratum faederis,
Templum vetusto sanctius
Velumque scissum utilius.

Te vulneratum Caritas
Ictu patenti voluit,
Amoris invisibilis,
Ut veneremur vulnera.

Hoc sub amoris symbolo
Passus cruenta, et mystica,
Utrumque sacrificium
Christus sacerdos obtulit.

Quis non Amantem redamet?
 Quis non redemptus diligat,
 Et Corde in isto seligat
 Aeterna tabernacula?

Decus Parenti, et Filio,
 Sanctoque sit Spiritui,
 Quibus potestas, gloria,
 Regnumque in omne est saeculum. Am.

Y. Vere languores nostros ipse tulit.

R. Et dolores nostros ipse portavit.

Ad Benedictus.

Antiphona. Vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostrae super Eum, et livore Ejus sanati sumus.

O R A T I O.

Concede quaesumus, omnipotens Deus, ut qui in sanctissimo dilecti Filii tui Corde gloriantes, praecipua in nos charitatis ejus beneficia recolimus: eorum pariter et actu delectemur, et fructu. Per eundem Domium nostrum.

Ad Primam.

R. breve. Christe Fili Dei vivi miserere vobis.

Y. Qui passus es pro vobis. Miserere nobis.

Ad Tertiam.

Capitulum. Ecce Deus Salvator.

R. breve. Vere languores nostros Ipse tulit.

Vere.

Y. Et dolores nostros Ipse portavit.

R. Languores nostros Ipse tulit. Gloria Patri. **Vere.**

Y. Posuit fines tuos pacem.

R. Et adipe frumenti satiat te.

Ad Sextam.

Capitulum *Isaiae* 12.

Dicetis in illa die: Confitemini Domino? et invocate nomen Ejus; et mementote quoniam excelsum est nomen Ejus.

R. *breve*. Posuit fines tuos pacem. Posuit.

Y. Et adipe frumenti satiat te. Fines tuos pacem. Gloria Patri. Posuit.

Y. Dirupisti Domine vincula mea.

R. Tibi sacrificabo hostiam laudis.

Ad Nonam.

Capitulum *Isaiae* 12. Cap.

Cantate Domino, quoniam mirifice fecit, annuntiate hoc in universa terra. Exulta et lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel.

R. *breve*. Dirupisti Domine vincula mea. Dirupisti.

Y. Tibi sacrificabo hostiam laudis. Vincula mea. Gloria Patri. Dirupisti.

Y. Erit Domine nominatus in signum aeternum.

R. Quod non auferetur.

In II. Vesperis.

Omnia ut in primis, praeter sequentia.

Y. Hauietis aquas in gaudio.

R. De fontibus Salvatoris.

Ad Magnificat.

Antiph. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt Eum mortuum, non fregerunt Ejus crura, sed unus militum lancea latus Ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.

O R A T I O.

Concede quaesumus, omnipotens Deus, ut qui in sanctissimo dilecti Filii tui Corde gloriantes,

praecipua in nos charitatis ejus beneficia recolimus, eorum pariter et actu delectemur, et fructu. Per eundem Dominum nostrum.

Dominica III. Julii.

Festum SS. REDEMPTORIS.

DUPLEX 2. Classis.

Ad Vesperas.

Antiph. Virgam virtutis suae emittet Dominus ex Sion, et regnabit in saeculum saeculi.

Psalmus 109.

Dixit Dominus Domino meo, * sede a dextris meis.

Donec ponam inimicos tuos, * scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion: * dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuae in splendoribus sanctorum: * ex utero autem Luciferum genui te.

Juravit Dominus et non poenitebit eum: * tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech.

Dominus a dextris tuis, * confregit in die irae suae reges.

Judicabit in nationibus implebit ruinas: * conquassabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet: * propterea exaltabit caput.

Gloria Patri et Filio etc.

Antiph. Virgam virtutis suae emittet Dominus ex Sion, et regnabit in saeculum saeculi.

Antiph. Redemptionem misit Dominus populo suo: mandavit in aeternum testamentum suum.

Psalmus 110.

Confitebor tibi Domine in toto cordo meo: * in consilio justorum, et congregatione.

Magna opera Domini, * exquisita in omnes voluntates ejus.

Confessio, et magnificentia opus ejus; * et justitia ejus manet in saeculum saeculi.

Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus: * escam dedit timentibus se.

Memor erit in saeculum testamenti sui; * virtutem operum suorum annuntiabit populo suo.

Ut det illis haereditatem gentium: * opera manuum ejus veritas et judicium.

Fidelia omnia mandata ejus confirmata in saeculum saeculi: * facta in veritate, et aequitate.

Redemptionem misit populo suo: * mandavit in aeternum testamentum suum.

Sanctum, et terribile nomen ejus: * initium sapientiae timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum: * laudatio ejus manet in saeculum saeculi.

Gloria Patri et Filio etc.

Antiph. Redemptionem misit Dominus populo suo: mandavit in aeternum testamentum suum.

Antiph. Misericordia mea, et refugium meum Dominus: susceptor meus et liberator meus.

Psalmus 115.

Credidi, propter quod locutus sum: * ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: * omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino, * pro omnibus, quae retribuit mihi?

Calicem salutaris accipiam: * et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: * pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus.

O Domine quia ego servus tuus: ego servus tuus, et filius ancillae tuae.

Dirupisti vincula mea: * tibi sacrificabo hostiam laudis et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus: * in atriis domus Domini, in medio tui Jerusalem.

Gloria Patri et Filio etc.

Antiph. **Misericordia mea, et refugium meum Dominus: susceptor meus et liberator meus.**

Antiph. **Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.**

Psalmus 129.

De profundis clamavi ad te Domine: * Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuae intendentes: * in vocem deprecationis meae.

Si iniquitates observaveris Domine: * Domine quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est: * et propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: * speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem: * speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: * et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel: * ex omnibus iniquitatibus ejus. Gloria Patri etc.

Antiph. **Apud Dominum misericordia, et copiosa apud eum redemptio.**

Antiph. In quacunque die invocavero te, exaudies me: multiplicabis in anima mea virtutem.

Psalmus 137.

Confitebor tibi Domine in toto cordo meo: * quoniam audisti verba oris mei.

In conspectu Angelorum psallam tibi: * adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Super misericordia tua, et veritate tua: * quoniam magnificasti super omne, nomen sanctum tuum.

In quacunque die invocavero te, exaudi me: * multiplicabis in anima mea virtutem.

Confiteantur tibi Domine omnes reges terrae: * quia audierunt omnia verba oris tui.

Et cantent in viis Domini: * quoniam magna est gloria Domini.

Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit: * et alta a longe cognoscit.

Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: * et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.

Dominus retribuet pro me: * Domine misericordia tua in saeculum: opera manuum tuarum ne despicias. Gloria Patri etc.

Antiph. In quacunque die invocavero te, exaudies me: multiplicabis in anima mea virtutem.

Capitulum. Tob. 3.

Benedictum nomen tuum Deus Patrum nostrorum: qui cum iratus fueris misericordiam facies, et in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te.

Hymnus.

Creator alme siderum,
Aeterna lux credentium,
Jesu Redemptor omnium,
Intende votis supplicium.

Commune qui mundi nefas
 Ut expiares, ad crucem,
 E Virginis sacrario
 Intacta prodixisti victima.

Cujus potestas gloriae,
 Nomenque cum primum sonat:
 Et coelites, et inferi
 Tremante curvantur genu.

Qui daemones ne fraudibus
 Periret orbis, impetu
 Amoris actus, languidi
 Mundi medela factus es.

Te deprecamur ultimae
 Magnum diei Judicem.
 Armis supernae gratiae
 Defende nos ab hostibus.

Jesu tibi sit gloria,
 Qui natus es de Virgine,
 Cum Patre, et almo Spiritu
 In sempiterna saecula. Amen.

Sic terminantur Hymni ad omnes horas.

V. Redemisti nos Domine in sanguine tuo.

R. Et fecisti nos Deo nostro regnum.

Ad Magnificat.

Antiphona. Salus autem mea in sempiternum
 erit, et justitia mea in generationes generationum.
Alleluja.

O R A T I O.

Deus, qui nos in tantis periculis constitutos,
 pro humana scis fragilitate non posse subsistere:
 da nobis salutem mentis et corporis: ut ea, quae
 pro peccatis nostris patimur, te adjuvante vincamus.
 Per Dominum nostrum.

Dein fit Commemor. Dom. occur.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Redemptorem saeculorum, ipsum regem Angelorum: * Adoremus Dominum.

Psalmus 94. Venite, exultemus.

Hymnus.

Rerum Creator optime,
Rectorque noster aspice:
Nos a quiete noxia
Mersos sopore libera.

Mentes manusque tollimus,
Propheta sicut noctibus
Nobis gerendum praecipit,
Paulusque gestes censuit.

Te, Sancte Christe poscimus:
Ignosce culpis omnibus:
Ad constituendum surgimus,
Morasque noctis rumpimus.

Jesu tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna saecula. Amen.

In I. Nocturno.

Antiph. Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo.

Psalmus 3.

Domine, quid multiplicati sunt qui tribulant me:
* multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animae meae: * non est salus ipsi in Deo ejus.

Tu autem Domine susceptor meus es: * gloria mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: * et exaudivit me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum: * et exsurrexi, quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me:
* exurge Domine, salvum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi
sine causa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus: * et super populum tuum benedictio tua. Gloria Patri.

Antiph. Voce mea ad Dominum clamavi, et exaudivit me de monte sancto suo.

Antiph. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra.

Psalmus 8. Domine etc. Incipit a 2. Vers.

Quoniam elevata est magnificentia tua: * super coelos.

Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos: * ut destruas inimicum et ultorem.

Quoniam videbo coelos tuos, opera digitorum tuorum: * lunam et stellas, quae tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab Angelis: * gloria et honore coronasti eum, et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus: * oves et boves universas, insuper et pecora campi.

Volucres coeli, et pisces maris: * qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster: * quam admirabile est nomen tuum in universa terra.

Gloria Patri etc.

Antiph. Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra.

Antiph. Dominus in templo sancto suo: Dominus in coelo sedes ejus.

Psalmus 10.

In Domino confido, quomodo dicitis animae meae: * Trausmiga in montem sicut passer.

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, paraverunt sagittas suas in pharetra: * ut sagittent in obscuro rectos corde.

Quoniam quae perfecisti destruxerunt: * justus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo: * Dominus in coelo sedes ejus.

Oculi ejus in pauperem respiciunt: * palpebrae ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat justum et impium: * qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.

Pluet super peccatores laqueos: * ignis et sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus, et justitias dilexit: aequitatem vidit vultus ejus.

Gloria Patri et Filio.

Antiph. Dominus in templo sancto suo: Dominus in coelo sedes ejus.

V. Redime me Domine, et miserere mei.

R. In Ecclesiis benedicam te Domine. Pater noster.

Absolutio. Exaudi Domine.

Benedictio. Benedictione perpetua.

De Isaia Propheta. Lectio I. Cap. 51.

Audite me, qui sequimini quod justum est, et quaeritis Dominum: attendite ad petram unde excisi estis, et ad cavernam laci, de qua praecisi estis: consolabitur ergo Dominus Sion, et consolabitur omnes ruinas ejus: et ponet desertum ejus quasi delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini. Gaudium et laetitia invenietur in ea, gratiarum actio, et vox laudis. Attendite ad me po-

pule meus, et tribus mea me audite: quia lex a me exiet, et iudicium meum in lucem populorum requiescet. Prope est justus meus, egressus est Salvator meus, et brachia mea populos, judicabunt: me insulae expectabunt, et brachium meum sustinebunt.

R. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum et elevatum: et plena erat omnis terra maiestate ejus. * Et ea quae sub ipso erant, replebant templum. Y. Seraphim stabant super illud: sex alae nui, et sex alae alteri. Et ea.

Benedictio. Unigenitus Dei filius.

Lectio II.

Levate in coelum oculos vestros, et videte sub terra deorsum: Quia coeli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur, et habitatores ejus sicut haec interibunt: salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea non deficiet. Audite me, qui scitis justum: populus meus, lex mea in corde eorum: nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne metuat, sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis: et sicut lanam, sic devorabit eos tinea: salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea in generationes generationum.

R. Aspice Domine de sede sancta tua, et cogita de nobis: inclina Deus meus aurem tuam, et audi. * Aperi oculos tuos, et vide tribulationem nostram. Y. Qui regis Israel, intende, qui deducis velut ovem Joseph. Aperi etc.

Benedictio. Spiritus sancti.

Lectio III.

Consurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini: consurge sicut in diebus antiquis in generationibus saeculorum. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? Num-

quid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis: qui posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati? et nunc qui redempti sunt a Domino, revertentur, et venient in Sion laudantes, et laetitia sempiterna super capita eorum, gaudium et laetitiam tenebunt, fugiet dolor et gemitus. Ego, ego ipse consolabor vos: quis tu, ut timeres ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi foenum ita arescet? et oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit coelos, et fundavit terram: et formidasti jugiter tota die a facie furoris ejus, qui te tribulabat, et paraverat ad perdendum: ubi nunc est furor tribulantis? cito veniet gradiens ad aperiendum, et non interficiet usque ad interuiccionem, nec deficiet panis ejus. Ego autem sum Dominus Deus tuus.

R. Deus, qui sedes super thronum, et judicas aequitatem, esto refugium pauperum in tribulatione.
 * Quia tu solus laborem et dolorem consideras.
 V. Tibi enim derelictus est pauper, pupillo tu eris adjutor. Quia tu etc. Gloria Patri. Quia tu etc.

III. Nocturno.

Antiph. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.

Psalmus 19.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis: * protegat te nomen Dei Jacob.

Mittat tibi auxilium de sancto: * et de Sion tueatur te.

Memor sit omnis sacrificii tui: * et holocaustum tuum pingue fiat.

Tribuat tibi secundum cor tuum: * et omne consilium tuum confirmet.

Laetabimur in salutari tuo: * et in nomine Dei nostri magnificabimur.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas: * nunc

cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum suum.

Exaudiet illum de coelo sancto suo: * in potentibus salus dexteræ ejus.

Hi in curribus, et hi in equis: * nos autem in nomine Domine Dei nostri invocabimus.

Ipsi obligati sunt, et ceciderunt: * nos autem surreximus, et erecti sumus.

Domine salvum fac regem: et exaudi nos in die, qua invocaverimus te.

Gloria Patri et Filio etc.

Antiph. Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.

Antiph. Tu es ipse Rex mens, qui mandas salutes in Jacob.

Psalmus 23.

Domini est terra, et plenitudo ejus: * orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum: * et super flumina praeparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus, et mundo corde: * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino, * et misericordiam a Deo salutari suo.

Haec est generatio quaerentium eum, quaerentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales: * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriae? * Dominus fortis et potens, Dominus potens in praelio.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portae aeternales: * et introibit Rex gloriae.

Quis est iste Rex gloriæ? * Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

Gloria Patri et Filio.

Antiph. Tu es ipse Rex meus, qui mandas salutes in Jacob.

Antiph. Immola Deo sacrificium laudis, et redde altissimo vota tua.

Psalmus 45.

Deus noster refugium et virtus: * adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra: et transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, et turbatae sunt aquae eorum: * conturbatae sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus laetificat civitatem Dei: * sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio ejus, non commovebitur: * adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Conturbatae sunt gentes, et inclinata sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Venite et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram: * auferens bella usque ad finem terræ.

Arcum conteret, et confringet arma: * et scuta comburet igni.

Vacate, et videte quoniam ego sum Deus: * exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Gloria Patri et Filio etc.

Antiph. Immola Deo sacrificium laudis, et redde altissimo vota tua.

V. Memento nostri Domine in beneplacito populi tui.

R. Visita nos in salutari tuo. Pater noster.

Absolutio. Ipsius pietas.

Benedictio. Deus Pater.

In II. Nocturno. Lectio IV.

Sermo S. Leonis Papae. *Serm. I. Jejun. decimi Mens.*

Si fideliter dilectissimi atque sapienter creationis nostrae intelligamus exordium, inveniemus hominem ideo, ad imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset auctoris: et hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in vobis quasi in quodam speculo, divinae benignitatis forma resplendeat. Ad quam quotidie nos utique reparat gratia Salvatoris, dum quod cecidit in Adam primo, erigitur in secundo. Causa autem reparationis nostrae non est, nisi misericordia Dei: quem non diligeremus, nisi prius nos ipse diligeret, et tenebras ignorantiae nostrae suae veritatis luce discuteret.

R. A dextris est mihi Dominus ne commovear:
* Propter hoc dilatatum est cor meum, et exultavit lingua mea.

V. Dominus pars haereditatis meae et calicis mei. Propter hoc etc.

Benedictio. Christus perpetua.

Lectio V.

Diligendo itaque nos Deus, ad imaginem suam nos reparat: et ut in nobis formam suae bonitatis inveniatur: dat, unde ipsi quoque, quod operatur, operemur, accendens scilicet mentium nostrarum lucernas, et igne nos suae charitatis inflammans, ut non solum ipsum, sed etiam quidquid diligit, diligamus. Nam si inter homines ea demum firma amicitia est, quam morum similitudo sociarit, cum tamen paritas voluntatum saepe in reprobos tendat

affectus: quantum nobis optandum, atque nitendum est, ut in nullo ab iis, quae Deo sunt placita, discrepemus, de quo dicit Propheta: quoniam ira in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus, quia non aliter nobis erit dignitas divinae Majestatis, nisi imitatio fuerit voluntatis.

R. Intuere Domine, quia facta est desolata civitas plena divitiis: sedet in tristitia Domina gentium. Non est, qui consoletur eam, nisi tu Dens noster. V. Plorans ploravit in nocte, et lacrymae ejus in maxillis ejus. Non est.

Benedictio. Ignem sui amoris.

Lectio VI.

Dicente itaque Domino: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota mente tua: et diliges proximum tuum sicut te ipsum. Suscipiat fidelis anima auctoris sui, atque Rectoris immarcescibilem charitatem, totamque se etiam ejus subiciat voluntati, in cujus operibus, atque judiciis nihil vacat a veritate justitiae, nihil a miseratione clementiae. Quoniam etsi magnis quis laboribus et multis fatigetur incommodis, bona est illi causa tolerandi, qui se adversis vel corrigi intelligit, vel probari. Hanc igitur immensae largitatis clementiam ostendere dignatus est Deus erga populum Venetiarum dira tunc temporis pestilentia vexatum: sed voto facto invisendi quotannis templum in honorem sanctissimi Redemptoris a fundamentis publicae magnificentia pietatis exstructum, non multo post extincto morbo, summa totius civitatis laetitia, pristinae incolumitati se vidit restitutum. Ut autem accepti beneficii recordatio, et cultus erga Salvatorem nostrum augeretur indies, officium proprium et Missam sub titulo Sanctissimi Redemptoris Innocentius decimus tertius Romanus Pontifex omnibus utriusque sexus Christi fidelibus Venetiis

existentibus, qui ad horas Canonicas tenentur, singulis annis Dominica tertia Julii recurrente recitanda concessit, Benedictus decimus tertius itidem Romanus Pontifex ad totum statum, et Dominum Venetum extendit.

R. Ornauerunt faciem templi coronis aureis, et dedicaverunt altare Domino: * Et facta est laetitia magna in populo. **V.** In hymnis, et confessionibus benedicebant Dominum. **Et facta.** Gloria Patri. **Et facta.**

In III. Nocturno.

Antiph. Ego autem ad Deum clamavi, et Dominus salvabit me.

Psalmus 60.

Exaudi Deus deprecationem meam: * intende orationi meae.

A finibus terrae ad te clamavi: * dum anxietur cor meum, in petra exaltasti me.

Deduxisti me, quia factus es spes mea * torris fortitudinis a facie inimici.

Inhabitabo in tabernaculo tuo in saecula: * protegar in velamento alarum tuarum.

Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam: * dedisti haereditatem timentibus nomen tuum.

Dies super dies Regis adjicies: * annos ejus usque in diem generationis et generationis.

Permanet in saeternum in conspectu Dei: * misericordiam et veritatem ejus quis requireret?

Sic Psalmum dicam nomini tuo in saeculum saeculi: * ut reddam vota mea de die in diem.

Gloria Patri et Filio.

Antiph. Ego autem ad Deum clamavi, et Dominus salvabit me.

Antiph. Deus meus, Salvator meus, salutare meum, et spes mea in aeternum.

Psalmus 74.

Confitebimur tibi Deus: * confitebimur et invocabimus nomen tuum.

Narrabimus mirabilia tua: * cum accepero tempus, ego justitias judicabo.

Liquefacta est terra et omnes qui habitant in ea: ego confirmavi columnas ejus.

Dixi iniquis, nolite inique agere: et delinquentibus, nolite exaltare cornu.

Nolite extollere in altum cornu vestrum: * nolite loqui adversus Deum iniquitatem.

Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque a desertis montibus: * quoniam Deus judex est.

Hunc humiliat, et hunc exaltat: * quia calix in manu Domini, vini meri plenus misto.

Et inclinavit ex hoc in hoc, verumtamen faex ejus non est exinanita: * bibent omnes peccatores terrae.

Ego autem annuntiabo in saeculum: cantabo Deo Jacob.

Et omnia cornua peccatorum confringam: * et exaltabuntur cornua iusti.

Gloria Patri et Filio etc.

Antiph. Deus meus Salvator meus, salutare meum, et spes mea in aeternum.

Antiph. Protector noster aspice Deus, et respice in faciem Christi tui

Psalmus 83.

Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum: * concupiscit, et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum et caro mea: * exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua Domine virtutum: * Rex meus et Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua Domine: * in saecula saeculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te: * ascensionem in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit.

Eteum Benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: * videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: * auribus percipe Deus Jacob.

Protector noster aspice Deus: * et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis: * super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei: * magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus: * gratiam et gloriam dabit Domini.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: * Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te.

Gloria Patri et Filio etc.

Antiph. Protector noster aspice Deus, et respice in faciem Christi tui.

V. Notam fecisti in gentibus virtutem tuam.

R. Redemisti in brachio tuo populum tuum.

Absolutio. A vinculis.

Benedictio. Evangelica lectio.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Lectio VII. Cap. 3.

In illo tempore: dixit Jesus Nicodemo: nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, filius hominis qui est in coelo. Et reliqua.

Homilia S. Augustini Episcopi. *Ex Tract.*

Cap. 13 in Joannem.

Nemo ascendit in coelum, nisi qui de coelo descendit. Descendit enim et mortuus est, et ipsa morte liberavit nos a morte. Morte occisas mortem occidit. Et nostis fratres, quia mors ista per diaboli invidiam intravit in mundum. Deus mortem non fecit, scriptura loquitur: nec laetatur, inquit in perditione vivorum; creavit enim ut essent omnia. Sed quid ibi ait? invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum. Ad mortem a diabolo propinatam non veniret homo vi adactus; non enim cogendi potentiam diabolus habebat, sed persuadendi versutiam. Si non consentiret, nihil invexerat diabolus; consensio tua, o homo, te perduxit ad mortem. A mortali mortales nati, et ex immortalibus mortales facti. Ab Adam omnes homines mortales. Jesus autem Filius Dei Verbum Dei, per quod facta sunt omnia, unicus aequalis Patri, mortuus factus est: quia Verbum caro factum est, et habitavit in nobis. Si ergo mortem suscepit, et mortem suspendit in cruce, de ipsa morte liberantur mortales. Quod in figura factum est apud antiquos, commemoravit illud Dominus.

R. Laudabilis populus, *quem Dominus exercituum benedixit dicens: opus manuum mearum tu es: haereditas mea Israel. Y. Beata gens, cujus est Dominus Deus: populus electus in haereditatem. Quem etc.

Benedictio. Divinum auxilium.

Lectio VIII.

Et sicut, inquit, Moyses exaltavit serpentem in eremo, ita exaltari oportet Filium hominis. Quis est serpens exaltatus? mors Domini in cruce. Quia enim a serpente mors, per serpentis effigiem figu-

rata est mors. Morsus serpentum laetalis, mors Domini vitalis. Attenditur serpens, ut nihil valeat serpens. Quid est hoc? attenditur mors, nihil valeat mors. Sed cujus mors? mors vitae. Nonne vita Christus? et tamen mortuus est Christus. Interim modo, fratres, ut a peccato sanemur, Christum crucifixum intueamur: quia sicut Moyses iquit, exaltavit serpentem in eremo, ita exaltari oportet Filium hominis: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Quomodo qui intuebantur illum serpentem, non peribant moribus serpentum: sic, qui intuentur fide mortem Christi, sanantur a moribus peccatorum. Sed illi sanabantur a morte ad vitam temporalem: hic autem ait, ut habeant vitam aeternam. Hoc enim interest inter figuratam imaginem, et rem ipsam: figura praestabat vitam temporalem: res ipsa, cuius illa figura erat, praestat vitam aeternam.

R. Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: * Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth: * Plena est omnis terra gloria ejus. V. Tres sunt, qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum, et Spiritus sanctus: et hi tres unum sunt. Sanctus etc. Gloria Patri etc. Plena est.

Benedictio. Per evangelica dicta.

Lectio nona legitur de homilia Dominicae curr.

Ad Laudes et per Horas.

Antiph. Cantate Domino, quoniam magnifice fecit: annunciate hoc in universa terra.

Psalm. Dominus regnavit. *Cum reliquis de laudibus Dominicae.*

Antiph. Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam: quia factus est mihi in salutem. Allel.

Antiph. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris, et dicetis: Confitemini Domino, et invocate nomen ejus.

Antiph. Facta est salus et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus.

Antiph. Exulta et lauda habitatio Sion quia magnus in medio tui sanctus Israel.

Capitulum.

Benedictum nomen tuum Deus Patrum nostrorum, qui cum iratus fueris misericordiam facies, et in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te.

Hymnus.

Salutis humanae Sator.

Jesu voluptas cordium
Orbis redempti Conditor
Et casta lux amantium.

Qua victus es clementia,
Ut nostra ferres crimina?
Mortem subires innocens,
A morte nos ut tolleres.

Te cogat indulgentia,
Ut damna nostra sarcias,
Tuique vultus compotes
Dites beato lumine.

Jesu tibi sit gloria.
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et almo Spiritu,
In sempiterna saecula. Amen.

V. Domine refugium factus es nobis.

R. A generatione et progenie.

Ad Benedictus.

Antiph. Ecce Deus noster iste, expectavimus eum, et salvabit nos: sustinuvimus eum, exaltabimus, et laetabimur in salutare ejus. Allel.

O R A T I O.

Deus, qui nos in tantis periculis constitutos, pro humana scis fragilitate non posse subsistere:

da nobis salutem mentis et corporis: ut ea, quae pro peccatis nostris patimur, te adjuvante vincamus. Per Dominum nostrum.

Deinde fit Commemoratio Dominicae occurr.

Ad Primam.

R. breve. Christe Fili.

Y. Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Tertiam.

Antiph. Ecce Deus.

Capitulum.

Benedictum nomen tuum Deus Patrum nostrorum: qui cum iratus fueris misericordiam facies, et in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te.

R. breve. Redime me Domine, * et miserere mei. Redime. *Y.* In Ecclesiis benedicam te Domine. Et miserere mei. Gloria Patri. Redime.

Y. Memento nostri Domine in beneplacito populi tui. *R.* Visita nos in salutari tuo.

Ad Sextam.

Antiph. Haurietis aquas.

Capitulum 1. Corinth. 1.

Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia, et sanctificatio et redemptio.

R. breve. Memento nostri Domine, * in beneplacito populi tui. Memento. *Y.* Visita nos in salutari tuo. In beneplacito. Gloria Patri. Memento.

Y. Redemisti nos Domine in sanguine tuo.

R. Et fecisti nos Deo nostro regnum.

Ad Nonam.

Antiph. Exulta et lauda.

Capitulum. *Apocal. 4.*

Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, et honorem, et virtutem: quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum.

R. breve. Notam fecisti in populis, * Virtutem tuam. Notam. *Y.* Redemisti in brachio tuo populum tuum. Virtutem tuam. Gloria Patri. Notam.

Y. Domine refugium factus es nobis.

R. A generatione et progenie.

In secundis Vesperis omnia dicuntur ut in primis, praeter sequentem antiphonam.

Ad Magnificat.

Antiph. Regnum tuum, regnum omnium saeculorum, et Dominatio tua in omni generatione, et generationem. Alleluja.

Comm. Dom.

FESTA SEPTEMBRIS.

Dominica 1. Septembris.

Festum S. ANGELI CUSTODIS.

DUPLEX 2. *Classis cum Octava.*

Ad Vesperas.

Antiph. Mittet Dominus, cum reliquis de Laud. ut infra, Psalmi, Dixit Dominus cum reliquis de Dominica, et loco ultimi Psalmi, Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum. *Exod. 23. C.*

Ecce ego mittam Angelum meum, qui praecedat te, et custodiat in via, et introducat in locum, quem paravi.

Hymnus.

Custodes hominum etc. *ut in Breviario 2. Octobris.*

V. Angelis suis Deus mandavit de te.

R. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

Ad Magnificat.

Antiph. In conspectu gentium nolite timere, vos enim in cordibus vestris adorare Deum: Angelus enim ejus vobiscum est.

O R A T I O.

Deus, qui ineffabili providentia sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris: largire supplicibus tuis, et eorum semper protectione defendi, et aeterna societate gaudere. Per Dominum nostrum.

Dein fit Commemoratio Dominicae, si in ea celebretur.

Ad Matutinum.

Invitatorium. Regem Angelorum Dominum,
* Venite adoremus. *Psalm.* Venite exultemus.
Hymnus. Custodes hominum, *ut supra.*

In L. Nocturno.

Antiph. Dominus Deus coeli et terrae, ipse mittet Angelum suum coram te. *Psalm.* Domine Dominus noster, omnes Psalmi dicuntur *ut in Festo S. Michaelis, 29. Sept.*

Antiph. Laudemus Dominum, quem laudant Angeli quem Cherubim, et Seraphim, Sanctae,

Sanctos, Sanctus proclamant. Psalm. In Domino confido.

Antiph. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini de manu Angeli. *Psalm.* Domine, quis habitabit.

V. Stetit Angelus juxta aram templi.

R. Habens thuribulum aureum in manu sua.

De Libro Exodi. Lectio I. Cap. 33.

Ecce ego mittam Angelum meum, qui praecedat te, et custodiat in via, et introducat in locum, quem paravi. Observa eum, et audi vocem ejus, nec contemnendum putes: quia non dimittet cum peccaveris, et est nomen meum in illo. Quod si audieris vocem ejus, et feceris omnia quae loquor, inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te. Praecedetque te Angelus meus.

R. Non accedet ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. * Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. **V.** In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. * Quoniam Angelis.

Ex Zacharia Propheta. Cap. 1.

Lectio II.

Factum est verbum Domini ad Zachariam, filium Barachiae, filii Addo, Prophetam, dicens: Vidi per noctem, et ecce vir ascendens super equum rufum, et ipse stabat inter myrteta, quae erant in profundo: et post eum equi rufi varii, et albi. Et dixi: Quid sunt isti, Domine mi? Et dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me: Ego ostendam tibi quid sint haec. Et respondit vir, qui stabat inter myrteta, et dixit: Isti sunt, quos misit Dominus ut perambularent terram. Et responderunt Angelo Do-

mini, qui stabat inter myrteta, et dixerunt: Perambulavimus terram, et ecce omnis terra habitatur, et quiescit.

R. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua: * et data sunt ei incensa multa: Et ascendit fumus aromatum de manu Angeli in conspectu Domini. **V.** In conspectu Angelorum psallam tibi: adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo Domine. * Et ascendit.

Lectio III. Cap. 2.

Et levavi oculos meos, et vidi, et ecce vir, et in manu ejus funiculus mensorum. Et dixi: quo tu vadis? Et dixit ad me: ut metiar Jerusalem, et videam quanta sit latitudo ejus, et quanta longitudo ejus. Et ecce Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, et Angelus alius egrediebatur in occursum ejus. Et dixit ad eum: Curre, loquere ad puerum istum, dicens: absque muro habitabitur Jerusalem prae multitudine hominum, et jumentorum in medio ejus. Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu, et in gloria ero in medio ejus.

R. In conspectu Angelorum psallam tibi, et adorabo ad templum sanctum tuum. * Et confitebor nomini tuo Domine. **V.** Super misericordia tua, et veritate tua, quoniam magnificasti super nos nomen sanctum tuum. * Et confitebor. Gloria Patri. * Et confitebor.

In II. Nocturno.

Antiph. Mitte Domine Angelum tuum bonum ante nos, in timore brachii tui, et metuant, qui ode-
runt nos. *Psalm.* Coeli enarrant gloriam Dei.

Antiph. Angeli Domini comitentur nobiscum,

ut bene ambulemus in viam rectam. *Psalm.* Domini est terra.

Antiph. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, et custodiet eos. *Psalm.* Benedicam Domini.

Y. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini.

R. De manu Angeli.

De Expositione S. Bernardi Abbatis. *In Psalm. nonages. Serm. 12.*

Lectio IV.

Angelis suis mandavit de te. Mira dignatio, et vere magna dilectio charitatis. Quis enim? quibus? de quo? quid mandavit? studiose consideremus, fratres, diligenter commendemus memoriae hoc tam grande mandatum. Quis enim mandavit? cujus sunt Angeli? cujus obediunt voluntati? Nempe, Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Nec cunctantur, quin etiam in manibus tollant te. Summa ergo Majestas mandavit Angelis, et Angelis suis mandavit. Illis utique sublimibus, tam beatis, tam proxime sibi cohaerentibus, tam familiariter sibi adhaerentibus, et vere domesticis Dei mandavit de te. Tu quis es? quasi vero non sit homo putredo, et filius hominis vermis.

R. Custodivit me Angelus Domini, et hinc euntem, et ibi commorantem, et inde huc revertentem: * Et non permisit me Dominus coinquinari. *Y.* Sed sine pollutione peccati revocavit me vobis, gaudentem in victoria sua, in evasione mea, et liberatione vestra. * Et non permisit.

Lectio V.

Sed quid putas, mandavit de te? Numquid scripsit contra te amaritudines? numquid ut contra

folium, quod vento rapitur, ostendant potentiam suam, et stipulam siccam persequantur? numquid, ut tollant inpium, ne videat gloriam Dei? Mandandum illud est, non mandatum. Itaque Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te. Pretiosum depositum nobis commiserat. Fructum crucis suae, pretium sanguinis sui; non est contentus custodia hac tam parum tuta, tam parum utili, tam insufficienti. Super muros tuos Jerusalem constituit Custodes nempe etiam ipsi, qui videntur muri aut in muro ipso columnae, his custodibus egent, et maxime.

R. Posuit Dominus castra sua in medio populi sui. * Ut eripiant vos, de manu omnium inimicorum nostrorum. V. Fuerunt Jacob obviam Angeli Dei, quos cum vidisset, ait: Castra Dei sunt haec. * Ut eripiant.

Lectio VI.

Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam! reverentiam pro praesentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. Caute ambula, ut videlicet cui adsunt Angeli, sicut eis mandatum est, in omnibus viis tuis: In quovis diversorio, in quovis angulo, Angelo tuo reverentiam habe. Tu ne audeas illo praesente, quod vidente me non auderis? Caeterum etsi tam parvuli sumus, et tam magna vobis, nec modo tam magna, sed tam periculosa via restat, quid tamen sub tantis Custodibus timeamus? nec superari, nec seduci, minus autem seducere possunt, qui custodiunt nos in omnibus viis nostris. Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt, quid trepidamus? tantum sequamur eos, adhaereamus eis, et in protectione Dei coeli commoremur.

R. Sancti Angeli, Custodes nostri, defendite

nos in praelio. * Ut non pereamus in tremendo iudicio. *V.* Vos autem Angeli sancti, milites Dei, coelorum cives, Custodes hominum, defendite nos semper. * Ut non pereamus. Gloria. * Ut non pereamus.

In III. Nocturno.

Antiph. Angeli eorum semper vident faciem Patris, qui in coelis est. *Psalm.* Cantate Domino canticum novum: cantate Domino omnis terra.

Antiph. Adorate Dominum omnes Angeli ejus: audivit, et laetata est Sion. *Psalm.* Dominus regnavit, exultet terra.

Antiph. Benedicite Domino omnes Angeli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus. *Psalm.* Benedic anima mea Domino, et omnia quae intra me sunt.

V. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus.

R. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 18.

In illo tempore: accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Quis, putas, major est in regno coelorum. Et reliqua.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri. Lib. 3. Comment. in Matth. Cap. 18.

Post inventum staterem, post tributa reddita, quid sibi vult Apostolorum repentina interrogatio: Quis, putas, major est in regno coelorum? Quia viderant pro Petro et Domino idem tributum redditum, ex aequalitate pretii arbitrati sunt Petrum omnibus Apostolis esse praelatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus: ideo interrogant,

quis major sit in regno coelorum. Vidensque Jesus cogitationes eorum, et causas erroris intelligens, vult desiderium gloriae, humilitatis contentione sanare.

R. In conspectu gentium nolite timere; vos enim in cordibus vestris adorare et timere Dominum: * Angelus enim ejus vobiscum est. Y. Stetit Angelus juxta aram templi, habens thuribulum aureum in manu sua. * Angelus.

Lectio VIII.

Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, et projice abs te. Necesse est, quidem venire scandala: vae tamen ei est homini, qui, quod necesse est ut fiat in mundo, vitio suo facit, ut per se fiat. Igitur omnis truncatur affectus, et universa propinquitas amputatur, ne per occasionem pietatis unusquisque credentium scandalis pateat. Si, inquit, ita est quis tibi conjunctus, ut manus, pes, oculus, et est utilis atque sollicitus, et acutus ad perspiciendum: scandalum autem tibi facit, et propter dissonantiam morum te pertrahit in gehennam: melius est, ut propinquitate ejus, et emolumentis carnalibus careas: ne dum vis lucrifacere cognatos et necessarios, causam habeas ruinarum.

R. Mittet Dominus sanctos Angelos suos, ut nos praecedant per diem et noctem. * Et ostendant nobis viam vitae, et sint duces itineris nostri in omni tempore. Y. Angelis suis mandavit de nobis, ut custodiant nos in omnibus viis nostris. * Et ostendant. Gloria. * Et ostendant.

Lectio IX. Dominicae occurrentis. Si vero hoc Festum in 3. Septembr. diem transferatur, sequens erit.

Lectio IX.

Dico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris me. Snpra dixerat, per manum, et pedem, et oculum omnes propinquitates et necessitudines, quae scandalum facere poterant, amputandas: austeritatem itaque sententiae, subiecto praecepto temperat, dicens: Videte, ne contemnatis nnum ex pusillis istis. Sic, iuquit, praecipio severitatem, ut commisceri clementiam doceam: quia Augeli eorum iu coelis vident semper faciem Patris. Magna dignitas animarum, ut unaquaeque habeat, ab ortu nativitatis, in custodiam sui Angelum delegatum. Uude legimus in Apocalypsi Joannis: Augelo Ephesi, et reliquarum Ecclesiarum, scribe haec. Apostolus quoque praecipit velari capita iu Ecclesiis foeminarum propter Angelos.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes et per Horas.

Antiph. Mittet Dominus Angelum suum, et diriget viam tuam. *Psalm.* Dominus regnavit. *cum reliquis de Dominica.*

Antiph. Angelus meus vobiscum est, ipse autem exquiram animas vestras.

Antiph. Augeli sancti semper custodiunt nos, ut dignum Deo exhibeamus obsequium.

Antiph. Angeli Domini Dominum benedicite in aeternum.

Antiph. Augeli, Archangeli, Throni, et Dominationes, Principatus, et Potestates, Virtutes Coelorum laudate Dominum de Coelis.

Capitulum. *Exod. 23. Cap.*

Ecce ego mittam Angelum meum, qui praecedat te, et custodiat in via, et introducat in locum, quem paravi.

Hymnus:

Aeterne Rector siderum, etc. *ut in Breviario Romano, in Festo S. Angelorum Custodum, 2. Octobris.*

V. Immittet Angelus Domini in circuitu timendum eum.

R. Et eripiet eos.

Ad Benedictus.

Antiph. Benedictus Deus, qui misit Angelum suum, et eruit servos suos, qui crediderunt in eum.

O R A T I O.

Dens, qui ineffabili etc. *ut supra pag. 434.*
Dein fit Commemoratio Dominicae.

Ad Tertiam.

Antiph. Angelus meus.

Capitulum.

Ecce ego mittam, *ut supra.*

R. breve. Stetit Angelus, * Juxta aram templi, * Stetit. **V.** Habens thuribulum aureum in manu. * Juxta aram. Gloria Patri. * Stetit.

V. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini.

R. De manu Angeli.

Ad Sextam.

Antiph. Angeli sancti.

Capitulum. *Exod. 23. Cap.*

Observa eum, et audi vocem ejus, nec contemnendum putes: quia non dimittet cum peccaveris, et est nomen meum in illo.

R. br. Ascendit fumus aromatum, * In conspe-

ctu Domini. * Ascendit. Y. De manu Angeli. * In conspectu. Gloria Patri. * Ascendit.

Y. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus.

R. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Ad Nonam.

Antiph. Angeli, Archangeli.

Capitulum. Exod. 23. Cap.

Quod si audieris vocem ejus, et feceris omnia, quae loquor, inimicus ero inimicis tuis, et affligam affligentes te: praecedetque te Angelus meus.

R. br. In conspectu Angelorum, * psallam tibi Deus meus. In conspectu. Y. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. * Psallam tibi. Gloria Patri. In conspectu.

Y, Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum.

R. Et eripiet eos.

Ad II. Vesperas.

Omnia dicuntur, ut in primis, praeter ultimum Psalmum, cujus loco dicitur Psalmus: Confitebor tibi Domine in toto corde meo: quoniam audisti verba oris mei, qui est primus Ferae Sextae ad Vesperas.

Y. Angelis suis...

B. Ut custodiant..

Ad Magnificat.

Antiph. Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis: dico enim vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est.

O R A T I O.

Deus, qui ineffabili etc. ut supra) providentia sancti
Et fit Commemoratio Dominicae. angelos tuos ad nos
sciam custodire cor meum mellare de ignis: largire
supplicibus tuis et eorum semper protectione
defendi, et aeterna societate gaudere. Per.

De Die infra Octavam

S. ANGELI CUSTODIS.

In I. Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In II. Nocturno.

Sermo Sancti Augustini Episcopi. Lib. 11. civit. cap. 31.

Lectio IV.

Sancti Angeli, ad quorum Societatem, et Congregationem in hac peregrinatione laboriosissima suspiramus, sicut habent permanendi aeternitatem, ita cognoscendi facilitatem, et requiescendi felicitatem; sine difficultate quippe nos adjuvant, quoniam spiritualibus motibus puris et liberis non laborant.

R. Custodivit me.

Lectio V.

Idem ibidem cap. 33.

Nos duas Societates Angelicas intelligimus, unam fruentem Deo, alteram tumentem typho. Unam, cui dicitur: Adorate eum omnes Angeli ejus: aliam, cujus princeps dicit: Haec omnia dabo tibi, si prostratus adoraveris me. Unam, sancto Dei amore flagrantem: alteram, propriae celsitudinis immundo amore fumantem. Et quoniam, sicut scriptum est, Dens superbis resistit, humilibus autem dat gratiam; illam in coelis habitantem, istam inde dejectam, in hoc infimo aereo coelo tumultuantem.

R. Posuit Dominus.

Lectio VI.*Idem ibidem.*

Illam luminosa pietate tranquillam, istam tenebrosis cupiditatibus turbulentam. Illam Dei nutu clementer subvenientem, juste ulciscentem; istam suo fastu subdendi, et nocendi libidine aestuantem. Illam, ut quantum vult, consulat, Dei bonitatis ministram; istam, ne quantum vult, noceat, Dei potestate fraenatam. Illam huic illudentem, ut nolens prosit persecutionibus suis; hauc illi invidentem, cum peregrinos colligit suos.

R. Sancti Angeli.**In III. Nocturno.****Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.****Lectio VII. Cap. 18.**

In illo tempore: Accesserunt Discipuli ad Jesum, dicentes: Quis, putas, major est in Regno Coelorum: Et reliqua.

Homilia Sancti Hilarii Episcopi.*Comment. in Matth. can. 18. post Int.*

Non nisi reversos in naturam puerorum introire Regnum Coelorum Dominus docet: id est, per simplicitatem puerilem vitia corporum nostrorum animaeque revocanda. Pueros autem, credentes omnes per audientiae fidem nuncupavit. Hi enim patrem sequuntur, matrem amant, proximo velle malum nesciunt, curam opum negligunt: non insolescunt; non oderunt, non mentiuntur, dictis credunt, et quod audiunt, verum habent. Revertendum igitur est ad simplicitatem infantium: quia in ea collocati speciem humilitatis Dominicae circumferemus.

R. In conspectu gentium.

Lectio VIII.

Vae huic mundo ab scandalis. Humilitas passionis, scandalum mundo est. In hoc enim maxime ignorantia detinetur humana, quod sub deformitate crucis, aeternae gloriae Dominum noluit accipere. Et quid mundo tam periculosum, quam non recepisse Christum? Ideo vero necesse esse, ait, venire scandala: quia ad Sacramentum reddendae nobis aeternitatis, omnis in eo passionis humilitas esset explenda.

R. Mittet Dominus.

Lectio IX.

Videte, ne contemnatis unum de pusillis istis, qui credunt in me. Aptissimum vinculum mutui amoris imposuit, ad eos praecipue, qui vere in Domino credidissent. Pusillorum enim Angeli quotidie Deum vident; quia Filius hominis venit salvare quae perditae sunt. Ergo et Filius hominis salvat, et Deum Angeli vident, et Angeli pusillorum praesunt fidelium orationibus. Praeesse Angelos absoluta auctoritas est. Salvatorum igitur per Christum orationes Angeli quotidie Deo offerunt. Ergo periculose ille contemnitur, cujus desideria et postulationes ad aeternum, et invisibilem Deum ambizioso Angelorum famulatu ac ministerio pervehuntur.

Te Deum laudamus.

Die Octava

S. ANGELI CUSTODIS.

In I. Nocturno.

Lectiones de scriptura occurrente.

In II. Nocturno. Lectio IV.

Sermo S. Ambrosii Episcopi. 2 de barbaris non timendis, qui est 87. parte 3.

Hostium tumultus bellicosos minime timere debemus, nec quamlibet numerosam hostium multitudinem formidare. Quoniam, sicut ait Apostolus, major est, qui in nobis est, quam qui in mundo: hoc est, potentior est ad protegendos famulos suos Christos, quam diabolus ad instigandos inimicos; quamvis enim idem diabolus colligat sibi turbas, et crudeli eas armat insania, tamen facile destruuntur, quia melioribus populum suum Salvator circumdat auxiliis. Ait enim Propheta: Immitet Angelum Dominus in circuitu timentium eum, et eripiet eos. Quod si Angelus Domini timentes eum de periculis eripit, non potest timere barbarum, qui timuerit Salvatorem.

R. Custodivit me.

Idem in Epist. ad Hebr. Cap. 1.

Lectio V.

Quid miraris, si Filio ministerium exhibent Angeli! (cum etiam nostrae salutis ministros eos constet effectos) Filius tamen sicut Dominus salvat: isti vero sicut servi saluti praedestinationum deseruiunt. Intelligite igitur, quantus honor nobis existit, ad quos sicut ad amicos, ita ministros Angelos suos destinat Deus.

R. *Reverent Dominus.*

Idem in Psalm 37.

Lectio VI.

Qui juxta me erant, de longe steterunt: ne mysticus quidem pietatis abhorreat affectus, ut pro Angelis dixerit, qui praetendunt timentibus Dominum, ut eripiant eos de tentationibus, quas ferre non possant. Quomodo ergo longe stant, qui ad adjumentum sunt attributi? sed non illi se separant, sed qui urgetur tentationibus, putat eos longe abesse; quos propius sibi adesse desiderat,

et arbitratur dissimulare, cum illi adjuvandi tempus notu sui imperatoris expectent, qui athletam suum quo gloriosius vinceret, diutius certare praecepit.

R. Sancti Angeli.

In III. Nocturno. Lectio S. Evangelii secundum Matthaeum.

Lectio VII. Cap. 18.

In illo tempore: Accesserunt Discipuli ad Jesum, dicentes: Quis, putas, major est in regno coelorum? Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi. Ex Homil. 59.

Curiose, inquit, scrutamini vos, quis vestrum major sit, et de primatus honore contenditis. Ego autem, si quis humiliorem se caeteris non effecerit, ipso ingressu coelesti omnino indignum assero. Recte autem ante oculos monstratione parvuli totam rem posuit, ipso aspectu eos convertens, ac persuadens, ut absque simulatione aliqua humilitatem amplectantur.

R. In conspectu gentium.

Lectio VIII.

Parvuli autem non invidere, nec inanem expectare gloriam, nec primatus desiderare dignitatem noverunt; sed maxime hanc virtutem possident, puram, dico simplicitatem, et humilitatem. Non ergo fortitudine tantum, ac prudentia, sed humilitatis quoque virtute, et simplicitate nobis opus est; quae si non adest, salus nostra certe claudicat.

R. Mittet Dominus.

Nona lectio de Dominica.

Dominica III. Septembris.

Officium

SEPTEM DOLORUM B. V. MARIAE.

DUPLEX.

Ad Vesperas.

Antiph. Quo abiit dilectus tuus. cum reliquis
de *Laudibus ut infra.*

Psalm. Dixit Dominus et reliqui consueti,
prout in *Officio parvo B. Matris.*

Capitulum. Thren. 2. Cap.

Cui comparabo te? vel cui assimilabo te, Filia
Jerusalem? cui exaequabo te, et consolabor te,
Virgo Filia Sion? magna est velut mare contri-
tio tua.

Hymnus.

O quot undis lacrymarum,
Quo dolore volvitur,
Luctuosa de cruento
Dnm revulsum stipite,
Cernit ulnis incubantem
Virgo Mater Filium!

Os suave, mite pectus,
Et latus dulcissimum:
Dexteramque vulneratam,
Et sinistram sauciam;
Et rubras eruore plantas
Aegra tingit lacrymis.

Centiesque milliesque
Stringit arctis nexibus,
Pectus illud, et lacertos,
Nlla figit vulnera,
Sicque tota colliquescit
In doloris osculis.

Eja, Mater obsecramus,
 Per tuas has lacrymas
 Filique triste funus,
 Vulnernaque purpuram,
 Hunc tui cordis dolorem,
 Conde nostris cordibus.

Esto Patri, Filioque,
 Et corevo Flamini,
 Esto summae Trinitati
 Sempiterna gloria,
 Et perennis laus honorque
 Hoc et omni saeculo. Amen.

V. Regina Martyrum, ora pro nobis.

R. Quae juxta crucem Jesu constitisti.

Ad Magnificat.

Antiph. Nolite me considerare, quod fusca
 sim, quia decoloravit me sol: Filii matris meae pu-
 gnaverunt contra me.

O R A T I O.

Deus, in cujus passione, secundum Simeonis
 prophetiam, dulcissimam animam gloriosae Virgi-
 nis et Matris Mariae doloris gladius pertransivit:
 concede propitius; ut qui dolores ejus venerando
 recolimus, passionis tuae effectum felicem conse-
 quamur. Qui vivis et regnas.

Dein fit commem. Dominicae occurrentis.

*Hymni Complet. et aliarum Horarum termi-
 nantur sic.*

Jesu tibi sit gloria,
 Qui passus es pro servulis;
 Cum Patre et almo Spiritu,
 In sempiterna saecula. Amen.

Ad Matutinum.

Invitat. Stemus juxta crucem cum Maria Ma-
 ter Jesu. * Cujus animam doloris gladius pertran-
 sivit. *Psalm.* Venite exultemus.

Hymnus.

Jam toto subitus vesper erat polo,
Et sol attonitum praecipitet diem,
Dum saevae recolo ludibrium necis
Divinamque catastrophem.

Spectatrix aderns supplicio parens,
Malis uda, gerens cor adamantinum;
Natus funerea pendulus in Cruce,
Altos cum gemitus dabat.

Pendens ante oculos Natus atrocibus,
Sectus verberibus; Natus hiantibus,
Fossus vulneribus quot penetrantibus
Te conficit aculeis!

Heul sputa, alapae, verbera, vulnera,
Clavi, fel, aloe, spongia, lancea.
Sitis, spina, cruor, quam varia pium
Cor pressere tyrannide!

Cunctis interea stat generosior,
Virgo Martyribus: prodigio novo,
In tantis moriens non moreris Parens,
Diris fixa doloribus.

Sit summae Triadi gloria, laus, honor,
A qua suppliciter, sollicita prece,
Posco Virginei roboris aemulas
Vires rebus in asperis. Amen.

In I. Nocturno.

Antiph. Multiplicati sunt, qui tribulant me,
multi insurgunt adversum me.

Psalmus 3.

Domine, quid multiplicati sunt, quid tribulant
me? * multi insurgunt adversum me.

Multi dicunt animae meae: * non est salus ipsi
in Deo ejus.

Tu autem Domine susceptor meus es, * gloria
mea, et exaltans caput meum.

Voce mea ad Dominum clamavi: * et exaudivit
me de monte sancto suo.

Ego dormivi, et soporatus sum: * et exsurrexi,
quia Dominus suscepit me.

Non timebo millia populi circumdantis me:
* exurge Domine salvum me fac Deus meus.

Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi
sine causa: * dentes peccatorum contrivisti.

Domini est salus: * et super populum tuum be-
nedictio tua.

Antiph. Multiplicati sunt, qui tribulant me,
multi insurgunt adversum me.

Antiph. Paraverunt sagittas suas in pharetra,
ut sagittent in obscuro rectos corde.

Psalmus 10.

In Domino confido: quomodo dicitis animae
meae: * transmigra iu montem sicut passer?

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, pa-
raverunt sagittas suas in pharetra, * ut sagittent
in obscuro rectos corde.

Quoniam quae perfecisti, destruxerunt: * ju-
stus autem quid fecit?

Dominus in templo sancto suo, * Dominus in
coelo sedes ejus.

Oculi ejus in pauperem respiciunt: * palpebrae
ejus interrogant filios hominum.

Dominus interrogat justum et impium: * qui au-
tem diligit iniquitatem odit animam suam.

Pluet super peccatores laqueos: * ignis et sul-
phur, et spiritus procellarum pars calicis eorum.

Quoniam justus Dominus, et justitias dilexit:
aequitatem vidit vultus ejus.

Antiph. Paraverunt sagittas suas in pharetra,
ut sagittent iu obscuro rectos corde.

Antiph. Defecit in dolore vita mea, et anni
mei in gemitibus.

Psalmus 30.

In te Domine speravi non confundar in aeternum: * in justitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam: * eccelera ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem; et in domum refugii, * ut salvum me facias.

Quoniam fortitudo mea, et refugium meum es tu: * et propter nomen tuum deduces me, et convities me.

Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi: * quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spiritum meum: * redemisti me Domine Deus veritatis.

Odisti observantes vanitates, * supervacue.

Ego autem in Domino speravi: * exultabo, et laetabor in misericordia tua.

Quoniam respexisti humilitatem meam, * salvasti de necessitatibus animam meam.

Nec conclusisti me in manibus inimici: * statuisti in loco spatioso pedes meos.

Miserere mei Domine, quoniam tribulor, * conturbatus est in ira oculus meus, anima mea et venter meus.

Quoniam defecit in dolore vita mea: * et anni mei in gemitibus.

Infirmata est in paupertate virtus mea: * et ossa mea conturbata sunt.

Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, et vicinis meis valde, * et timor notis meis.

Qui videbant me, foras fugerunt a me: * oblivioni datus sum, tanquam mortuus a corde.

Factus sum tanquam vas perditum: * quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu.

In eo dum convenirent simul adversum me, * accipere animam meam consiliati sunt.

Ego autem in te speravi Domine, * dixi: Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meae.

Eripe me de manu inimicorum meorum: * et a persequentibus me.

Illustra faciem tuam super servum tuum, saluum me fac in misericordia tua: * Domine non confundar, quoniam invocavi te.

Erubescant impii, et deducantur in infernum: * muta fiant labia dolosa.

Quae loquuntur adversus justum iniquitatem, * in superbia et in abusione.

Quam magna multitudo dulcedinis tuae Domine, * quam abscondisti timentibus te.

Perfecisti eis, qui sperant in te, * in conspectu filiorum hominum.

Abscondes eos in abscondito faciei tuae, * a conturbatione hominum.

Proteges eos in tabernaculo tuo: * a contradictione linguarum.

Benedictus Dominus, * quoniam mirificavit misericordiam suam mihi in civitate munita.

Ego autem dixi in excessu mentis meae, * projectus sum a facie oculorum tuorum.

Ideo exaudisti vocem orationis meae, * dum clamarem ad te.

Diligite Dominum omnes sancti ejus, * quoniam veritatem requirit Dominus, et retribuet abundanter facientibus superbiam.

Viriliter agite, et confortetur cor vestrum, * omnes qui speratis in Domino.

Antiph. Defecit in dolore vita mea, et auni mei in gemitibus.

V. Regina Martyrum ora pro nobis.

R. Quae juxta crucem Jesu constitisti.

Lectio I. Ex Jerem. Proph. Thren. 1.

Plorans ploravit in nocte, et lacrymae ejus in maxillis ejus, non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus. Omnes amici ejus spreverunt eam et facti sunt ei inimici. Vide Domine quoniam tribulor, conturbatus est venter meus: subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum. Foris interficit gladius, et domi mors similis est. Audierunt; quia ingemisco ego et non est qui consoletur me.

R. Simeon vir justus et timoratus dixit ad Mariam, * tuam ipsius animam pertrausibit gladius.

Y. Ne vocetis me pulchram, sed amaram, quia amaritudine valde replevit me omnipotens. Tuam ipsius animam.

Lectio II. Thren. 3.

Cui comparabo te? vel cui assimilabo te, filia Jerusalem? Magua est enim velut mare contritio tua: quis medebitur tui? planserunt super te manibus omnes transeuntes per viam; sibilaverunt, et moverunt caput suum super filiam Jerusalem: Haec-cine est urbs, dicentes, perfecti decoris, gaudium universae terrae? Aperuerunt super te os suum omnes inimici tui: sibilaverunt, et fremuerunt dentibus, et dixerunt: Devorabimus.

R. Surge, et accipe puerum, et Matrem ejus et fuge in Aegyptum: Et esto ibi, usque dum dicam tibi.

Y. Vocavi filium meum ex Aegypto, ut veniat salus in Israel. Et esto.

Lectio III.

Fecit Dominus quae cogitavit, complevit sermonem suum, quem praeceperat a diebus antiquis: destruxit, et non pepercit et laetificavit super te ini-

micum, et exaltavit cornu hostium tuorum. Clamavit cor eorum ad Dominum super muros filiae Sion. Deduc quasi torrentem lacrymas, per diem et noctem non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.

R. Fili quid fecisti nobis sic? * Ego et Pater tuus. * Dolentes quaerebamus te.

V. Quid est, quod me quaerebatis. In his quae Patris mei sunt, oportet me esse. Ego, et Pater. Gloria Patri. Dolentes quaerebamus te.

In II. Nocturno.

Antiph. Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.

Psalmus 21.

Deus, Deus meus, respice in me: quare me dereliquisti? * longe a salute mea verba delictorum meorum.

Deus meus clamabo per diem, et non exaudies, * et nocte, et non ad insipientiam mihi.

Tu autem in sancto habitas, * laus Israel.

In te speraverunt patres nostri, * speraverunt, et liberasti eos.

Ad te clamaverunt, et salvi facti sunt: * in te speraverunt, et non sunt confusi.

Ego autem sum vermis, et non homo: * opprobrium hominum, et abjectio plebis.

Omnes videntes me deriserunt me: * locuti sunt labiis, et moverunt caput.

Speravit in Domino, eripiat eum: * salvum faciat eum, quoniam vult eum.

Quoniam tu es, qui extraxisti me de ventre: spes mea ab uberibus matris meae. In te projectus sum ex utero.

De ventre matris meae Deus meus es tu, * ne discesseris a me.

Quoniam tribulatio proxima est, * quoniam non est, qui adjuvet.

Circumdederunt me vituli multi, * tauri pingues obsederunt me.

Aperuerunt super me os suum, * sicut leo rapiens et rugiens.

Sicut aqua effusus sum: * et dispersa sunt omnia ossa mea.

Factum est cor meum tanquam cera liquescens * in medio ventris mei.

Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit faucibus meis, * et in pulverem mortis deduxisti me.

Quoniam circumdederunt me canes multi, * concilium malignantium obsedit me.

Foderunt manus meas et pedes meos * dinumeraverunt omnia ossa mea.

Ipsi vero consideraverunt et inspexerunt me: * diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem.

Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum a me * ad defensionem meam conspice.

Erue a framea Deus animam meam: * et de manu canis unicum meum.

Salva me ex ore leonis: * et a cornibus unicornium humilitatem meam.

Narrabo nomen tuum fratribus meis: * in medio ecclesiae laudabo te.

Qui timetis Domini, laudate eum: * universum semen Jacob glorificate eum.

Timeat eum omne semen Israel quoniam non sprexit, neque despexit deprecationem pauperis.

Nec avertit faciem suam a me: * et cum clamerem ad eum, exaudivit me.

Apud te laus mea in ecclesia magna, * vota mea reddam in conspectu timentium eum.

Edent pauperes et saturabuntur: * et laudabunt Dominum, qui requirunt eum, vivent corda eorum in saeculum saeculi.

Reminiscentur et convertentur ad Dominum, * universi fines terrae.

Et adorabunt in conspectu ejus, * universae familiae Gentium.

Quoniam Domini est regnum * et ipse dominabitur gentium.

Manducaverunt, et adoraverunt omnes pingues terrae: * in conspectu ejus cadent omnes, qui descendunt in terram.

Et anima mea illi vivet; * et semen meum serviet ipsi.

Annuntiabitur Domino generatio ventura: * et annuntiabunt coeli justitiam ejus populi qui nascentur, quem fecit Dominus.

Antiph. Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.

Antiph. Deus vitam meam annuntiavi tibi; posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Psalmus 55.

Miserere mei Deus, quoniam conculcavit me homo: * tota die impugnans tribulavit me.

Conculcaverunt me inimici mei tota die: * quoniam multi bellantes adversum me.

Ab altitudine diei timebo: * ego vero in te sperabo.

In Deo laudabo sermones meos, in Deo speravi: * non timebo, quid faciat mihi caro.

Tota die verba mea execrabantur: * adversum me omnes cogitationes eorum in malum.

Inhabitabunt et abscondent: * ipsi calcaneum meum observabunt.

Sicut sustinuerunt animam meam, pro nihilo salvos facies illos: * in ira populos confringes.

Deus vitam meam annuntiavi tibi: * posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Sicut et in promissione tua: tunc convertentur inimici mei retrorsum.

In quacunque die invocavero te: * ecce cognovi quoniam Deus meus es.

In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem: in Deo speravi non timebo, quid faciat mihi homo.

In me sunt Deus vota tua: * quae reddam, laudationes tibi.

Quoniam eripuisti animam meam de morte, et pedes meos de lapsu: * ut placeam coram Deo in lumine viventium.

Antiph. Deus vitam meam annuntiavi tibi; posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.

Antiph. Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte.

Psalmus 41.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: * ita desiderat anima mea ad te Deus.

Sitivit anima mea ad Deum sortem vivum: * quando veniam et apparebo ante faciem Dei.

Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte: * dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus.

Haec recordatus sum et effudi in me animam meam: * quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad Domum Dei.

In voce exultationis, et confessionis: * sonus epulantis.

Quare tristis es anima mea: * et quare conturbas me.

Spera in Deo quoniam adhuc confitebor illi: * salutare vultus mei, et Deus meus.

Ad me ipsum anima mea conturbata est: * pro-

pterea memor ero tui de terre Jordanis, et Hermo-
nium a monte modico.

Abyssus abyssum invocat: * in voce cataracta-
rum tuarum.

Omnia excelsa tua, et fluctus tui: * super me
transierunt.

In die mandavit Dominus misericordiam suam:
* et nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitae meae, dicam Deo:
* Susceptor meus es.

Quare oblitus es mei: * et quare contristatus
incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur ossa mea: * exprobraverunt
mihi, qui tribulant me inimici mei.

Dum dicunt mihi per singulos dies, Ubi est
Deus tuus: * quare tristis es anima mea? et quare
conturbas me.

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi:
* salutare vultus mei, et Deus meus.

Antiph. Fuerunt mihi lacrymae meae panes
die ac nocte.

V. Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi.

R. Inter ubera mea commorabitur.

Lectio IV.

Serm. S. Bernardi Abb. *Ex Serm. de 12. stellis.*

Martyrium Virginis tam in Simeonis Prophetia
quam in ipsa Dominicae Passionis historia commen-
datur. Positus est hic (ait Sanctus Senex de puero
Jesu) in signum, cui contradicetur. Et tuam ipsius
animam (ad Mariam autem dicebat) pertransibit gla-
dius. Vere tuam, o Beata Mater, animam pertran-
sivit: alioquin non nisi eam pertransiens, carnem
filii tui penetraret. Et quidem posteaquam emisit
spiritum tuus ille Jesus, ipsius plane non attigit
animam crudelis lancea, quae ipsius aperuit latus,

sed tuam utique animam pertransivit. Ipsius nimirum anima jam ibi non erat, sed tua plane inde nequibat avelli.

R. Jesum bajulantem sibi crucem; * Sequebatur turba mulierum, quae plangebant et lamentabantur eum.

V. Filiae Jerusalem super vos ipsas flete, et super filios vestros. Sequebatur.

Lectio V.

Tuam ergo pertransivit animam vis doloris, ut plus quam Martyrem non immerito praedicemus, in qua nimirum corporeae sensum passionis excesserit compassionis affectus. An non tibi plusquam gladius fuit sermo ille revera pertransiens animam, et pertingens usque ad divisionem animae, ac spiritus: Mulier ecce filius tuus? O commutationem! Joannes tibi pro Jesu traditur, Servus pro Domino, Discipulus pro Magistro, filius Zebedaei pro filio Dei, homo purus pro Deo vero. Quomodo non tuam affectuosissimam animam pertransiret haec auditio, quando et nostra licet saxea, licet ferrea pectora, sola recordatio scindit?

R. Postquam venerunt in locum, qui dicitur Calvariae, ibi crucifixerunt eum: * Stabat autem juxta crucem Jesu Mater ejus.

V. Tunc beatam illius animam doloris gladius pertransivit. Stabat.

Lectio VI.

Non miremini, Fratres, quod Maria Martyr in anima fuisse dicatur. Miretur, qui non meminerit se audivisse Paulum inter maxima gentium crimina memorantem, quod sine affectione fuissent. Longe id fuit a Mariae visceribus, longe sit a servulis ejus. Sed forte quis dicat: Namquid non eum praescierat moriturum? Et iudubitanter? Num-

quid non sperabat continuo resurrecturum? et fideliter. Super haec doluit Crucifixum? et vehementer. Alioquin quisnam tu frater, aut unde tibi haec sapientia, ut mireris plus Mariam compatiensem, quam Mariae Filium patientem? Ille enim mori corpore potuit; ista commori corde non potuit? fecit illud charitas qua maiorem nemo habuit: fecit et hoc charitas cui post illam similis altera non fuit.

R. Joseph ab Arimathaea: *petiit corpus Jesu quod de cruce depositum: * suo complexu Mater excepit.

V. Dolens sinu et genibus suis sustinuit mortuum filium. Petiit corpus Jesu. Gloria Patri. Suo complexu.

In III. Nocturno.

Antiph. Intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Psalmus 54.

Exaudi Deus orationem meam, et ne despexeris deprecationem meam: *intendi mihi et exaudi me.

Contristatus sum in exercitatione mea: *et conturbatus sum a voce inimici, et a tribulatione peccatoris.

Quoniam declinaverunt iu me iniquitates: * et iu ira molesti erant mihi.

Cor meum conturbatum est in me: * et formido mortis cecidit super me.

Timor et tremor venerunt super me: * et contexerunt me tenebrae.

Et dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbae: * et volabo, et requiescam.

Ecce elongavi fugiens: *et mansi in solitudine.

Expectabam eum, qui salvum me fecit: * a pusillanimitate spiritus, et tempestate.

Praecipita Domine, divide linguas eorum: * quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in civitate.

Die ac nocte circumdabit eam super muros ejus iniquitas: * et labor in medio ejus in justitia.

Et non defecit de plateis ejus: * usura et dolus.

Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi: * sustinuissem utique.

Et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset: * abscondissem me forsitan ab eo.

Tu vero homo unanims: * dux meus et notus meus.

Qui simul mecum dulces capiebas cibos: * in domo Dei ambulavimus cum consensu.

Veniat mors super illos: * et descendant in infernum viventes.

Quoniam nequitiae in habitaculis eorum: * in medio eorum.

Ego autem ad Deum clamavi, * et Dominus salvabit me.

Vespere et mane, et meridie narrabo et annuntiabo: * et exaudiet vocem meam.

Redimet in pace animam meam ab his, qui appropinquant mihi: * quoniam inter multos erant mecum.

Exaudiet Deus, et humiliabit illos: * qui est aucte saecula.

Nou enim est illis commutatio, et non timuerunt Deum: * extendit manum suam in retribuendo.

Contaminaverunt testamentum ejus, divisi sunt ab ira vultus ejus: * et appropinquavit cor illius.

Molliti sunt sermones ejus super oleum: et ipsi sunt jacula.

Jacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet: * non dabit in aeternum fluctuationem justo.

Tu vero Deus deduces eos: * in puteum interitus.

Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos: * ego autem sperabo in te Domine.

Antiph. Intenderunt arcum rem amaram, ut sagittent in occultis immaculatum.

Antiph. Anima mea turbata est valde, sed tu Domine usquequo.

Psalmus 6.

Domine, ne in furore tuo arguas me: * neque in ira tua corripas me.

Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: * sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: * sed tu Domine usquequo.

Convertere Domine, et eripe animam meam: * salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi.

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: * lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus: * inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem: * quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: * Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei: * convertantur et erubescant valde velociter.

Antiph. Anima mea turbata est valde, sed tu Domine usquequo.

Antiph. Deus adjutor in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis.

Psalmus 49.

Deus noster refugium et virtus: * adjutor in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus, dum turbabitur terra: * et transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, et turbatae sunt aquae eorum: * conturbatae sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus laetificat civitatem Dei: * sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio ejus, non commovebitur: * adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Conturbatae sunt gentes, et inclinata sunt regna; dedit vocem suam mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Venite, et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram, * auferens bella usque ad finem terrae.

Arcum conteret, et confringet arma * et scuta comburet igni.

Vacate et videte, quoniam ego sum Deus: * exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Antiph. Deus adjutor in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis.

V. Per te salutem haurimus Virgo Maria.

R. Ex vulneribus Christi.

Lectio VII.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.

Cap. 19.

In illo tempore stabat juxta Crucem Jesu Mater ejus, et Soror Matris ejus, Maria Cleophae, Maria Magdalene. Et reliqua.

**Homilia S. Ambrosii Episcopi. *De Instit. Virg.*
Cap. 7.**

Stabat juxta Crucem Mater et fugientibus Viris stabat intrepida. Videte utrum pudorem mutare potuerit Mater Jesu, quae animum non mutavit. Spectabat piis oculis Filii vulnera, per quae sciebat omnibus futuram redemptionem. Spectabat non degeneri Mater spectaculo, quae non metueret peremptorem. Pendebat in Cruce Filius, Mater se persecutoribus offerebat.

R. Quis tibi sensus fuit, o Mater dolorum: * dum Joseph sindone filium tuum involvit, et posuit eum in monumento.

V. Considerate et videte, si est dolor, sicut dolor meus. Dum.

Ex ejusd. Epist. 25. ad Eccles. Vercellens. prope fin.

Lectio VIII.

Maria Mater Domini ante Crucem Filii stabat. Nullus me hoc docuit, nisi Sanctus Joannes Evangelista. Mundum alii concussum in Passione Domini conscripserunt, Coelum tenebris obductum, refugisse solem, in Paradisum latronem, sed post piam confessionem, receptum. Joannes docuit, quod alii non docuerunt, quemadmodum in Cruce positus Matrem appellaverit. Pluris putatur, quod Victor suppliciorum, pietatis officia Matri exhibebat, quam quod regnum Coeleste donabat. Nam si religiosum est, quod latroni donatur venia, multo uberius pietatis est, quod a Filio Mater tanto affectu honoratur.

R. In toto corde tuo gemitus Matris tuae ne obliviscaris: * ut perficiatur propitiatio, et benedictio.

V. Ave Princeps generosa Martyrumque prima Rosa, Virginumque Lilium. Ut. Gloria Patri. Ut.

Lectio IX. De Homilia Dominicae occurrent.

Si vero hoc Festum contingat juxta Rubric. transferri erit seq.

Lectio IX. Ex eodem.

Ecce inquit Filius tuus: Ecce Mater tua. Testabatur de Cruce Christus: et inde Matrem atque Discipulum dividebat pietatis officia. Condebat Dominus non solum publicum: sed etiam domesticum Testamentum, et hoc ejus testamentum signabat Joannes, dignus tanto testatore testis. Bonum testamentum non pecuniae, sed vitae aeternae, quod non atramento scriptum est: sed spiritu Dei vivi, qui ait: lingua mea calamus scribae velociter scribentis. Sed Maria nec minor, quam Matrem Christi decebat, fugientibus Apostolis ante Crucem stabat, et piis spectabat oculis Filii vulnera, quia exspectabat non pignoris mortem sed mundi salutem.

Te Deum laudamus.

Ad Laudes et per Horas.

Antiph. Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? quo declinavit dilectus tuus, et quaeremus eum tecum?

Psalm. Dominus regnavit. cum reliquis de laudibus Dominicae.

Antiph. Recedite a me, amare flebo, nolite incumbere, ut consolemini me.

Antiph. Non est ei species neque decor, et vidimus eum, et non erat aspectus.

Antiph. A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas.

Antiph. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.

Capitulum. *Thren. 2. Cap.*

Cui comparabo te? vel cui assimilabo te, Filia Jerusalem? cui exaequabo te, et non consolabor te, Virgo filia Sion? magna est velut mare contritio tua?

Hymnus.

Summae Deus clementiae,
Septem Dolores Virginis,
Plagasque Jesu Filii
Fac rite nos revolvere.

Nobis salutem conferant
Deiparae tot lacrymae,
Quibus lavare sufficis,
Totius orbis crimina.

Sit quinque Jesu vulnerum
Amara contemplatio,
Sint et dolores Virginis
Aeterna cunctis gaudia.

Jesu tibi sit gloria,
Qui passus es pro servulis.
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna saecula. Amen.

V. Maria Virgo per virtutem tot dolorum.

R. Fac nos gaudere in regno coelorum.

Ad Benedictus.

Antiph. Venite ascendamus ad montem Domini,
et videte, si est dolor sicut dolor meus.

ORATIO. *ut supra pag. 450.*

Deinde fit commem. Dominicae occurrentis.

Ad primam in R. br. dicitur V. Qui passus es
propter nostram salutem.

Ad Tertiam.

Antiph. Recedite a me.

Capitul. Cui comparabo te. *ut supra.*

R. breve. O vos omnes: * Qui transitis per
viam. O vos.

Y. Attendite et videte si est dolor, sicut dolor
meus. Qui transitis. Gloria Patri. O vos omnes.

Y. Defecerunt prae lacrymis oculi mei.

R. Conturbata sunt omnia visera mea.

Ad Sextam.

Antiph. Non est ei species.

Capitulum. Thren. 1.

Plorans ploravit in nocte, et lacrymae ejus in
maxillis ejus: non est qui consoletur eam ex om-
nibus charis ejus.

R. br. Defecerunt, * Prae lacrymis oculi mei.
Defecerunt. *Y.* Conturbata sunt omnia viscera
mea. Prae lacrymis. Gloria Patri. Defecerunt.

Y. Fasciculus myrrhae dilectus meus mihi.

R. Inter ubera mea commorabitur.

Ad Nonam.

Antiph. Fulcite me.

Capitulum. Thren. 2.

Deduc quasi torrentem lacrymas per diem et
noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla
oculi tui.

R. br. Fasciculus myrrhae, * Dilectus meus
mihi. Fasciculus myrrhae. *Y.* Inter ubera mea
commorabitur. Dilectus meus. Gloria Patri. Fa-
sciculus.

Y. Anima mea liquefacta est.

R. Ut dilectus locutus est.

In II. Vesperis dicuntur omnia, ut in primis.

Ad Magnificat.

Antiph. Oppressit me dolor, et facies mea in-
tumuit a fletu, et palpebrae meae caligaverunt.

O R A T I O.

Deus, in cujus passione, *ut supra.*

Et fit commem. Dominicae.

Missa dicitur, ut in Festo Septem Dolorum Fer. VI. post Dominicam Passionis, cum Gloria et Credo Oratio propria ut in Officio. Graduale, Sequentia, Praefatio cum V. Et te in transfixione. Comm. vero et ultimum Evangelium de Dominica.

Dominica post Octavam omnium Sanctorum.

In Festo

**Beatissimae Virginis
MARIAE de VICTORIA.**

DUPLEX 2. Classis.

Ad Vesperas.

Antiph. Dum esset Rex. cum reliquis Antiphonis et Psalmis, ut in Officio parvo Beatae Mariae.

Capit. Ab initio. Hymn. Ave maris Stella. V. Dignare me laudare te Virgo sacrata. R. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Ad Magnificat.

Antiphona. Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo interveni pro Clero, intercede pro devoto foemineo sexu, sentiant omnes tuum jnvamen, quicunque celebrant tuam sanctam festivitatem.

O R A T I O.

Concede nos sanctos tuos, etc. *ut in officio B. Mariae, dein fit Commem. Dominicae.*

Ad Matutinum.

Invitat. Sancta Maria Dei Genitrix Virgo,
 * *Intercede pro nobis. Psalm.* Venite. *Hymn.*
 Quem terra.

Antiphonae, Psalmi, et Vers. Nocturnorum,
ut in Officio parvo ejusdem Beatae Mariae.

In I. Nocturno. *Lectiones de Parabolis Salomonis.*

Ego Sapientia habito. *ut in Festo Praesentationis B. Mariae 21. Novembr. cum Responsoriis, per omnes Nocturnos, ibid.*

In II. Nocturno. *Lectiones ut in Octava Nativ. B. V. M. 15. Sept.*

Sermo S. Cyrilli Episcopi Alexandrini: Hilarem video coetum Sauctorum omnium etc.

Vel Lectiones sequentes possunt dici:

Lectio IV.

Hilarem video coetum Catholicorum omnium immaculatissimae, semperque intemeratae Virgini, magnae Dei Matri Mariae, gratias ferentes ob insignem ejus precibus a Deo optimo maximo obtentam victoriam. In Bohemiae Regno ab aliquot saeculis falsa dogmata Fidei grassabantur, Ecclesiae, Monasteria, aliaque pia Catholicorum loca cum hominibus Deo sacratis funditus et penitus extirpata cernebantur, adeo, ut vix spes affulgeret, quatenus orthodoxa fides repullulare posset, maxime quando impius rebellantium furor co devenerat, ut rejecto vero naturali haereditario Rege Ferdinando secundo Bohemiae, alium eligere non vereretur, et quidem Fridericum quintum Comitem et Ducem Palatinum Electorem, sicque deinceps et reliqua adhuc catholica eliminarentur. Misericordiae Mater immaculate concepta beatissima Virgo Maria miserta Regni et paucorum existentium Catholicorum

verique Regis Ferdinandi, mox neoelecti Imperatoris suo auxilio adesse festinat, ut omnis sentiat Eam auxilium esse vere Christianorum.

R. Sicut Cedrus exaltata sum in Libano, et sicut cypressus in monte Sion: quasi myrrha electa. * Dedi suavitatem odoris. V. Et sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans. Dedi.

Lectio V.

Eteum dum arma probeudissent Rebelles in impium foedus concitantes reliquas coronae provincias, exurgunt contra Regis sui missum militem, comparet in monte albo penes Pragam exercitus utriusque decertantis: Veri Regis Ferdinandi militibus venerabilis Pater Dominicus a Jesu Maria discalceatus Carmelita ostentat imaginem beatissimae Virginis Mariae in qua oculos eruerant impii: animans eos, ut pro gloria Dei ejusque Genitricis, sauctorumque cultu strenue dimicarent, nullus dubitans quin causa hac ex piissima siut reportaturi plenissimam victoriam, ut cadant a latere tuo mille, decem millia autem a dextris tuis, nec Deo difficile in paucis, vel in multis salvare, fortitudo enim gentium in manu fortis Dei exercituum discipabitur.

R. Quae est ista, quae processit sicut sol, et formosa tanquam Jerusalem? * Viderunt eam filiae Sion, et beatam dixerunt, et Reginae laudaverunt eam. V. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Viderunt.

Lectio V.

Aderat dies in qua Ecclesia recolit octavam diem festi omnium Sanctorum Mense Novembri anni supra millesimum sexcentessimum vigesimi, dies Dominica in qua legebatur Evangelium: Reddite Caesari, quae sunt Caesaris, et Deo, quae sunt Dei, ut cognoscamus Sanctos omnes in suos

novos iconoclastas vindictam sumpsisse, et Deum restituere voluisse vero Regi Ferdinando suum haereditarium Regnum. Fiebat conflictus, et licet major numerus A catholicorum, quam Catholicorum, attamen, ut fert fama adversariorum ipsorum compareute exercitu vel Angelorum vel aliorum spirituum, tanta formido A catholicos percelluit, ut fugam capesserent, et optatissimam victoriam Catholicis in manus traderent, quibus peractis omnes enarraverunt, Deum per intercessionem Beatissimae Virginis Mariae Sanctorumque suorum elargitum fuisse hanc admirandam victoriam. In perenne tanti beneficii monumentum per Provincias illas, quarum interest, singulis annis Dominica post Octavam omnium Sanctorum gratias Deo et B. V. Mariae per Officium et Missarum sollemnia summus Pontifex celebrare indulsit.

R. Ornatam monilibus filiam Jerusalem Dominus concupivit: * Et videntes eam filiae Sion: beatissimam praedicaverunt, dicentes: * unguentum effusum nomen tuum. V. Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate. Et videntes. Gloria Patri. Unguentum.

In III. Nocturno. *Lectio VII. et VIII. ut 21. Novembr. et IX. Lect. de Dominica.*

Ad Laudes et per Horas.

Omnia dic. ut in Sabbato B. V. M. Ad Benedictus. *Antiph.* Beata es Maria, quae credidisti, perficientur in te, quae dicta sunt tibi a Domino. Alleluja.

O R A T I O.


Concede nos famulos tuos, *ut in Officio B. Mariae in Sabbato.*

Dein sit Commemoratio Dominicae. In Vesperis secundis omnia ut in primis.

Ad Magnificat.

Antiph. Beatam me dicent omnes generationes: quia ancillam humilem respexit Deus.

Dein fit Commemoratio Dominicae.



Dominica post Festum S. Martini Ep. C.

DEDICATIO ECCLESIAE CATHEDRALIS.

DUPLEX 1. *Classis, Vratisl. cum oct. in dioec. sine oct.*

Omnia ut in breviario de Communi dedicationis cum commem. dominicae in utrisque vesp. et laudibus; nona lect. de hom. dom.

N. Dedicatio propriae ecclesiae, si ab episcopo est consecrata, patronus loci, et Titularis, *in eorum festo principali* celebrantur sub ritu 1. Classis cum octava. Si vero ecclesia tantum a simplici sacerdote benedicta sit, nec officium nec missa dicitur de dedicatione, sed officium erit conforme directorio, pro missa vero majori dicitur votiva sollemnis de SS. Trinitate sine omni commemoratione. Concio nihilominus habenda est de Evangelio dedicationis Luc. 19. 1 — 10.

A D D I T A M E N T U M.

ORATIO PROPRIA

DE

S. LAURENTIO JUSTINIANO

E. C. die 5. Sept.

quo olim in dioecesi usitata fuit.

Praesta, quaesumus omnipotens Deus: ut b. Laurentii Confessoris Tui atque Pontificis, cujus gaudemus meritis, instruamur exemplis atque Doctrinis. Per Dominum.

A P P E N D I X.

RESPONSORIA

DE

COMMUNI SANCTORUM.

De Communi Apostolorum.

In II. Nocturno.

R. 4. Vidi conjunctos viros habentes splendidas vestes, et Angelus Domini locutus est ad me, dicens: * Isti sunt viri sancti facti amici Dei. V. Vidi Angelum Dei fortem, volantem per medium Coelum, voce magna clamantem, et dicentem. * Isti sunt.

R. 5. Beati estis cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes, propter me: Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis. V. Cum vos oderint homines, et cum

separaverint vos, et exprobraverint, et ejecerint nomen vestrum tanquam malum propter Filium hominis. * Gaudete.

R. 6. Isti sunt triumphatores, et amici Dei, qui contemnentes jussa principum, meruerunt praemia aeterna: * Modo coronantur, et accipiunt palmam. Y. Isti sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, et laverunt stolas suas in sanguine Agni. * Modo. Gloria Patri. * Modo.

In III. Nocturno.

R. 7. Isti sunt, qui viventes in carne, plantaverunt Ecclesiam sanguine suo: * Calicem Domini biberunt, et amici Dei facti sunt. Y. In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum. * Calicem.

R. 8. Isti sunt viri sancti, quos elegit Dominus in charitate non ficta, et dedit illis gloriam sempiternam: * Quorum doctrina fulget Ecclesia, ut sole luna. Y. Sancti per fidem vicerunt Regna, operati sunt justitiam. * Quorum. Gloria Patri. * Quorum.

De Communi unius Martyris.

In II. Nocturno.

R. 4. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem aeternam. Y. Descenditque cum illo in foveam: et in vinculis non dereliquit eum. * Et dedit.

R. 5. Desiderium animae ejus tribuisti ei Domine, * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. Y. Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * Et voluntate.

R. 6. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus.

Y. Cibavit illum Dominus pane vitae et intellectus: et aqua sapientiae salutaris potavit illum. * **Et coronam. Gloria Patri.** * **Et coronam.**

In III. Nocturno.

R. 7. Corona aurea super caput ejus, * **Expressa** signo sanctitatis, gloria honoris, et opus fortitudinis. **Y.** Quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. * **Expressa.**

R. 8. Hic est vere Martyr, qui pro Christi nomine sanguinem suum fudit: Qui minas judicum non timuit, nec terrenae dignitatis gloriam quaesivit, sed ad coelestia regna pervenit. **Y.** Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi Regnum Dei. * **Qui minas. Gloria Patri.** * **Qui minas.**

De Communi Martyrum. Temp. Pasch.

In II. Nocturno.

R. 4. Lux perpetua lucebit Sanctis tuis Domine, * **Et aeternitas temporum. Alleluja. Alleluja.** **Y.** Laetitia sempiterna erit super capita eorum: gaudium et exultationem obtinebunt. * **Et aeternitas.**

R. 5. In servis suis, Alleluja, * **Consolabitur Deus, Alleluja.** **Y.** Judicabit Dominus populum suum, et in servis suis. * **Consolabitur.**

R. 6. Filiae Jerusalem, venite et videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus, * **In die solemnitatis et laetitiae, Alleluja.** **Y.** Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. * **In die solemnitatis. Gloria Patri.** * **In die solemnitatis.**

In III. Nocturno.

R. 7. Ego sum vitis vera, et vos palmites: * **Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum**

multum. Alleluja. Alleluja. *Y.* Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. * Qui manet.

R. 8. Candidi facti sunt Nazaraei ejus: Alleluja: Splendorem Deo dederunt, Alleluja. * Et sicut lac coagulati sunt, Alleluja, Alleluja. *Y.* Candidiores nive, nitidiores lacte, rubundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores. * Et sicut. Gloria Patri. * Et sicut.

De Communi plurimorum Martyrum.

In II. Nocturno.

R. 4. Sancti tui Domine mirabile consecuti sunt iter, servientes praeceptis tuis, ut invenirentur illaesi in aquis validis. * Terra apparuit arida: et in mari rubro via sine impedimento. *Y.* Quoniam percussit petram, et fluxerunt aquae, et torrentes inundaverunt. * Terra.

R. 5. Verbera carnificum non timuerunt Sancti Dei, morientes pro Christi nomine: * Ut haeredes fierent in domo Domini. *Y.* Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. * Ut haeredes.

R. 6. Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus, et quasi holocausti hostiam accepit illos: et in tempore erit respectus illorum: * Quoniam donum et pax est electis Dei. *Y.* Qui confidunt in illum, intelligent veritatem: et fideles in dilectione acquiescent illi. * Quoniam. Gloria Patri. * Quoniam.

In III. Nocturno.

R. 7. Propter Testamentum Domini, et leges paternas, Sancti Dei perstiterunt in amore fraternitatis: * Quia unus fuit semper spiritus in eis, et una fides. *Y.* Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. * Quia.

R. 8. Sancti mei, qui in carne positi, certamen habuistis: * Mercedem laboris ego reddam vobis.

Y. Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum.
*** Mercedem. Gloria Patri. * Mercedem.**

*In Die plurimorum Martyrum Fratrum,
 dicitur seq.*

R. 8. Haec est vera fraternitas, quae numquam potuit violari certamine: qui effuso sanguine secuti sunt Dominum: *** Contemnentes aulam regiam, pervenerunt ad regna coelestia. Y.** Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. *** Contemnentes. Gloria Patri. * Contemnentes.**

De Communi Confessoris Pontificis.

In II. Nocturno.

R. 4. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: *** Manus enim mea auxiliabitur ei. Y.** Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocebit ei. *** Manus.**

R. 5. Posui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea. *** Manus enim mea auxiliabitur ei. Y.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. *** Manus.**

R. 6. Iste est, qui ante Deum magnus virtutes operatus est, et omnis terra doctrina ejus repleta est: Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. **Y.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. *** Ipse intercedat. Gloria Patri. * Ipse intercedat.**

In III. Nocturno.

R. 7. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum. *** Et ad portas Paradisi coronavit eum. Y.** Induit eum Dominus lorica fidei, et ornavit eum. *** Et ad portas.**

R. 8. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris: *** Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando re-**

vertatur a nuptiis. *Y.* Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. * *Et vos similes hominibus. Gloria Patri. * Et vos.*

Pro Doctore.

R. 8. In medio Ecclesiae aperuit os ejus, * *Et implevit eum Dominus spiritu sapientiae, et intellectus. Y.* Jucunditatem et exultationem thesaurizavit super eum. * *Et implevit. Gloria Patri. * Et implevit.*

De Communi Confess. non Pontificis.

In II. Nocturno.

R. 4. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: * *Et dedit illi claritatem aeternam. Y.* Justum deduxit Dominus per vias rectas, et ostendit illi regnum Dei. * *Et dedit.*

R. 5. Amavit eum Dominus, et ornavit eum, stolam gloriae induit eum: * *Et ad portas Paradisi corouavit eum. Y.* Induit eum Dominus lorica fidei, et ornavit eum. * *Et ad portas.*

R. 6. Iste homo perfecit omnia, quae locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * *Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus. Y.* Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad coelestia regna. * *Quia. Gloria Patri. * Quia.*

In III. Nocturno.

R. 7. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum: * *Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. Y.* Ecce homo sine querela, verus Dei cultor, abstinens se ab omni opere malo, et permanens in innocentia sua. * *Ipse intercedat.*

R. 8. Sint lumbi vestri praecincti, et lucernae ardentes in manibus vestris: * **Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando revertatur a nuptiis. V. Vigilate ergo, quia nescitis, qua hora Dominus vester venturus sit. * Et vos. Gloria Patri. * Et vos.**

De Communi Virginum.

In II. Nocturno.

R. 4. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam: * **Et deducet te mirabiliter dextera tua. V. Specie tua, et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. Et deducet.**

R. 5. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: * **Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo laetitiae. V. Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam. * Propterea.**

R. 6. Afferentur Regi Virgines post eam, proximae ejus. * **Afferentur tibi in laetitia et exultatione. V. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. * Afferentur. Gloria Patri et Filio. * Afferentur.**

In III. Nocturno.

R. 7. Haec est Virgo sapiens, quam Dominus vigilantem invenit, quae acceptis lampadibus, sumpsit secum oleum: * **Et veniente Domino, introivit cum eo ad nuptias. V. Media nocte clamor factus est, ecce Sponsus venit, exite obviam ei. * Et veniente Domino.**

R. 8. Media nocte clamor factus est: * **Ecce Sponsus venit, exite obviam ei. V. Prudentes Virgines aptate vestras lampades. * Ecce Sponsus. Gloria Patri et Filio. * Ecce.**

De Communi non Virginum.

In II. Nocturno.

R. 4. Propter veritatem et mansuetudinem, et justitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua. V. Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna. * Et deducet.

R. 5. Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae. V. Propter veritatem, et mansuetudinem et justitiam. * Propterea.

R. 6. Fallax gratia, et vana est pulchritudo: * Mulier timens Deum, ipsa landabitur. V. Date ei de fructu manuum suarum, et laudent eam in portis opera ejus. * Mulier. Gloria Patri et Filio. * Mulier.

In III. Nocturno.

R. 7. Os suum apernit sapientiae, et lex clementiae in lingua ejus: consideravit semitas domus suae: * Et panem otiosa non comedit. V. Gustavit, et vidit quia bona est negotiatio ejus, non extinguetur in nocte lucerna ejus. * Et panem.


R. 8. Regnum mundi, et omnem ornatum saeculi contempsi propter amorem Domini mei Jesu Christi: * Quem vidi, quem amavi, in quem credidi, quem dilexi. V. Eructavit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi. * Quem vidi. Gloria Patri et Filio. * Quem vidi.

FINIS.



O. A. M. D. G. B. M. V. E. O. S. H.









Nr 785766

KSIEGARNIA

ANTYKWARIAT




Nr 785766

xxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxxx

Wojewódzka Biblioteka
Publiczna w Opolu

12198 S



001-012198-00-0

Officia
Sanctorum